



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

Sectio Secvnda. De provisione & receptione beneficiorum per postulationem, electionem, confirmationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

SECTIO SECUNDA.

DE PROVISIONE ET RECEPTIONE BENEFICIORUM per postulationem, electionem, confirmationem.

CAPUT PRIMUM.

DE POSTVLATIONE.

PARAGRAPHVS I.

De postulationis natura, divisione, causa & effectu.

Quaestio 198. Quid sit, seu qualiter definienda postulatio proprie ac stricte accepta, & pro ut ab electione & nominatione distinguitur?

Respondeo est petitio Capituli seu collegii, quâ illud à Superiore petit, ut persona, quæ propter impedimentum canonicum ad prælaturam vel dignitatem eligi non poterat, ad eandem dispensative ab eodem admit-

tatur. Azor. *instit. mor. p. 2. l. 6. c. 17. q. 2.* ex Abb. *in rubr. de postul. n. 1.* declarationem hujus definitionis dabunt sequentia.

Quaestio 199. An, & in quo potissimum differat postulatio ab electione?

Respondeo primò inter postulationem & electionem prælatorum antiquitus parva erat distinctio, *postulationis & electionis* vocabulis indifferenter usurpari solitis, ut ex *c. litteras. d. 63.* advertunt gl. *in c. unic. de postul. in 6. v. eligo postularum.* Pass. *de elect. c. 24. num. 1.* Et adhuc quandoque postulatio amplè accepta cum electione confunditur. Azor. *loc. cit. q. 1.* de ceterò, hodie dum valde distinguuntur, & ut Laym. *in c. unic. de postul. in 6. n. 1.* inter se ad-versantur, & quodammodò opposita sunt; cum importent substantialiter diversas formas providendi Ecclesiis viduaris, ut constat ex titulis de postulatione & elect. distinctis, introductâque sit postulatio in subsidium electionis, ut persona, quæ propter inhabilitatem aliquam eligi non queunt, mediâ postulatione dispensative promoveantur. Laym. *in præamb. ad tit. de postul.*

2. Respondeo secundò: differentiam præcipuè in eo esse, quòd electio innitatur juri, postulatio gratiæ. Pass. Azor. Laym. *ll. cit. cum gl. cit.* in hoc sensu, quòd per postulationem quis præsentetur, ut ex gratia illum admittere velit & instituire; per electionem verò canonicam vocetur quis ad prælaturam, ita ut Superior electionem confirmare debeat. Laym. *loc. cit.* electio enim legitima acceptata ab electo confert ei jus ad prælaturam, ita ut sine injuria

à Superiore, cuius est eum instituire aut confirmare, rejici nequeat, si de cæterò dignus sit. Pass. *loc. cit.* Laym. *loc. cit.* & *in qq. canon. de elect. q. 1.* cum communi. Unde & competit ei actio, quæ est jus petendi id, quòd ex iustitia alicui debetur. Pirh. *ad tit. de postul. num. 2.* E contra postulatio postulato ante admissionem jus nullum tribuit; cum summo jure possit rejici. Pirh. Pass. Azor. *ll. cit.* Laym. *in c. nihil. de elect. n. 8.* Tond. *qq. benef. p. 2. c. 4. §. 6. n. 9.* Card. de Luc. *de Regul. d. 13. n. 9.* Unde etiam solum rogare potest, seu implorare officium judicis, ut ex gratia secundum æquitatem canonicam ad prælaturam admittatur, dum legitime postulatus fuit. Laym. *loc. ult. cit.* atque hinc electio à Superiore confirmari, postulatio admitti solum dicitur, *c. scriptum, de elect.* Laym. *loc. cit.*

3. Porrò fundatur hæc differentia in eo, quòd electus nullum habeat impedimentum, ut sit Prælati talis Ecclesiæ viduaræ; adeoque in ordine ad hoc non egeat dispensatione; postularius verò hæc egeat; quia habet impedimentum. Quòd ipsum, nempe electum à se non habere defectum seu impedimentum, profitentur eligentes; contrarium, nempe postularum laborare defectu, profitentibus postulantibus. Laym. *ad c. unic. de postul. in 6. n. 1.* Unde etiam tam eligentes, quàm electus absolute consentire possunt, ut electus sit sponsus Ecclesiæ. Pass. *loc. cit. n. 2.* dum è contra in hoc consentire non nisi sub conditione obtinendæ dispensationis possit postularius; non secus, ac habens impedimentum contrahendi matrimonium dispensabile, absolute celebrare nequit sponsalia, sed solum sub conditione dispensationis. Laym. *loc. cit.*

4. De ceterò electio & postulatio in jure æquiparantur tanquam tendentia ad unum finem. Laym. *in c. in causis, de elect. n. 5.* Item quòd ad jus suffragandi, & ideo, quòd de uno statutum, etiam censetur de altero. Laym. *in c. bona, de postul. c. 3.*

Quaestio 200. Qualiter postulatio differat à nominatione?

Respondeo in hoc præcipuè, quòd postulatio, uti & electio fiat de uno tantum, nominatio verò de pluribus; dum nimirum duo vel tres excellentiores, qui sunt in aliquo Capitulo, nominantur Papa, vel etiam alteri collatori, quandoque etiam laico (licet enim nominatio talis facta à laico per se, quòd sicut, de elect. reprobetur, potest tamen id ex speciali Papæ privilegio competere laico Principi: uti in regno Granatæ duo nominantur Regi, quorum

rum unum eligit & admittit ad prælaturam teste Covar. in 4. decretal. p. 2. c. 3. §. 3.) eique supplicatur, ut uni ex illis dignetur providere de prælatura vacante, quæ dicitur nominatio solennis; vel dum plures ante scrutinium proponuntur præ ceteris eligibiles vel postulabiles, quæ est nominatio non solennis; quæ tamen nominatione non obstante, capitulares eligere possunt alium. Abb. Horst. in c. bona. de postul. Fagnan. ibidem. ubi & alias plures differentias assignat, quæ quia communes electioni, commodius de iis cap. seq.

Questio 201. Quotuplex sit postulatio?

Respondeo omittis aliis postulationis divisionibus minus celebribus, puta, dum dividitur in eam, quæ fit seu fieri potest de jure; alia quæ non fit, nisi ex privilegio concessio, Pass. de electio. c. 24. n. 3. Item in sumptam communiter, quæ non est nisi petitio gratiæ; & in sumptam juridicæ, quæ est petitio juridicæ porrecta alicui Prætori seu Superiori, quæ est divisio magis generica. Pass. loc. cit. his, inquam, omittis, celebrior est illa divisio postulationis, seu subdivisio illa postulationis juridicæ in solennem, & non solennem, seu simplicem. Pirh. ad tit. de postulat. n. 3. Engels ibidem n. 8. & 9. Lott. l. 3. q. 17. n. 231. Pass. n. 4. Bald. in rubric. de postul. n. 3. Abb. in c. 1. de postul. n. 34. cum communi: prior est, quam jam ante definivimus: posterior est, quæ quis non postulat directè in prælatum, siue quæ non petitur à Superiore, ut dispensando in aliquo ejus impedimento admittatur; sed quæ petitur vel aliquid prævium electioni aut postulationi solenni, v. g. facultas eligendi vel postulandi à Superiore, ubi hæc antecedenter non habetur, vel petitur consensus illius, qui electionem vel postulationem impedire potest; quod interesse aliquod vel jus habeat circa personam eligendam vel postulandam, Pass. Pirh. loc. cit. siue de cetero sit laicus, siue clericus, v. g. a parente, sine cujus licentia filius familias sub patria potestate adhuc constitutus consentire nequit in sui electionem ad Episcopatum. Pirh. loc. cit. Abb. in c. 1. de postul. n. 34. vel à prælato religioso, ut is concedat subiectum sibi monachum eligendum, c. si religiosus. de elect. quia vi talis concessionis nulla intervenit dispensatio, cum lex nulla relaxetur; sed potius impleretur lex prohibens, ne quis sine venia prælati sui, vel alterius habentis in se jus assumatur ad prælaturam, Pirh. loc. cit. n. 3. Pass. loc. cit. n. 4.

2. Proinde distinguuntur hæc duæ postulationes in hoc, quod per postulationem simplicem, seu non solennem postuletur solum directè sublatio impedimenti, quod obstabat, ne quis liberè sit, seu promoveatur Prælatus, quo ablato, adhuc nihil factum, nisi qui erat impeditus, eligatur, vel solenniter postuletur: in postulatione verò solenni directè postulat in prælatum is, qui nominatur; & hinc sufficit, ut postulatio admittatur, quæ admittitur, jam eo ipso absque omni alio est prælatus. Pass. loc. cit. n. 4. Item in eo, quod postulatio solennis fieri nequeat, nisi apud eum, qui admittendo postulationem, postulat dare potest in Prælatum: postulatio vero simplex fiat ad quemcunque habentem interesse, & potentem impedire, ne postulatus liberè exerceat Prælaturam; sex hinc fieri etiam possit apud laicum, Pass. ibid. Item quod necesse non sit, ut postulatio non solennis fiat collegialiter, & cum aliqua forma solenni, sed sufficiat, ut fiat eo modo, quo tolli potest obstaculum, quod tolli desideratur; sufficit autem fieri, vel à toto collegio, vel ab aliquo extra-

neo; postulatio verò solennis fieri non possit nisi ab electoribus collegialiter congregatis, servatis legibus canonicis & statutis; ac denique in eo, quod postulatio simplex fieri possit, quando magis opportunum videbitur, vel ante vel post electionem, vel postulationem; cum non sit provisio, per quam provideretur Ecclesiæ viduata, sed ablatio impedimenti: postulatio verò solennis fieri debeat intra tempus datum ad eligendum, Pass. loc. cit. & de hac postulatione solenni deinceps,

Questio 202. Quis sit finis & causa motiva postulationis solennis?

Respondeo ad primum: finis ei cum electione communis est provisio Ecclesiæ viduata. Pirh. ad tit. de postul. n. 39.

2. Respondeo ad secundum: causa moveas ad hunc modum providendi Ecclesiæ per postulationem, est necessitas; dum nimirum non adeit eligibilis idoneus; in subsidium enim electionis inducta est postulatio: vel utilitas, dum nimirum, licet interveniat eligibilis idoneus, sit tamen alius non eligibilis, qui ob morum vitæque integritatem, insignem doctrinam, magnamque rerum agendarum usum, &c. præ aliis Ecclesiæ profuturus judicatur. Pirh. loc. cit. ex Daniel Venatore in *Analys. juris pontif. l. 1. tit. 4.* atque ita postulatio perpetuè sit ex causa utilitatis Ecclesiæ; puta, pro ejus tutela & defensione. Lott. l. 3. q. 17. n. 234. citans Abb. in c. bona. de postulatione. n. 12.

Questio 203. Quisnam sit effectus postulationis?

Respondeo: postulationis simplicis effectus est, ut electus electionem acceptare, & jus sibi acquirere possit; vel etiam, si antequam eligeretur, facta fuit hæc postulatio, postulatus jam possit eligi absolute, hoc est, absque eo, quod electio amplius imbibat istam conditionem, si Superior licentiam acceptandi dederit, utpote quæ jam purificata sit. Sylv. v. postulatio. q. 6.

2. Effectus postulationis solennis præcipuus est, quod admittitur à Superiore idem jus tribuat, quod electio confirmata, ita ut postulatus electione vel confirmatione nullâ aliâ egeat, uti insuper adhuc eadem vel postulatione solenni admittitur eger, qui ante electionem postulatus fuit postulatione non solenni. Abb. in c. 1. tit. 4. n. 34. Pass. loc. cit. n. 6. ubi: postulatio admittitur habet vim electionis & confirmationis, & postulato dat jus, nedum ad rem, sed in re, ac si esset electus & confirmatus, pro quo citat Barbof. ad c. postulationem, de postul. n. 3. Innoc. in c. 1. de postul. n. 1. Tabien. v. postulatio n. 5. & c. Azor. p. 2. l. 6. c. 17. q. 5. Lott. l. 3. q. 17. n. 232. & 233. ubi, dum agitur de solenni postulatione ad evitandos circuitus & dispendia Ecclesiarum, Papa per solam ejus admissionem censetur plenum jus conferre postulato; sapit enim talis admissio electionem & confirmationem, De cetero postulationem jus nulli, ne quidem ad prælaturam parere ante admissionem illius, jam satis dictum est ante citatis pluribus, ad quos accedit Lott. l. 3. q. 17. n. 222. cum gl. in c. unic. de postul. in c. v. vera postulatio.

PARA-

PARAGRAPHVS II.

De modo seu forma faciendæ & publicandæ postulationis, & de consensu postulati.

Questio 204. An, & qualiter postulatio faciendâ dependeat ab electione?

Respondeo: postulatio solennis nullatenus pendet ab electione; cum, ut dictum, sit modus distinctus providendi ab electione; unde etiam in libitu cuiusque collegii seu capituli habentis potestatem eligendi, hoc ipso est, uti electio, vel hæc relicta uti postulatione ad providendum Ecclesiæ suæ de prelato: Pass. de elect. c. 24. n. 5. quin & non nisi ex speciali privilegio (quale suo Ordini competere testatur Pass.) potest Capitulum simul cum electione unius habere postulationem alterius personæ, utpote quod aliis juri communi contrarium est. Pass. loc. cit.

Questio 205. An forma eligendi per scrutinium præscripta in c. quia propter, de elect. servanda quoque sit in postulatione solenni?

Respondeo negativè. Pass. loc. cit. n. 9. Pirh. ad cit. de postul. n. 31. Laym. in c. unic. h. t. in 6. citantes Host. in Sum. de postul. n. 10. Sylv. v. postul. n. 2. S. Anton. p. 3. tit. 19. c. 3. §. 1. Gemin. in c. unic. h. t. in 6. n. 9. & c. contra Abb. in c. quia propter. n. 9. Innoc. in c. in causis. de elect. n. 1. Tabien. v. electio. n. 19. & v. postulatio. num. 1. & 5. item contra Laym. in qq. can. quorum sententiam, et si magis tutam, minus tamen probabilem censent Laym. Pirh. Pass. ll. cit. Ratio responsionis est, quod in cit. cap. quia propter. folius electionis fiat mentio, nec obiter quod iura antiqua interdum, ut dictum, promiscuè utantur vocibus: electio, postulatio: aut quod in jure hæc duo æquiparentur, admissioque postulationis & confirmatio electionis eandem vim obtineant; dum enim etiam in jure quod ad plurima non æquiparentur, sed maxime differunt, ut constat ex dictis paulò suprâ, necesse quoque non est, ut quod ad solennitates omnes juris pari modo se habeant, ubi iura id non exprimunt; quin & cum per electionem majus potentiusque jus acquiratur electo; quam per postulationem postulato, istaque hæc sit firmior, dum etiam eligentes resiliere nequeunt ab electione, uti postulantes possunt à postulatione, antequam hæc præsentata est Superiori: ac denique illa juri, hæc innitatur gratia, mirum non est, quod ad istam major, quam ad hanc forma solennitatis requiratur. Laym. in c. unic. h. t. in 6. n. 5.

2. Quod verò apud regulares postulatio fieri nequeat per publica suffragia, est propter speciale decretum Trident. sess. 25. c. 6. de regular. volentis hac ratione consuli libertati dantium suffragium in omnibus provisionibus Superiorum; adeoque licet Concilium uratur solo nomine electionis, comprehendat tamen illo & postulationem, juxta declarationem S. Congregat. dum interim spectatà lege c. quia propter. electio per compromissum, & per inspirationem non est necessario secreta.

Pass. cit. n. 9.

Questio 206. Quenam forma postulandi sint jure prohibita, ita ut, si sub iis facta sit postulatio, ea ipso jure sit irrita?

Respondeo sequentes: eligo postulando: vel postulo eligendo: eligo postulandum. postulo eligendum: cum nec vera electio, nec vera postulatio iis verbis significetur, quin potius sibi invicem adveniant: Item: eligo in postulandum: postulo in eligendum: cum rem imperfectam significant. Item eligo & postulo, prout melius de jure valere potest; cum incertitudinem contineat, Lot. l. 3. q. 17. n. 228. juxta c. unic. h. t. in 6. ubi expressè memoratæ formæ, factæque sub iis postulationes & electiones declarantur in futurum irritæ, et si aliis eæ formæ ex natura rei irritæ non sint, neque etiam ante hanc constitutionem lege ullâ Ecclesiasticâ tanquam illegitimæ reprobata, quin potius opinione communi & praxi habitæ pro validis, ut colligitur ex eo, quod c. translationem, de renunc. in principio dicatur: postulandum elegit. gl. in cit. c. unic. v. de cetero Pirh. ad cit. de postul. n. 37. Item ex eo, quod valeat de facto hac forma, dum patronus dicit: eligo Titium in præsentandum, modò contere de voluntate patroni, quod per hanc formam verborum præsentare velit, quia quæ jure canonico statuta sunt de electione & postulatione, extendi non debeant ad præsentationem, utpote modum perveniendi ad prælaturam omnino diversum, Pirh. loc. cit. Item ex eo, quod in aliis causis vel actibus (quod concernit ultimam formam memoratam) quæ inter se oppositionem aliquam habeant, cumulari possint, adjectâ clausulâ: ut actus valeat omni meliore modo, quo valere de jure potest, v. g. in ultimis voluntatibus apponendo hanc clausulam: ut si dispositio non valeat jure testamenti, valeat jure codicilli. l. ult. c. de codicill. Pirh. loc. cit.

Questio 207. An saltem fieri possit postulatio sub dicta forma: eligo & postulo, prout melius de jure valere potest: dum probabiliter dubitatur, an quis sit eligendus, an postulandus?

Respondeo affirmativè, juxta cit. c. unic. & Laym. ibidem n. 3. Pirh. ad tit. de postulat. n. 37. verumque id est, non tantum ubi dubium est facti, v. g. quia nescitur, an assumendum ad Episcopatum compleverit annum 30. ætatis: sed etiam, ubi dubium est juris: cum cit. c. unico. dicatur: nisi quando probabiliter dubitatur; quæ verba proinde restringenda non sunt ad dubium facti; cum etiam probabile dubium super intellectu juris excuset, dum existunt contrariæ DD. opiniones. Pirh. cit. num. 37. ex Franc. in c. illud unic. Pass. loc. cit. quin & ut idem, in dubio tali melius & securius est, dictâ formâ uti, quam absolute aliquem tantum postulare.

2. Porrò sic electus & postulatus necessario determinare debet, num viam electionis, vel postulationis profectui velit, & optione factâ, ad alteram redire non potest. cit. c. unic. & Laym. ibidem n. 3. Expedit enim, ut consensus seu acceptatio non in rem incertam & dubiam, sed certam feratur; & quamvis actus in origine sua à principio institui possit cum incertitudine, debet tamen in executione & prosecutione, antequam perficiatur, certificari. Pirh. loc. cit. cum Franc. loc. cit. n. 2. de quo postremo vide plura infra de confirmatione electionis: ubi ad duplici electione electus profectui possit utramque.

Que-

Questio 208. An, & quale esse debeat decretum postulationis scriptum, quod ad Superiorem, potentem admittere postulationem, transmittitur?

1. Respondeo primò præter ea, quæ necessaria sunt ad faciendam fidem, debet hoc decretum continere totum processum postulationis, & in specie omnes & singulos defectus postulati, ratione quorum is non erat eligibilis, & super quibus eger dispensatione, ne, si Superiore ignorante talem aliquem prælati defectum, admittatur, admissio sit nulla. Pass. *cit. c. 24. n. 23.* citans Abb. in *c. fin. de postul. n. 9.* & Gemin. in *c. si forte. de elect. in 6. n. 3.* Sed neque in libello hoc transmissio Papæ, uti nec in suffragiis dicere debent Electores: *eligimus aut elegimus; sed postulamus.* Laym. in *c. est unanimiter. de postul. n. 1.* dum enim postulandum eligitur, irrita censeri debet electio. Laym. *ibidem. Lott. l. 3. q. 17. n. 227.* Pirh. *ad tit. de postul. n. 34.*

2. Respondeo secundò dum postulatio facta in scrutinio electionis, debere fieri postulationem communem per unum, qui dicat omnium nomine: *ego vice præsentium postulo N.* seu necessarium esse postulationis decretum per verbum singulare *ego postulo &c.* affirmat ex Archid. Gemin. in *c. cunctis. n. 9.* apud Pass. *n. 11.* qui & ipse addit, quòd ubi servanda in postulatione forma scrutini *c. quia propter.* sine dubio necesse esse, ut unus nomine collegii postulet; ed quòd huiusmodi communis electio aut postulatio sit de substantia talis modi seu formæ eligendi, & sic facere, esse rurius secundum dicta paulò supra: quòd si tamen dicta forma non seruetur, non per hoc invalidam esse postulationem; cum sufficiat, quòd vota postulationis dirigantur ad Superiorem: nihilominus tamen etiam ubi fieret talis communis postulatio, non minus posse postulantes à sua postulatione resilire quam possent, si nullum decretum postulationis huiusmodi interponerent, tradit *ibidem* Pass. Porro dicta hæc de hoc decreto communis postulationis melius intelliges, ubi de decreto hoc electionis dicenda legeris.

Questio 209. Quot requirantur suffragia postulantium, ut postulatio sit valida, & à Superiore admittenda?

1. Respondeo primò: non requiri, ut postulatus omnium referat suffragia, seu ut omnes omnino capitulares in unum consentiant. Azor. *p. 2. l. 6. c. 17. q. 3.* cum communi, nam licet ita fieri, nempe ut omnes nemine excepto concordent, necesse sit, ubi collegium seu capitulum gratiam alicui facit, non tamen ubi gratiam petit, ut contingit in postulatione. Azor. *loc. cit.* ad hæc concors adhuc est postulatio, etsi unus alterve discrepent postulando vel eligendo alium; quia quòd à maiore parte capituli sit, à toto capitulo concordat & consentiente factum censetur. Azor. *loc. cit.* juxta *c. 1. de iis, que sunt à maiore parte.* Et quòd major pars Curie egerit, pro eo habetur, ac si omnes egerint. *l. quod major. ff. ad municipalem.* Illud tamen notandum ex Pass. *n. 63.* quòd quo postulatio facta in maiore concordia, eò facilius admittitur de stylo & consuetudine Curie Romanæ.

2. Respondeo secundò: dum postulatio non concurrat cum electione sit tamen in discordia, eò quòd aliqui istum, alii alium postularunt, requiritur, & sufficit ad hoc, ut valida sit & admitti possit, P. Leuren. *Fori Benef. Tom. 11.*

quòd facta sit à maiore parte capituli. Laym. in *c. bona. de postul. n. 5.* Pirh. *ad tit. de postul. n. 18.* Azor. *loc. cit.* Barb. *juris Eccles. l. 1. c. 19. n. 12.* (qui tamen *n. 14.* minus rectè dicit esse postulationem solennem, quæ sit servatà formà *c. quia propter.* & postulatur is, in quem major & sanior pars consenserit.) Pass. *de elect. c. 24. n. 9.* citans insuper Abb. in *c. bona. 3. de postul. n. 12.* Sylv. *v. postulatio n. 2.* Lavor. *de elect. c. 14. n. 7.* Castell. *n. 2. n. 8.* contra Bald. in *rubric. de postul. n. 3.* apud Pass. Item contra Host. quatenus is apud Abbat. vult, inferiorem Papæ non posse admittere postulationem factam solummodò à maiore parte capituli; siquidem ordinariè ad gesta Capituli sufficit, quòd major pars consentiat. *c. 1. de his que sunt à maj. par. capituli.* Laym. Pirh. *ll. cit.* colligitur etiam ex *c. bona. ubi.* cum dicatur, non solere admitti à Papa postulationem factam à minore quàm tertià parte, rectè arguitur à contrario, factam à maiore parte Capituli admitti posse & solere. Pirh. *loc. cit.* cum Abbat. *loc. cit.* Neque bene arguitur ex *c. cum postulationem. b. 2.* postulationem talem non nisi ex speciali gratia admittendam; cum in *cit. cap.* idem dicatur de facta unanimiter postulatione, cui se solum opponerent quidam alii, dicentes sibi quoque competere jus eligendi, negante hoc ipsum Capitulo: Aliunde itaque ista postulatio, etiam unanimis, non nisi ex speciali gratia admitti dicitur: quia nimirum aliàs prius cognosci debuit de causa horum opponentium, & quia Papa non facile annuit postulationi, etiam unanimi, ut Archi. Episcopus (qualis hic postulabatur) suà Ecclesià relicta, ad aliam transeat. Laym. *ad cit. c. postulationem.* de cæterò, an, & qualiter quævis postulatio non nisi ex gratia, & una præ alia ex specialiori gratia admittatur, dicitur paulò post, ubi an Superior teneatur admittere postulationem legitime factam. Porro ex responsione nostra deducit Pass. *loc. cit. n. 10.* quòd, ubi postulatio sit secreta, debeat publicari scrutinium per aliquem, ut sciri possit an postulatus quis sit à maiore parte; quin &, quòd semper fieri debeat collatio numeri ad numerum, & etiam respectivè meriti ad meritum, zeli ad zelum.

3. Respondeo tertio: ut postulatio in discordia concurrans cum electione, dum nimirum unus ab una parte Capituli postulatus, alter ab altera parte eligitur, sit valida, & prævaleat electioni, & hæc callanda sit, requiritur, ut numerus postulantium sit duplo major numero eligentium, sive ut duæ partes Capituli in postulationem unius personæ aliàs idoneæ consentiant. Lott. *l. 3. q. 17. n. 241.* Barb. *loc. cit. n. 18.* Laym. & Pirh. *ll. cit.* Pass. *n. 55.* Sylv. *ubi ante, n. 7.* Bald. Abb. *ubi ante,* juxta expressum textum *c. scriptum, de electione.* Tum quia plura plerumque requiruntur ad postulationem, utpote quæ via est providendi quasi extraordinaria, & innicitur mera gratia, quàm ad electionem. Pirh. *loc. cit.* tum quia duæ partes Capituli totum capitulum repræsentant. Laym. *loc. cit.* juxta *c. cum nobis. de elect.* Pirh. *loc. cit.* & quòd duæ partes faciunt, id totum facere videtur; cum potentia universitatis veluti tota in duabus partibus resideat. *l. nulli. ff. de quod cuiusque universitat. nomine, &c.* Pirh. *loc. cit.* Unde jam infero &

4. Respondeo quarto: ubi numerus postulantium non est duplo major numero eligentium; sed vel unicà etiam unitate in hoc deficit, v.g. postulantes sunt 31. eligentes sunt 16. electionem confirmandam, etiam si sit à minore parte, asserit Pass. *loc. cit. n. 56.* argument. *c. scriptum.* eò quòd in casu contento in eo *cap.* qui elegerunt, erant ad summum 16. & qui postu-

postularunt, erant 32. & nihilominus decernitur, quòd si postulantes non fuerint 32. confirmetur electio illa facta à 16. Electoribus, qui certè non erant major pars Capituli. Idem tenere videtur Lott. *loc. cit. nu. 243.* ubi ex Butrio *in cit. c. scriptum. n. 40.* ait, sat esse pro electo dari aliquem excessum ultra tertiam partem suffragiorum, quam ineligibilis seu postulatus non attingit, citatque pro eodem Tholosan. *in comment. de elect. c. 2. num. 13.* Roman. *conf. 483. à n. 1.* & per sor. *part. 1. num. 4.* subjungit quoque Lott. *num. 244.* ex eodem Roman. *l. cit. num. 2.* & Baldo. *conf. 318. num. 1. l. 3.* hujus rationem, nempe quòd in isto casu lex ipsa transferat vota directà in personam ineligibilem, seu postulantium in personam eligibilem, & habilem, nempe electam à ceteris; quamvis *num. 245.* addat, quòd licet nihilominus Papa, si velit, possit admittere postulationem illam celebratam à non duplo majore numero seu parte, id tamen nunquam faciat, ubi concurrat electio, juxta *cit. c. scriptum.* pro quo citat Anchor. *in c. bona memoria. il. 1. de postul. & ibidem Abb. num. 12.* Tradunt nihilominus Laym. *in c. bona. 3. de postul. num. 5.* & ex eo Pirh. *ad tit. de postul. nu. 18.* quòd si duæ partes Capituli in postulationem aliqujus non consenserunt, sed major tantum pars postularit, & pars minor Capitularium elegerit alium, & tam hæc postulatio, quam electio superiori præferatur, is possit pro arbitrio, consideratis circumstantiis & qualitibus personarum, vel postulationem admittere, vel electionem confirmare, vel utramque rejicere, adeò, ut ne electo quidem in hoc casu jus aliquod acquiratur ante consensum confirmatoris. Rationem quoque addunt, nempe quòd licet aliàs regulariter potentia capitularis non possit residere in minore parte Capituli præsentis, si tamen postulantes, qui duas partes Capituli non faciunt, unà cum electione facta à minore parte aliorum Capitularium postulationem suam Superiori præsentent, eo ipso tacite censeantur consentire, ut vel postulatio eorum admittatur, vel aliorum electio confirmetur; cum sciant, quòd postulatio, quæ concorditer ab omnibus, vel saltem à duabus Capituli partibus facta non est, non admittatur, nisi ex speciali gratia, intellige, præ illa, cui aliàs, etiam postulatio facta à duabus partibus vel unanimiter, adhuc innititur. Ac denique hanc observationem adjicit Pirh. *in fine. cit. nu. 18.* quòd ut electio præferatur postulationi facta à minore parte Capitularium, quam duabus partibus, debere esse factam à majore parte, quam sit tertia pars, juxta *c. scriptum:* qualiter eo ipso erit facta, dum postulatio facta non est à duabus partibus, nisi fortè plures sint electi: Item quòd postulatio facta à minore, quam est tertia pars, admittenda non fit, juxta *c. bona. 3. h. t.*

Questio 210. Quid si postulatio facta à duabus partibus, sed qua postularunt indignum?

Respondeo: tam postulationem quam electionem cassandam, Pass. *num. 57.* electio quidem, quia non facta à majore parte (ubi enim electio non fit à majore parte, nunquam est confirmanda Pass. *num. 63.* citans gl. *in c. bona. 3. de postul. v. in tanta*) postulatio verò, quia est postulatio indigni: limitanda tamen responsio; nisi major pars illorù postulantium postulasset scienter indignum; quia tunc confirmanda est electio facta de digno;

quia postulantes scienter indignum perdiderunt jus suum. Pass. *cit. num. 57.* & sic electio digni erit adhuc à majore parte, qualis, ut Pass. *num. 63.* quotiescunque fuerit electio, semper est confirmanda.

Questio 211. An, & qualiter postulatio sit nulla, dum aliquis vocandus contemptus fuit?

Respondeo: si postulatio peracta est, non vocato aliquo, qui existit in possessione eligendi, vel postulandi, rescindenda est postulatio ad petitionem istius contempti, non secus ac contingit in electione; quippe electio & postulatio in jure æquiparantur quoad jus suffragii, & ideo, quod de uno statuitur, etiam statutum censetur de altero. Laym. *ad c. bona. 4. h. t. num. 3.* Pirh. *h. t. num. 23.* juxta *cit. c. bona. juncta gl. ibid. v. eis contemptis.* & Abb. *ibidem. num. 5.* idque sive contemptus ille interesse & vocari debuerit jure speciali, v. g. consuetudinis. Pirh. *loc. cit. cum Abb. l. cit. num. 6.*

Questio 212. An, & qualiter postulationes variare possint, seu resilire à postulatione jam facta?

1. Respondeo primò: postulatione etiam unanimiter facta & roborata jam subscriptionibus, missoque jam nuncio ad Superiorem, nondum tamen postulatione præsentata Superiori, variare possunt postulantes, & resilire, procedendo ad aliam postulationem, vel etiam electionem. Lott. *l. 3. q. 17. num. 222. & 223.* (ubi postulatio nullum jus postulato tribuit, nec illud quidem, ut ne postulantibus permittitur variatio) Pirh. *ad tit. de postul. n. 20. & 22.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 17. q. 4.* Tond. *qq. benef. p. 2. c. 4. §. 6. num. 7.* Laym. *in c. bona. 4. de postul. num. 6.* & *in c. aliquis. de elect. num. 7.* Barbof. *ad c. publicato. n. 3. de elect. Pass. de elect. c. 24. num. 16.* citantes Abb. *in c. bona. 3. num. 8.* & *in c. bona. 4. num. 10.* & *11. de postul. Sylv. v. postulatio. num. 8.* & alios quamplurim, juxta *cit. c. bona. 4. h. t.* jus enim, ut dictum, quælitum non est postulato per postulationem; generalis autem regula est tradita ab Abb. *loc. ult. cit.* quòd variare sive consilium mutare liceat, si jus alteri nondum quæsitum est. Pass. Pirh. Lott. *ll. cit.*

2. Proceditque responsio, etiam si postulatio, facta per scrutinium, illudque jam publicatum sit; quin &, ut addit Pass. facta fuit communis postulatio, adeoque postulatio completa. Pirh. Laym. Pass. *ll. cit.* contra gl. *in c. bona. 4. h. t. v. diffidere,* quia neque per hoc jus ullum acquisitum adhuc postulato, vel etiam Superiori. Aliud proinde hac in parte est de electione, per quam jus acquiritur electo; uti & ex eo, quòd actus electionis procedat secundum jus commune ex debito officii, ac proinde dum is semel legitime præstitus, sive dum suffragia legitime data & publicata sunt, resilire dein non licet, juxta *c. publicato. de elect.* actus verò postulationis tendat ad gratiam & dispensationem impetrandam contra juris communis tenorem; nemo autem gratiam & dispensationem petere cogatur; & reditus ad juris communis formam communiter sit permittus. Laym. *loc. cit.* Pirh. *n. 20.* cum Abb. *loc. ult. cit. num. 11.*

3. Item procedit, etiam si Electores postulationem jam præsentasset postulato, & is consensisset modo, quo potest; nulla enim hic intervenit donatio; nam neque ex primaria intentione postulantes donant

donant postulationem (quæ est non det jus ad prælaturam, parat tamen viam, & dare videtur quasi posse proximum, dignum æstimatione, adeoque si donetur, & donatio acceptetur, ea sit irrevocabilis) postulato: neque postulatus & postulantes paciscuntur ad invicem, & hi se illi obligant (unde postulatus, si consensisset, potest denuò non præsentatâ adhuc postulatione Superiori dissentire, & contrâ) sed agunt postulantes requirentes hujus consensum (qui eatenus solum requiritur, quatenus ad obtinendam gratiam necessarium est, ut postulatus postulationi non dissentiat) directè ad bonum Ecclesiæ, cujus proinde intuitu variare possunt ad bonum Ecclesiæ. Pass. loc. cit. num. 17. cui consentire videtur Engels ad b. r. num. 4.

4. Item procedere responsum, etiam si postulantes promiserint postulatione se non recessuros, eò quòd re adhuc integrâ, postulario debeat esse libera, ex Bald. ad c. postulationem. de postul. num. 5. tradit Pass. num. 17. unde etiam, si electores sub hac spe fecissent postulationem ordinari, & postea tamen elegerint alium, valituram illam electionem, quia adhuc per illam postulationem nullum jus quæsitum postulato, ibidem tradit Pass. juxta gl. in c. Ofius. §. sed aliud. d. 61. cui favere ait Sylv. v. postulatio. num. 9. & Abb. in c. bona. 3. de postul. num. 16. In quo tamen casu variantes tenebuntur tali ordinato providere de subsidio, unde honestè vivat, si promiserint illi se non variaturos, & sub hac spe induxerunt eum, ut ordinaretur, & tamen variarunt. Pass. num. 21. citans c. pastoralis. de jurep. & gl. in c. Ofius. d. 61. quamvis addat Pass. unâ cum electoribus illis variantibus teneri quoque Episcopum ad illi providendum, quippe qui illum ordinavit sine titulo; secus verò esse, seu teneri ad hoc solum Episcopum, dum electores non fuerint illius ordinationis causa, ubi nimirum ipse postulatus spe admissionis, postulationis fecit se ordinari, quippe sciens postulantes posse recedere à postulatione.

5. Limitanda nihilominus etiam responsum, ut in hoc casu necdum præsentatâ postulatione in foro conscientie sine justa causa recedere à postulatione nequeant Electores (etsi id faciant validè) eò quòd quidquid fit sine rationabili causa, peccatum sit, & insuper facile contingere possit, ut variatio talis facta sine causa justa sit in præjudicium honoris & reputationis postulati; in quo casu variantes tenentur postulato de injuria, quam ei inferunt. Pass. loc. cit. num. 19. citans gl. in c. bona. 3. de postul. v. in tanta. Bald. in c. publicatio. de elect. num. 5. præterquam, ut idem ex Barbof. ad cit. c. publicatio. num. 4. & juxta Rotam dec. 33. num. 18. de preb. in antiqu. puerile sit, hodie concedere, & cras poenitere.

6. Respondeo secundò: postquam tamen postulatio præsentatâ Superiori est, variare nequeunt postulantes, sed expectare debent judicium illius. Laym. ad c. bona. 4. de elect. num. 6. Lott. l. 3. q. 17. num. 224. ex Archid. Pass. cit. c. 24. num. 18. Barbof. juris Eccles. l. 1. c. 19. num. 13. & 14. Pirh. cit. num. 20. & 21. juxta expressum textum cit. c. bona. §. non obstat. Idque tam ob reverentiam Superioris (pro ut constat eo, quòd Papa cit. c. bone. dicat: si possent recedere postulantes, nobis frequenter illuderent, & judicium nostrum ab eorum pendere arbitrio videretur) quam quia res tunc amplius integra non est, sed intravit jus Superioris ei jam quæsitum admittendi, si velit postulationem. Pass. loc. cit. possunt tamen & in hoc casu mutare, seu resilire Superiore illo consentiente; eò quòd tunc neque Superiori inrogerur irreveren-

P. Leuren. Fori Benef. Tom. II.

tia nec etiam injuria, uti nec postulato, utpote cui nullum adhuc quæsitum jus per præsentationem postulationis factam Superiori, Pass. cit. num. 18. citans Abb. in cit. c. bona. num. 12. & 23. Sylv. v. postulatio. num. 8. Pirh. l. cit. num. 22. Argumento cit. c. bona, in quo præsentata erat Papæ postulatio, & tamen is dedit potestatem ab ea recedendi sub certa conditione, si differrent de jure suo.

Questio 213. Quid si postulatus fecit impensas aliquas de consensu postulantium, an tenebuntur postulantes eas refundere, dum à postulatione recedunt?

Respond. affirmative. Pass. cit. c. 24. num. 20. cui consentit Engels loc. cit. contra Abb. in c. bona. 3. num. 16. & c. bonæ. 4. num. 13. de postul. Sylv. v. postulatio. num. 9. hoc nixos fundamento, quòd, cum postulatus nullum jus haberet ad postulationem, neque vi illius ad Prælaturam, ambitiosus fuit, si propterea expensas fecit: verum contrariam rationem opponit Pass. nempe quòd postulatus neque notari debeat ambitionis, si procuret admitti postulationem; cum ipse se hac ratione non intrudat in illo negotio, sed vocatus à Capitulo, adeoque etiam præsumptivè à DEO; neque etiam, etsi in hoc fuisset ambitiosus, per hoc amiserit jus ad pecuniam, quam expendit pro negotio, quòd erat negotium etiam postulantium, de quorum consensu fecit expensas; quique variando fuerunt causa, quòd postulatus inutiliter expendit, & sic variando intulerunt ei præjudicium expensarum; at non licet mutare in præjudicium alterius, juxta reg. mutare. de reg. juris. in 6. adeoque tenentur ad restitutionem illarum expensarum.

Questio 214. An, & qualiter postulatio jam facta sit publicanda?

Respondeo: necessaria est aliqua publicatio, per quam etiam populo innotescat postulatio, ut pro suo interesse agere possit apud Superiorem, & contra postulationem excipere, si judicetur non idoneus Ecclesiæ. Pass. de elect. c. 24. num. 22. contra Sylv. quatenus is vult, postulationem debere publicari Capitulo, non tamen populo; quantumvis tolerari possit consuetudo, ut ea etiam coram populo sollemniter debeat publicari.

Questio 215. An, & intra quod tempus postulantes teneantur præsentare postulationem de eo factam, & hoc explicare mentem suam circa illam?

Respondeo: tenentur postulantes hanc præsentationem facere intra terminum juris, hoc est, præfixum aliàs ad præsentandam electionem electo, de quo cap. sequente. Et postulatus tenetur intra mensem suam explicare mentem, eo modo, quo potest, & ei licet, dicendo nimirum, saltem, quòd non dissentit, vel quòd dissentit. Pass. de elect. c. 24. num. 12. juxta c. quam sit. de elect. in 6. & gl. in c. cipientes. §. denique. v. consensum. de elect. in 6. Cum enim finis legis statuta in c. quam sit. fuit, ne Ecclesiæ obdiuturnam vacantiam patiantur detrimentum, lex illa ad omnem vacantiam & modum providendi Ecclesiæ vacanti se extendit, adeoque etiam sub nomine electionis, quo nomine utitur dicta constitutio, venit etiam postulatio, quæ loco electionis succedit, & cadit sub eadem constitutione. Pass. ibidem.

Quaestio 216. An, & qualiter postulator consensus suum postulationi sua debeat, aut possit prestare?

1. **R**espondeo primò: non tenetur consentire. Pass. cit. num. 12. juxta expressum textum *c. cupientes, §. denique, de elect. in 6. ubi: nec suis postulationibus prestare consensus &c. teneantur*: cum enim per postulationem postulator non queratur jus, non est, unde necessitetur ad consentiendum, ne jus amitrat, cujus contrarium est in electione: Et cum postulantes ipsi non consentiant in postulatam absolute, cum id facere nequeant, quia postulator, utpote impeditus, sine dispensatione esse non potest sponfus Ecclesiae illius; neque ex hoc est, cur postulator praebere teneatur consensus suum absolute, atque ita non tenetur consentire. Pass. *ibidem* cum cit. Gl. & Gemin. *ibidem* num. 2. Tamen autem postulator intra mensem nec consentiendo, nec dissentiendo non incurrat poenam latam in *c. quam sit, de elect.* quae est privatio juris acquisiti in electione; cum jus nullum ex postulatione acquirat; potest tamen superior ex hac ejus negligentia accipere morivum, ut neget gratiam, & postulationem non admittat; quia ex ea negligentia praesumitur dissentire, & amisisse etiam illud tale quale jus aequitatis, quia aequum & honestum est postulationem legitime factam admittere. Pass. *l. c. n. 15.*

2. Respondeo secundò: potest tamen, si vult, consentire, non quidem consensu absoluto; cum non possit esse sponfus illius Ecclesiae, ad quam postulator, sine dispensatione (& de hoc consensu intelligendus est loqui Abb. dum *in c. fin. b. r. n. 11.* negat postulatam posse consentire: Item *Lott. l. 3. q. 17. num. 229.* ubi ait: *reciprocatio consensus, qua datur inter electum & Electores, non potest dari in actu postulationis, cum postulatori insit impedimentum, ne consentim valeat consentire; adeo ut intelligatur non habere liberum voluntum, praecipue, ubi postulator is, qui Ecclesia est alligatus) sed sub conditione, seu quantum in se est; cum enim jam sit vocatus à Capitulo eum postulante, adeoque etiam praesumatur vocatus à DEO, hoc modo consentiendo, non erit ambitiosus. Pass. num. 13.*

3. Respondeo tertio: potest etiam absolute dissentire postulationi de se factae, quidquid sit de eo, quod quandoque in foro conscientiae, propter speciales circumstantias hic & nunc teneatur non dissentire, vel etiam Papae praecipienti, ut admittat postulationem, sitque Praelatus, assentiri juxta *D. Thom. 2. 2. q. 182. a. 2.* Pass. num. 14. Porro intelligenda haec ipsa etiam de Episcopo ad aliam Ecclesiam postulato; nec recte dicitur de eo specialiter, quod nec consentire, nec dissentire possit. Pass. cit. num. 14. & apud eum Archid. & Gemin.

PARAGRAPHVS III.

De iis, qui postulare & postulari possunt.

Quaestio 217. Quinam postulare possint?

1. **R**espondeo: regula generalis est, ut omnes, qui eligere possunt, possint & postulare. *Pirh. ad tit. de postulat. nu. 17.* Pass. *de elect. c. 24. num. 7.* citans *Hofst. in sum. tit. de poss. n. 9.* Sylv. *v. postulatio. num. 4.* Barbof. *ad c. bona. 4. de postul. n. 5.*

Castell. de elect. c. 2. num. 2. &c. juxta *cit. c. bona. de c. innovat. de elect.* postulatio enim est accessoria ad electionem, tendens ad eundem finem cum electione, & in ejus supplementum inventa. *Pirh. loc. cit.* unde etiam conditiones necessariae ad hoc, ut quis legitime eligere possit; sunt quoque necessariae ad hoc, ut legitime postulare possit; & qui indignus ad eligendum, etiam indignus est ad postulandum. Pass. *loc. cit.* citans Bald.

2. Item compromissarius datus ad eligendum, intelligitur etiam datus ad postulandum. Pass. *loc. cit.* citans gl. in *c. in causis. v. postulatio. de elect. ex Bald. ibid. num. 5.* Tamen autem procurator datus ad eligendum possit quoque postulare; non tamen procurator datus ad prosequendam electionem potest prosequi postulationem; quia datus est ad petendam & urgendam justitiam, non vero gratiam, & nequit procurator extendere mandatum suum ad diversum genus causae. Pass. *loc. cit.*

3. Proinde etiam regulariter jus eligendi sine jure postulandi & iisdem modis, quibus obtinetur jus eligendi, obtinetur & jus postulandi. *Pirh. loc. cit.* & sic praescribens jus eligendi, praescribit etiam jus postulandi. *Pirh. Pass. l. cit.* citans Abb. in *c. bona. 4. de postul. num. 4.* Eris, qui per plures actus eligendi adeptus directe possessionem juris eligendi, indirecte seu ex consequente & ratione alterius, nempe juris eligendi, obtinuit quoque possessionem juris postulandi, & si actum nullum postulandi exercuit; eo quod hunc exercendi non fuerit occasio. *Pirh. cit. num. 17.* quamvis secus esset, si talis, v.g. qui non est de Capitulo, admittus ad actus eligendi, non ex mera gratia, sed tanquam cui jus competeret, tunc, quando erat occasio postulandi à postulatione exclusus fuisset: Quare etiam per accidens dari in eo jus eligendi sine jure postulandi, tradit *loc. cit. Pirh.*

4. Porro praescribitur jus postulandi non secus ac jus eligendi, nimirum tempore ordinario, scilicet 40. annorum cum titulo, saltem colorato, si ve si praescribatur contra Capitulum ab extraneo, qui non est de Capitulo (siquidem hujus juris possessio non acquiritur, nisi cum patientia, & scientia Capitularum, quae est loco tituli) & bona fide, nimirum, dum dictus extraneus credit ratione, v.g. dignitatis, quam habet, competere sibi hoc jus. *Laym. in cit. c. bona. 4. num. 2.* citans seipsum *Theol. moral. l. 3. tr. 1. c. 9. num. 5. & 6.* & Abb. in *cit. c. bona. num. 20.* *Pirh. loc. cit.* tamen forte, qui praescribit, uni tantum electioni tanquam jus habens intertuerit; quia electus praelatus 40. annis Ecclesiam rexit. *Laym. l. cit.* citans gl. in *c. 3. de caus. poss. & propriet. v. in trium*: De cetero sine titulo non praescribi, nisi tempore immemoriali, juxta *c. 1. de praescript. in 6.* eo quod in illo casu jus commune rehitat, & est praesumptio contra talem extraneum possidentem, tradit *Pirh. loc. cit.*

Quaestio 218. In genere, quinam postulari possint, vel non possint?

1. **R**espondeo primò: generatim loquendo, illi solum postulari possunt, qui ob impedimentum canonicum (intellige juxta mox dicenda dispensabile) eligi non possunt; siquidem ob carentiam talis impedimenti hoc ipso postulari non debent, nec possunt; cum postulatio in subsidium electionis introducta sit, frustra autem petatur, ut ex gratia & per dispensationem admittatur ad praelaturam,

laturam, qui sine illa ad eam promoveri potest. Pih. *ad cit. de postul. num. 4.* Pass. *de elect. c. 24. n. 24.* citans *gl. in c. unic. de postul. in 6. v. eligo.* Bald. *in rubric. de postul. num. 3.* Tabien. *v. postulatorio. num. 1.* Abb. *in cit. c. fin. num. 10.* Sicut è contra postulabilis eo ipso eligi non potest; cum patiatur impedimentum reddens eum sine dispensatione impro- movibilem. Pass. *ibid.* & citati ab eo AA. Estque proinde postulatio eligibilis hoc ipso invalida, juxta Abb. *loc. cit.* ed quod Electores teneantur providere Ecclesiæ omni meliore modo, quo possunt, adeoque personam eligibilem eligere, quamvis id neget Bald. *loc. cit. num. 4.* ed quod in hoc casu non sint attendenda verba (dum magis realitatem actus, quam vocabuli inspiciamus). *pater. §. conditio- num verba. ff. de condit. & demonstrat.* sed qualitas personæ, adeoque dum eligibilis solemniter postu- latur, servatâ tamen formâ *cap. quia propter*, hæc postulatio reipsa habenda sit pro electione; quod tamen ipsum sic censere, seu judicare arbitrium esse Judici, credit Pass. *cit. num. 24.*

2. Quod si tamen rationabile est dubium, num persona sit eligibilis, vel necesse habeat postulari, posse eam postulari validè, & esse hanc viam secu- riorè, tradit Pass. *loc. cit. num. 25.* cum *gl. in c. fin. de postul. & gl. in c. unic. eod. v. probabitur.* Idque procedere ait, non solum, dum dubium est facti, v. g. dubitatur de ætate promovendi; sed etiam dum dubium est juris, saltem si ortum habeat ex ignorantia (quamvis & ignorantia juris sæpe excu- set, maximè mulieres) sed ex obscuritate juris vel contrarietate opinionum DD. contrarium tenen- te. *gl. in cit. c. unic.* ed quod ignorantia juris non excuset eligentes, nec sit probabilis; tum etiam, quia in eo casu Electores consulere debebant peri- tores. Porro quâ formulâ in hoc casu dubii uti de- beant Electores, & qualiter tunc electus & cumu- lativè postulatus tempore consensus dandi debeat eligere, aut viam electionis, aut postulationis, di- ctum est supra: vide de hoc Pass. *num. 26.*

3. Respondeo secundò: non tamen omnis ineli- gibilis est postulabilis, sed solum is, qui ob impedi- mentum canonicum, in quo potest, & solet dispen- sari, ineligibilis est: inutilis enim aliàs & illicita est postulatio, si impedimentum, ob quod eligi ne- quit, est indispensabile. Pass. *loc. cit. num. 27. & 28.* Pih. *loc. cit. num. 5.* Laym. *in p. xamb. ad tit. de po- stul. coroll. 2.* Impedimentum autem, in quo dispen- sari potest, ac solet in ordine ad obtinendam præla- turam, in genere hic illud est, quod non impedit, quò minus postularus adhuc cum utilitate, hone- state, & ædificatione præfici, & prælati munus obire possit: Econtra impedimentum indispensabile est, quod impedit, quò minus honestè aut utiliter geri & exerceri possit munus, ad quod quis pro- movetur. Pih. *loc. cit.* citans Abb. *in cit. c. fin. n. 8.* Prioris generis sunt defectus natalium, defectus ætatis legitimæ, Ordinis, ut dum postulatur laicus, vel dum non nisi constitutus in minoribus postula- tur ad Episcopatum, vinculum contractum cum alio Episcopatu. Laym. *loc. cit.* Barb. *juris Eccl. l. 1. c. 19. num. 9.* Pih. *cit. num. 5.* Pass. *num. 31.* superad- dens & alia, nempe dum postularus est criminofus pœnitens, dum fuit hæreticus, intrusus per sæcula- rem potentiam, irregularis irregularitate simili, ac est illegitimitas, seu dispensabili. Plura hujus gene- ris impedimenta recensentur à Jo. Andr. *in cit. c. fin. 2. n. 4.* ad quem remittit Pih. Item ab Abb. *ibid. n. 3.* Barbof. *juris Eccl. l. 1. c. 19. n. 9.* Lavor. *cit. 4. de P. Leuren. Fori Benef. Tom. 11.*

elect. c. 14. num. 5. Castell. *de elect. c. 7. num. 5.* Sylva. *v. postulatorio. num. 3.* & aliis, ad quos remittit Pass. Posterioris generis sunt defectus usûs rationis, ca- rentia omnis literaturæ, infamia morum, notoria criminofitas, impœnitens & contumax, hæresis, ex- communicatio, &c. quæ vel obstante jure naturæ & divino, aut ex natura prælaturæ sunt indispen- sabilia. Pass. *cit. num. 28.* uti & bigamia, illegitimi- tas ex damnato concubitu, ut dum promovendus est spurius; in quibus etsi absolurè possit, non tamen solet dispensari, Pih. Laym. *ll. cit.* juxta *cap. cum nisi. de renunc.* Item tale impedimentum, in quo dispensari non solet, habet respectu Episcopatus, qui annum 27. ætatis necdum attingit, juxta *Extrav. unic. inter commun. de postul.* Itè religiosus ex Ordine mendicantium respectu Ecclesiæ inferioris Cathedræ, juxta *cit. Extrav. Laym. loc. cit.* huc etiam spectant, qui interdictum loci scienter, aut temerè violaverunt, qui nec eligi, nec postulari possunt, ut constat ex *c. 1. h. t. Pih. num. 6.*

4. Quod si tamen ob tale impedimentum, in quo dispensari quidem absolurè potest, sed non so- ler, ineligibilis postulareretur, postulationem non fore ipso jure nullam, uti nec postulantès prop- rea incurfuros pœnam statutam aliàs postulantibus indignam, ed quod talis postularus indignus, ab- solurè adhuc ex gratia reddi possit dignus, tradit Pass. *loc. cit. num. 30.* Item Engels *ad hunc tit. n. 10.* ubi, si indignitas sit quidem dispensabilis, atamen non solet dispensari (quod ex stylo Curiæ desu- mendum) tunc postulatio non est ipso jure nulla; sed per sententiam annullanda; neque pœna pri- vationis ipso jure incurritur, licet, ut addit En- gels, vi *Extrav. ad regimen. de præb. inter commun. & concordat. German. §. 2. dignitates illæ, in quibus postulationes hæc tanquam factæ minùs canonicè referentur Sedi Apostolicæ: Contrarium tamen expresse censet quodam postremum Laym. loc. cit.* ubi ait: *sub censura suspensionis à jure eligendi, & postulandi pro una vice, & à beneficiis ejus Ecclesia per tri- ennium prohibitum legitur in Extrav. unic. inter com- mun. h. t. ne ad Ecclesiam Cathedralè postuletur, qui 27. ætatis annum non attingit; neque Religiosus ex Ordine mendicantium ad Ecclesiam inferiorem Cathedrali &c. qui sunt defectus, in quibus non solet dispensari.*

Quæstio 219. Quenam igitur sint pœna postulantium scienter indignum ob impedi- mentum, seu defectum absolurè indispen- sabilem?

1. **R**espondeo: illos pro ea vice ipso jure, seu fa- cto privatos esse jure seu potestate postulan- di & eligendi, Argumento *c. 1. & 2. h. t. & c. scriptum. de elect. Barbof. juris Eccl. l. 1. c. 19. num. 7.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 17. q. 6.* Laym. *in c. ad hæc h. t. num. 5.* Pih. *ad h. t. num. 7. & 17.* Pass. *de elect. c. 24. num. 17.* cum *gl. in c. 1. h. t. v. privare.* Abb. *ibidem. num. 31.* hæc enim pœna statuta est eligentibus scienter indignis in *c. cum in cunctis, de elect.* quam dein pœnam ex- pressè quoq; pro postulantibus scienter indignum statuit Innoc. III. *c. 1. h. t.* non tam condendo per hoc jus novum, quam antiquum illud interpretan- do. Tamen enim aliàs regulariter pœnæ tanquam odiosæ non sunt extendendæ; quia tamen electio & postulatio in jure æquiparantur, utpote tenden- tia ad eundem finem providendi Ecclesiæ vacanti, ideo, quod (etiã si sit in materia pœnali) statu- tum de uno, censetur quoque statutum de altero in

eo, in quo sunt æquiparata. Laym. Pirh. *loc. cit.* citantes gl. in c. si postquam. de elect. in 6. v. provisione. Navar. in c. pena. num. 12. & 14. dist. 1. de penit. Neque in contrarium facit, quod tametsi sponsalia & matrimonium tendant ad eundem finem, ideoque prohibito vel irrito matrimonio inter certas personas sint quoque hoc ipso prohibita vel irrita sponsalia; non tamen pœna statuta contrahentibus matrimonium prohibitum extendatur ad contrahentes sponsalia prohibita; nam electio & postulatio in jure æquiparantur, etiam quoad pœnas, idque jure expressum est, non item matrimonium & sponsalia. Pirh. *loc. cit.*

2. Pœrò hæc pœna privationis seu suspensionis pro una vice à jure eligendi & postulandi probabilis quoque locum habet in eligentibus (idem est de postulantibus) indignum ad prælaturas & dignitates Episcopatu inferioribus. Laym. in c. cum in cunctis. de elect. num. 3. citans gl. in c. dudum. de elect. v. in Ordinibus. & Abb. *ibid.* num. 11. contra Jo. And. additque Laym. nu. 4. id saltem certum esse, quod, si Capitulum, v. g. Collegiatæ secularis aut regularis Ecclesiæ indignum eligant prælatum, Episcopus pro ea vice privare possit Electores, & ipsemet jure devolutionis facere provisionem, ut constare ait, ex cit. c. dudum. & c. quanquam. de elect. Rationem quoque addit Laym. quia nimirum spectatâ rei naturâ omnibus Electoribus (idem est de postulatoribus) personæ indignæ ad Prælatum congruit, & debita sit ista pœna; tum, ut in eo puniantur, in quo deliquerunt; tum quia, saltem pro ea vice ob præsentem affectionem, & animum dispositionem non satis dispositi censentur ad bonam & Ecclesiæ utilem electionem faciendam.

3. Respondeo secundò: illos insuper suspensos esse à beneficiis, quæ in ea Ecclesia, pro qua, seu in qua fit postulatio, per triennium, Extrav. unic. h. t. inter commun. Laym. in præamb. ad h. t. coroll. 2. & in c. cum in cunctis, de elect. §. Clerici sanc. n. 1. ubi etiâ num. 2. subjungit, hæc pœnam suspensionis à beneficiis incurri solum ab iis, qui indignum eligunt (vel postulant) ad Ecclesiam Cathedralis; non verò ab iis, qui indignum eligunt, non ad Cathedralis, sed inferiorem Ecclesiam seu prælaturam, juxta c. si compromissarius. de elect. in 6.

4. Proceditque utraque hæc pœna seu suspensio, & quidem à potiore, etiam in iis, quibus potestas eligendi vel postulandi ex privilegio concessa fuit, vel etiam amissa (v. g. ob electionem vel postulationem factam de indigno) restituta, si postulent, vel eligant denuò indignum; cum qui concessio sibi privilegio abuteretur, mereatur illud amittere, illoque privari, vel omnino, vel ex parte, juxta cap. ubi. 7. d. 74. & c. cum illorum. de sent. Excomm. Et privilegium, per quod restituitur, seu recuperatur jus commune amissum, non plus tribuat, quam amissum sit, adeoque, si ii, quibus de jure communi competit eligere & postulare, dictam pœnam incurrant, dum indignum postulant, multò magis dum id faciunt illi, quibus illa facultas ex privilegio concessa, vel restituta. Pirh. num. 28. Laym. in c. 2. h. t. n. 1. cum Abb. *ibid.* num. 2. in quo c. 2. manifestum hujus rei est exemplum. Et licet aliàs regulariter abutens privilegio sibi concessio non ipso facto eodem privatus existat, sed per sententiam eo privari possit, ac debeat Argumento citati cap. ubi. & ut cum communi tradit Suar. l. 8. de leg. c. 36. n. 8. id tamen speciale privilegio, per quod acquisita, vel recuperata facultas aliàs jure communi con-

cessa, ut ipsius abusus ex jure communi ipso facto annexa sit privatio illius. Pirh. Laym. *loc. cit.*

Quæstio 220. An, dum Capitularium aliqui ob dictam causam ipso facto privati sunt potestate eligendi & postulandi, tota hæc potestas ad alios, qui indignæ tali postulationi non consenserunt, sed expresse contradixerunt, (si enim tacuerunt, & non contradixerunt, sicut debuerunt, & potuerunt, non habentur pro innocentibus. Abb. in c. 2. h. t. licet numero sint pauciores, devolvatur?

Respondeo affirmativè. cit. c. 2. habetur etiam in c. bona. & c. cum Vintoniensis. de elect. quod exclusis delinquentibus potestas tota resideat in aliis, qui non peccaverunt. Pirh. *loc. cit.* num. 29. Verumque id etiam est, etiam si tantum unus è Capitularibus innocens supervit, aliis omnibus privatis, ut is solum prælatum eligere vel postulare possit. Gl. communiter recepta in cit. c. 2. v. pauciores, apud Pirh. *loc. cit.* jus namque & nomen Universitatis stat, & conservatur etiam in uno. l. sicut. ff. quod cujusque universit. nomine &c. Et licet unus non faciat Capitalium, jura tamen Capituli in uno solo residere & remanere possunt. Gl. in c. 1. de elect. v. duo. Abb. in c. gratum. h. t. cum communi, potestque unus solus, in quo hoc modo habitaliter seu virtute manet Collegium, exercere actus competentes Collegio, ut est eligere, postulare prælatum; non tamen seipsum eligere vel postulare; quia hoc ipso ob vitium ambitionis censetur indignus. Abb. Pirh. *loc. cit.* his non obstante l. si grege. ff. de legat. ubi dicitur gregem desinere, uno tantum animali ex grege remanente, nam in tali universitate pecorum non dantur jura vel bona, nec adest in ea subiectum rationale, in quo conservetur jus universitatis talis. Quod verò aliàs ob delictum majoris partis alicujus communitatis tota communitas, adeoque & ipsi innocentes puniri possunt ac soleant; id solum verum est, si crimen atrox à majore parte Collegii collegialiter conveniente ad deliberandum & decernendum de crimine commissum, pœnæque statuta crimini est talis, ut in singulos cadere nequeat, v. g. spoliatio bonorum; communitas tamen delinquens tam sit magna, ut ægrè discerni possint innocentes à nocentibus; quia jam innocentes sunt veluti pars nocentibus; qualiter inseparabilis ab aliis. Pirh. num. 30. Argumento c. gratum. h. t. Vide de his plura cap. seq. ubi de eligentibus indignum. Nunc in specie de aliquibus, de quibus dubium esse poterat, num patiantur talem defectum, ob quem eligi nequeant, sed necesse habeant postulari. De aliis verò impedimentis tam impediens electionem, quam postulationem, vide partem 1. ubi de conditionibus & qualitatibus requisitis in promovendo ad beneficia ecclesiastica.

Quæstio 221. An Episcopi, Archi-Episcopi, Patriarchæ eligi nequeant, sed necessariò postulari debeant ad aliam Ecclesiam?

Respondeo affirmativè, estque electio talis omnino irrita. Laym. in cap. ult. h. t. num. 1. Pirh. ad tit. de postul. num. 9. Pass. de elect. c. 24. num. 33. Barbof. juris Eccles. l. 1. c. 19. n. 11. cum communi, juxta c. ult. h. t. sunt enim Episcopi (idem est de aliis prælatis Episcopo superioribus) jam spiri-

tuali

uali matrimonio copulati Ecclesie, ad quam primo assumpti sunt. *c. inter corporalia. de translatione. 6. sicut vir. 7. q. 2.* adeoque, sicut conjuges consentire nequeunt in alium matrimonium, ita nec Episcopus desponsatus jam uni Ecclesie desponsari alteri, & in aliam consentire, uti fit per electionem, priusquam auctoritate Papae priori vinculo sit liberatus, AA. iidem. Postulari tamen potest Episcopus ad aliam Ecclesiam; cum nec postulantes in postulatum tanquam in sponsum consentiant, uti faciunt eligentes, nec postulatus in Ecclesiam posteriorem tanquam sponsus prius consentit, eique desponsetur, quam a prioris Ecclesie vinculo sit liberatus; quod ut fiat, per postulationem petitur ab eo superiore, qui à Deo hanc potestatem dissolvendi hoc spirituale conjugium accepit. Laym. Pirh. *loc. cit.* cum Abb. *in cit. c. ult. h. t. n. 5.* Quin & Episcopus consecratus, si postulatus sit ad aliam Ecclesiam cathedralem, ita exigente utilitate vel necessitate Ecclesie, etiam invitatus cogi potest à Papa ad illam acceptandam juxta *c. 35. 7. q. 1.* Secus est de Episcopo non consecrato, Pirh. *n. 10.* quamvis hodie una cum postulatione alia dispensatio à Sede Apostolica impetrari soleat, nempe ut priorem Episcopatum retineat, & sic indissoluto priore vinculo novam insuper sponfam cum priore, seu plures Episcopatus retineat, & in digniore, seu ampliore residat Laym. *loc. cit.* Pirh. *n. 10.*

2. Extenditur autem responsio ad Episcopum confirmatum, etsi nondum consecratum; per confirmationem enim perficitur matrimonium illud Episcopi cum Ecclesia, licet non intelligatur veluti consummatum, nisi per consecrationem, Pass. Pirh. Laym. *loc. cit.* cum Abb. *loc. cit.* Extendenda etiam censetur ad Episcopos, & quidem à potiore, utpote consecratos, qui Suffraganei seu nullatenes dicuntur, quippe qui & ipsi non minus copulati suae sponsae seu Ecclesie, & si ea sub potestate infidelium consistat.

3. Limitanda è contra Responsio, ut non intelligatur de Episcopo electo nondum confirmato; quia talis necdum simpliciter est sponsus, sed solum per electionem ab eo acceptatam inchoatum veluti est matrimonium inter illum & Ecclesiam, *c. cum inter. de elect. & gl. in c. unic. h. t. in 6. v. vera electio.* Ac proinde sine licentia Papae ante confirmationem adhuc renunciare potest electioni acceptata. *c. si electio. de elect. in 6.* Laym. *loc. cit. n. 2.* Pass. *loc. cit. n. 36.* Pirh. *loc. cit. n. 10.* Item ut non intelligatur de Episcopo etiam consecrato, qui jam renunciavit Episcopatu; cum per renunciationem talem admissam solum jam sit vinculum cum priore Ecclesia; adeoque jam eligi denuo possit in Episcopum alternis Ecclesie. Pirh. Laym. *loc. cit.* Pass. *n. 35.* citans Abb. *ubi ante. Biax. de elect. p. 2. c. 34. n. 4.*

Questio 222. Quid hac in re dicendum de Cardinalibus non Episcopis?

Respondeo: Ex hoc practice, quod quis Cardinalis sit, non debet, nec potest postulari solenniter ad Episcopatum, sed est eligibilis. Laym. *in c. bona. 3. de postul. n. 4.* Pirh. *ad tit. de postul. n. 11.* Pass. *n. 37.* citans Biax. *de elect. p. 2. c. 35. n. 4.* & juxta *c. Ecclesia vestra. de elect. & ibi Abb. & Joan. And. contra Barbol. juris Eccles. l. 1. c. 19. n. 9.* Azor. *p. 2. l. 4. c. 3. q. 15.* Secutos Ant. de Butrio *in cit. c. Ecclesia vestra. n. 16.* & Imol. *ibid. n. 4.* Host. Sylv. & c. cum enim nullibi jus Canonicum prohibeat Cardinalem assumi ad Episcopatum, sed solum veteret, ne Cardinalis Episcopatum acceptet, & ne Ecclesiam Romanam, cui ad-

strictus est quoad residendum penes illam, deserat sine licentia Papae, intervenire quidem necesse est postulationem simplicem (quod voluit Laym. *loc. cit.* iniquens; dicendum, quod electio Cardinalis in Episcopum quodammodo sit postulatio, quia electionem acceptare nequit sine consensu Papae) non verò solennem, cum Papa concedendo istam licentiam, jam non magis dispenseret, quam dum Abbas monacho dat licentiam, ut consentire possit electioni suae in Episcopum, Pirh. *loc. cit.* Laym. *loc. cit. n. 4.*

2. Nec obstat *cir. c. bona.* ubi dicitur: *quidam vestrum S. Praxedis Cardinalem, quidam Imolensem postularunt.* nam vel intelligendus hic textus de postulatione improprie tali seu simplici, ut Abb. *in cit. c. Pirh. loc. cit.* vel dicendum *quod postularunt,* respicere solum Imolensem, utpote Episcopum, qui proinde non poterat non postulari solenniter. Pass. *loc. cit. n. 37.* Neque etiam obstat, quod Cardinales sint majores Episcopis, habentque in Ecclesiis sui tituli jurisdictionem quasi Episcopalem; nam licet majores sint Episcopis ratione officii, utpote constituentes unum corpus cum Papa, & coadjutores ejus in executione sacerdotalis officii, *c. per venerabilem. qui filii sint legitimi.* Sunt tamen interiores illis ratione Ordinis. Pirh. *citato num. 11.* cum Abb. *in cit. cap. Ecclesia. num. 15.* quamvis nec hoc verum, quod eligendus necessario promovendi debeat ad dignitatem majorem, quamvis conveniens sit, ut sic fiat, Pirh. *loc. cit.* nec denique obstat, quod obstrictus sit Ecclesie Romanae, aut etiam Ecclesie sui tituli; hoc enim, ut dictum, solum arguit intervenire debere in ejus promotione ad Episcopatum postulationem simplicem; sed neque adhuc per hoc, ut Pass. Ecclesie alicujus proprie sponsus sit.

3. Occasione cujus & illud hic notandum, quod licet Cardinalatus & Episcopatus sint incompatibiles in eadem persona, nisi Papa dispenseret. Pirh. *loc. cit. n. 12.* citans Cajetan. *2. 2. q. 185. a. 5.* juxta *c. bona. 3. h. t. & Abb. ibi n. 6.* Idque propter impossibilem residentiam in propria Ecclesia cathedrali, & simul in Urbe Romana, ubi necesse habet residere cardinalis, ut Papae assistat, eumque consilium adjuvet, unde etiam ex usu & stylo Curiae Cardinali, qui in Urbe residere debet, Papa non consuevit Episcopatum conferre in titulum, sed in commendam, ut ex ejus fructibus decentius sustentetur, ut Fagn. *in cit. c. bona. n. 23.* nisi forte Episcopatus sit ex illis sex Urbis vicinis; adeoque jam dum Cardinalis assumitur ad Episcopatum, hoc ipso vacare deberet, & amitti Cardinalatus, sicut & alia beneficia incompatibilia, usu tamen & in praxi contrarium observari solet, ut Cardinalatus simul cum Episcopatu retineatur, nisi Papa aliter disponat; cum non deceat aliquem per electionem à majore dignitate ad minorem devolvi. Pirh. *loc. cit. n. 12.* Laym. *ad cit. c. bona. n. 4.*

Questio 223. Quid dicendum de aliis praelatis tam regularibus quam secularibus Episcopo inferioribus, puta, Abbatibus, Archidiaconis, Praepositis, Prioribus, dum ad alterius Ecclesie dignitatem similem vel majorem sunt assumendi?

Respondeo: postulari non posse postulatione solenni, sed eligi debere, licet eorum aliqui ad hoc egeant licentia superioris (quin & Abbas immediate subiectus Papae ad aliam Ecclesiam transire nequeat sine licentia Papae aut Legati à latere, ut Pass. *n. 39.* citans Bald. *in c. fin. h. t. n. 2.* & alios plures. Laym. *in cit. c. bona. n. 4.* juxta *c. si Abbas. de elect. in 6.* adeoque respectu eorum intervenire debeat postu-

lario simplex. Pith. loc. c. n. 13. Laym. cit. n. 4. de Abbatibus expresse Pass. n. 38. juncto n. 39. & 40. citans plures alios, juxta. cit. c. si Abbatem, & ibi Franc. Jo. And. & c. Siquidem tales praelati, quod minus eligi possunt impedimentum nullum habent canonicum: neque ut Pass. cit. n. 38. citato Abb. in c. fin. h. t. & gl. in c. si Abbatem, v. Abbatem, de elect. in 6. in ea, proprietate & rigore sunt sponsi suarum Ecclesiarum, sicut Episcopi.

Questio 224. Quid dicendum de Clericis non praelatis unius diocesis assumendis ad praelaturam alterius diocesis?

Respondeo qua tales praevis non possunt postulari, sed debent eligi, & in electionem absolute consentire possunt, etsi ad aliam alterius diocesis Ecclesiam transire nequeant sine licentia sui Episcopi, Pass. loc. cit. n. 41. citans Abb. in c. fin. h. t. num. 8. Sylv. v. postul. n. 3. Tabien. n. 2. Castell. de elect. c. 2. n. 5.

Questio 225. Quid dicendum de religiosis assumendis ad praelaturas intra vel extra suum ordinem?

1. Respondeo primo: religiosi ad praelaturas Episcopatu non inferiores eligi possunt, adeoque ad eas postulari non possunt; tamen sine licentia suorum Superiorum electioni de se factae extra ordinem consentire nequeant. c. si religiosus, de elect. in 6. Pass. loc. cit. num. 42. citans gl. in cit. c. v. electi, & Franc. ibid. n. 2. Abb. in c. fin. h. t. n. 8. Castell. ubi ante Sylv. & c.

2. Respondeo secundo: religiosi professi mendicantes postulari prohibentur ad Ecclesias cathedralibus inferiores, & ad monasteria extra suos Ordines, ita ut irrita sit postulatio talis, & scienter postulantes potestate eligendi & postulandi pro ista vice privati & suspensi per triennium ab omnibus beneficiis, quae obtinent in illa Ecclesia, ad quam hujusmodi postularunt. Extray. unic. h. t. inter communes, idem statuens, si postulatus sit alius 27. annum aetatis non attingens; ubi etiam vide poenas taliter postulati prosequeris postulatione in Curia Romana.

3. Respondeo tertio: tamen Joannes 22. in cit. extray. unic. h. t. prohibeat, ut dictum cujusvis mendicantium Ordinis religiosum ad monasteria extra suum Ordinem postulari; tamen etiam Clemens 5. in Clem. 1. h. t. prohibeat, ne religiosus aliquis in Abbatem vel Praelatum alterius religionis vel habitus eligatur; tradit tamen gl. in cit. Clem. v. eligatur. non prohiberi per hoc talem postulari ex causa; ita tamen, ut postulatio haec fieri debeat a Papa; cum aliam fieri poterat & admitti ab Episcopo. Idem cum gloss. sentit Laym. in c. monasterium, de elect. num. 1. sic quoque expresse Pass. loc. cit. n. 44. ait; professus unius Ordinis ad Praelaturam in alio Ordine postulari potest, citatque pro hoc Innoc. in c. fin. h. t. n. 4.

4. Respondeo quarto: nec tacite nec expresse professus ad praelaturam regularem postulari potest, non eligi. Lott. l. 3. q. 17. n. 156. ubi: defectus professionis in postulato ad praelaturam regularem nihil ducitur, quominus postulatio canonica sit, adeo ut simplex Eremita postulabilis reputetur. Pass. n. 43. ubi: novitius tacite saltem non professus ad praelaturam vel in proprio, vel in alieno Ordine eligi non potest. c. nullus religiosus, de elect. in 6. & gl. ibid. v. praelaturam. Abb. in c. fin. h. t. n. 8. Barbof. in c. monasterium, de elect. n. 2. Sylv. & c. potest tamen ad dictas praelaturas postulari, si ad hoc necessitas, & ipse in regula Ordinis sit sufficienter instructus.

Questio 226. An, qui non est de corpore, seu Capitulo vel conventu Ecclesiae vacantis, sed alterius, necesse habeat postulari, ita ut eligi nequeat in ejus Praelatum?

Respondeo: negative Laym. in c. bone. 4. h. t. n. 9. & in c. cum inter, de elect. n. 3. ubi: quod licet decessus & convenientius sit, ut aliquis ex ejusdem Ecclesiae corpore assumatur ad praelaturam, modò ad sit idoneus (cum indicium sit, in Ecclesia seu Collegii corpore non esse idoneum, si alienus seu extraneus promoveatur) id tamen necessarium non sit, cum tamen id principaliter cedat in favorem Capitularium, hi huic juri ac favori renunciare possunt, & ex alia Ecclesia personam idoneam eligere aut postulare (intelligè si forte alium defectum pateretur) & quidem laudabiliter, si id Ecclesiae suae utile videatur, citatque pro hoc Butrio in c. cum inter, n. 25. Abb. n. 8. contra gl. in cit. c. cum inter, v. aliam, & Imol. ibid. n. 4. verum de hoc infra, ubi, num extraneus eligi possit.

Questio 227. An invalide electus ob defectum, quo laborabat postulari de in possit?

Respondeo: qui personam indignam, seu laborantem defectu v. g. natalium, ignoranter elegerunt, mox errorem hunc suum coram gere possunt, eandem postulando: secus tamen esset, si scientes seu conscii istius defectus eam elegerint; essent enim tunc pro illa vice privati, ut nec postulare possent, Laym. in c. innotuit, de elect. n. 8.

PARAGRAPHVS IV.

De admissione postulationis.

Questio 228. Ad quem dirigenda postulatio, seu à quo petenda eius admissio?

1. Respondeo primo: postulatio simplex dirigenda ad omnes illos, quorum consensus necessarius, ac proinde requirendus ad hoc, ut quis praelaturam admittere possit, seu ut aliquis sit praelatus. Pass. de elect. c. 24. n. 46. juxta dicta superius.

2. Respondeo secundo: ad illum Superiorem dirigenda est postulatio solennis, seu ad illum spectat illius admissio, cujus aliam est confirmare praelatum electum; siquidem admissio postulationis vim habet confirmationis, electionis, ejusque loco succedit, modò tamen is Superior dispensare possit, & auferre inhabilitatem, propter quam postulatus erat in eligibilis ad praelaturam. Laym. in praed. ad cit. de postul. coroll. 3. Pith. ad tit. eundem. n. 14. citantes Abb. in c. fin. h. t. num. 10. Unde jam Episcopus ad alium Episcopatum à solo Papa postulatur; cum cessio & translatio Episcoporum, uti & eorum pluralitas in eadem persona concedenda soli Papa reservatur. Laym. Pith. ll. cit. Sic postulatio ad praelaturam, v. g. curatam ex praescripto Trident. requirentem annum 22. aetatis completum dirigi non potest ad Episcopum, aut ab eo admitti, dum postulatus eam aetatem non complevit, & aliam jus confirmandi electum ad illam dignitatem spectaret ad Episcopum; cum hic in aetate jure communi requisita ad Ordines vel beneficia dispensare nequeat. A. A. idem.

3. Infertur quoque ex his; duo requiri in Superio-

ze ad hoc, ut legitime ab eo admitti possit postulatione, nempe potestatem dispensandi in impedimento, propter quod postulatus eligi non poterat, & jus confirmandi alias electum ad illam dignitatem, quorum duorum requisitorum primum non statim infert secundum; separari enim possunt ab invicem, & potestas in eo defectu dispensandi in esse v. g. Episcopo, jus verò confirmandi electum ad illam prælaturam hic & nunc ex privilegio aut consuetudine præscripta spectare ad alium inferiorem prælatum: quare minus rectè pronuciare videtur Pass. loc. cit. & cum eo Azor. p. 2. l. 6. c. 17. q. 5. unicam hanc servandam in hoc regulam, ut nimirum postulatione fiat ad Superiorem, qui potest dispensare, & auferre inhabilitatem, propter quam quis est ineligibleis ad prælaturam.

Questio 229. An teneatur superior admittere postulationem de ceterò idonei factam legitime, hoc est, vel unanimiter, vel à duobus partibus capituli?

Respondeo primò: non teneri illum vi præcisè postulationis ex iustitia propriè tali, Laym. in c. bonæ. 3. h. r. n. 6. Tond. qq. benef. p. 2. c. 4. §. 6. num. 5. Pass. cit. c. 24. num. 47. Pirh. loc. cit. n. 15. citans Host. in sum. h. r. n. 12. n. 11. Contra Abb. in c. 5. hoc rit. n. 2. Jo. And. in c. cum monasterium. de elect. num. 7. quibuscum sentire videtur Lott. l. 3. q. 17. n. 234. junctio. n. 235. 237. & 238. ubi fateri tamen oportet, postulationem non usquequaque posse rejici citra injuriam postulari, & ipsius Ecclesiæ, ut gl. in c. bonæ. 3. h. r. v. in tanta. Roman. cons. 330. n. 20. quin &, si fiat postulatione ab ipso Papa, non reputatur materia simpliciter gratiosa, ut non magis dicatur justa & æqua, hæcque ipsa ratione debita, ut Burfat. in cit. c. bonæ. n. 46. maxime, si esset unanimiter celebrata, &c. Responso nostra sumitur ex c. postulationem. h. r. & c. bonæ. 3. h. r. ubi ait Papa: cum sedes apostolica, etiam quando aliquis unanimiter postulat, ad admittendam postulationem eorum, non tam ex iustitia, quam ex gratia moveatur: nullum enim per postulationem etiam talem unanimiter, & in concordia factam, & præsentatam acquiritur jus postulantis, aut postulato, vel etiam Ecclesiæ; adeoque sine injuria horum rejici potest postulatione. Laym. Pirh. Pass. loc. cit. contra Abb. Jo. And. l. cit. Antonin. p. 3. r. 19. c. 3. §. 1. Sylv. v. postulatione. n. 2. & 7. Tabien. v. eod. n. 4. Castel. de elect. c. 2. n. 3. Barbof. in cit. c. bonæ. n. 1. apud Pass. cit. n. 46. Sed admissio rota innititur gratiæ, utpote gratiam dispensationis continens; dispensare siquidem in impedimento vel defectu, etiam dum adest ratio sufficiens, imò urgens, non est debitum propriè iustitiæ; cum in jure inhabilis ad rem aliquam non habeat jus exigendi illam tanquam sibi debitam. Laym. Pirh. loc. cit. neque cogitur superior ad dispensandum in lege sua, seu ad relaxandum jus ex multitudine petentium, vel etiam ex honestate petitionis, cum aliàs dispensatio Superiori non foret libera, sed necessaria, supposita honestate petitionis contra illud: nemo invitus de suo cogitur facere beneficium. c. precaria. 10. q. 2. & illud: quidquid iudicis potestati permittitur, juris necessitati non subjicitur. l. non quidquid. ff. de iudic. Pass. loc. cit. n. 47. & 48. citans præter plures alios. Suar. de LL. l. 6. c. 18. n. 20. Sanch. de matrim. d. 10. n. 3. Barbof. ad c. postulationem. de clericis excom. n. 28.

2. Respondeo secundò: videtur tamen Superior teneri postulationem talem factam ob necessitatem vel utilitatem Ecclesiæ admittere ex debito aliquo iustitiæ legalis, & ex officio suo, quatenus vi

officii sui tenetur utilitati boni communis consulere, vel etiam quandoque ex debito charitatis, alteriusve virtutis, non secus ac extra postulationem ex his virtutibus tenetur dispensare in votis, irregularitatibus, impedimentis matrimonii, &c. si urgens causa est, præsertim publicæ honestatis vel utilitatis. Laym. loc. cit. & in qq. canon. q. 8. de elect. Pirh. cit. n. 16. Pass. n. 48. nam &, ut ibid. Pass. actus misericordiae & liberalitatis quandoque necessarius est. Censebitur nihilominus ex tunc adhuc admissio talis postulationis gratia generalis, id est talis, qualem Superior communiter ratione officii facere solet. Pirh. loc. cit. ex Abb. & Imol.

3. Respondeo tertio: quin etiam prælatus inferior habens potestatem dispensandi in defectu postulationis, usque admittendi postulationem, eam in concordia, vel à duobus partibus Capituli ex justa causa factam, nolit admittere, cogi potest à Superiore ad eam admittendam. Laym. loc. cit. n. 7. citans gl. in c. bonæ. 3. h. r. v. gratia. Pirh. cit. n. 16. Lott. l. 3. q. 17. num. 236. Unde etiam, licet postulantibus, aut postulato non competat actio, seu jus actionis contra Superiorem, ut is admittat postulationem. Pass. n. 50. citans gl. in cit. c. bonæ. v. gratia. Bald. in c. scriptum. de elect. n. 4. Sylv. v. postulatione. n. 7. possunt nihilominus implorare superioris prælati officium, ut is recusantem admittere talem postulationem, ad hoc compellat; cum juxta c. 1. de offic. iudic. detur hoc remedium implorandi officii iudicis, quando actio propriè dicta deficit. Laym. Pirh. Pass. l. cit.

Questio 230. Qualiter ad admissionem postulationis procedere possit ac debeat Superior, & quæ formæ uti in ea, vel etiam reiectione postulationis?

Respondeo ad primum: admittere non debet postulationem, nisi facta inquisitione de conditionibus & moribus postulari: necesse tamen non est, ut ea inquisitio fiat judicialiter, cum non fiat ad puniendum, sed solum ad informationem Superioris. Pass. cit. c. 24. num. 53. verum de hac inquisitione pluribus infra, ubi de confirmatione electionis.

2. Respondeo ad secundum: de ceterò forma certa præscripta in jure non est, quæ uti debeat Superior in admissione postulationis, de quo vide loc. cit. dicere tamen poterit: providemus Ecclesiæ vestræ de tali persona, prout postulastis: vel melius: postulationem vestram admittimus: nequaquam autem dicere potest: confirmamus postulationem vestram. Pass. n. 52. ex Abb. in c. gratum. h. r. n. 23. Pari modo non est certa forma reiectionis postulationis, uti nec cassationis electionis; quin &, ut Lott. l. 3. q. 17. n. 260. cum gl. in c. 2. h. r. v. cassatum, eo ipso censetur cassata & rejecta postulatione, quod non est admissa: ubi autem repellitur postulatione, mox evanescit omnis illius effectus, ut idem Lott. n. 261. citato Gonz. ad reg. 8. cancell. gl. 15. n. 56.

Questio 231. An, & qualiter postulatus administrare possit Prælaturam, antequam ejus postulatione admittatur?

Respondeo: nequaquam ullatenus administrare potest ante admissam postulationem: & si id attenter, postulatione redditur ipso jure nulla. Pass. n. 54. Lott. loc. cit. n. 301. Tond. qq. benef. p. 2. c. 4. §. 6. n. 5. vide de hoc plura inferius, ubi, qualiter electus administrare possit ante electionis confirmationem.

CAPUT SECUNDUM.
DE ELECTIONE.

PARAGRAPHVS I.

De Electionis natura.

Questio 232. Quotupliciter usurpetur Electionis nomen, & quid rei significet secundumceptiones singulas?

1.



Espondeo primò: sumitur theologicè, seu moraliter; diciturque electio moralis, quâ ex pluribus mediis ad finem intentum conducentibus unum præ alio præaccipitur. Pass. de elect. c. 1. n. 25.

2. Secundò canonicè, prout nimirum usurpatur à SS. Canonibus. Quod fit quadrupliciter. Primò generalissimè, prout comprehendit electionem strictè talem, postulationem, nominationem, præsentationem, collationem, institutionem. Tholos. partit. juris can. l. 1. tit. 29. c. 1. num. 2. (tribuitur namque & his quandoque electionis nomen præsentationi. cap. querelam. h. r. collationi. c. cum Ecclesia. h. r. &c.) sicque sumpta describi potest; quòd sit promotio alicujus ad beneficium vel munus Ecclesiasticum; quæ rectè dicitur electio; quia qui promovetur, præ aliis ad habendum beneficium assumitur. Pass. loc. cit. Secundò generaliter seu minus adhuc strictè, prout quidem excludit collationem, præsentationem, nominationem; non tamen postulationem: estq; promotio alicujus ad beneficium, vel munus Ecclesiasticum facta canonicè per suffragia. Pirh. hic num. 1. Tertiò strictè ac propriè, prout postulationem quoque excludit, addendo nimirum priori definitioni rō idonei, hoc est, impedimento canonico dispensabili non impediti; Neque enim apparet, unde electio propriè talis coarctanda sit ad dignitatem vel Canonicatum. Pass. loc. cit. num. 35. Quartò denique specialissimè & strictissimè prout respicit Prælaturam, & quidem talem, vi cuius efficitur quis caput, & veluti sponsus Ecclesia viduata. Azor. insit. moral. p. 2. l. 6. cap. 14. quest. 2.

Questio 233. Qualiter electio accepta in hac strictissima sua significatione sit definienda?

Espondeo: quòd sit persona idonea ad Ecclesia vacantis pastoralem dignitatem per eorum, quibus id competit, suffragia canonica vocatio. Intelligendo primò nomine Ecclesia vacantis Ecclesias tam regulares quàm sæculares. Azor. loc. cit. Tholos. hic c. 4. num. 2. Intelligendo secundò per pastoralem dignitatem Prælaturam eorum, qui ut caput cum jurisdictione ordinaria ac generali, Episcopali nimirum, vel quasi Episcopali præfunt Ecclesia, quocunque vocentur nomine Episcopi, Præpositi, Abbatis, Prioris, &c. Azor. & Tholos.

loc. cit. Etsi enim Episcopi magis propriè sint sponsi, & Pastores, ac proinde magis propriè per eorum mortem Ecclesia dicitur viduata, convenit tamen idipsum quoque Prælati & Ecclesiis regularibus, & quibusdā Collegiatis sæcularibus. Azor. loc. cit. Pirh. hic num. 1. Intelligendo tertiò per vocationem canonicam illam, in qua servata forma eligendi à SS. Canonibus præscripta; ita ut ea, in qua servata forma canonica, etiam quòdā solennitates dicatur magis strictè canonica; illa verò, in qua servata sunt omnia substantialia de jure servanda, licet non quòdā omnes juris solennitates, dicatur minus strictè canonica. Illa denique non nisi in sensu latissimo canonica, quæ habet formam solum naturalem, nimirum consensum eligentium de jure naturali requisitum. Pass. loc. cit. num. 38.

Questio 234. In quibus electio strictissimè talis distinguatur à collatione?

Espondeo in sequentibus: Primò, quòd collatio sit actus Superioris conferentis beneficium; Electio est actus subditorum egens confirmatione Superioris. Pass. loc. cit. Secundò, quòd collatio det jus in beneficio, dignitate, &c. ita ut is, cui sit, eā acceptatā vi illius sit Dominus beneficii eo modo, quo competit esse Dominum beneficii. c. si tibi absenti &c. de præbend. in 6. ibid. Barb. num. 4. Franc. num. 3. Garc. de benef. p. 4. c. 2. num. 1. &c. Electio econtra non nisi jus infirmum & tantum ad beneficium. c. nihil. h. r. Abb. in rubrica de postul. num. 1. Sylv. v. electio n. 4. Pass. loc. cit. Unde etiam electio dicitur vocatio ad beneficium, non institutio. Ant. de Butrio apud Laym. h. r. in principio. num. 4. Item Electi beneficia non vacant ante confirmationem, & Electo mortuo ante confirmationem, non per hujus, sed per prioris Prælati mortem vacat beneficium. Pirh. num. 2. cum communi. Electus ante confirmationem etiam sine consensu Superioris potest renunciare beneficio. Gl. in c. si electio. h. r. in 6. Ac denique ante confirmationem administrare beneficium, aut prælaturam non potest. c. qualiter. h. r. Neque his obstat, quòd Papa & Generales Ordinum mox, ut electi consentiunt electioni, habeant jus in prælatura. Prius enim est ex speciali institutione DEI, quâ positā electione & consensu in eam, ut condicione, tali personæ confert jurisdictionem universalem. Alterum est jure specialiter sic disponente, ut talis electio generalis mox, ut legitime celebrata, ipso jure confirmata censeatur. Pass. loc. cit.

Questio 235. In quibus differat electio à præsentatione?

Espondeo in sequentibus: Primò, quòd licet præsentatio non ita innitatur gratiæ sicut postulatio, in quantum non eger, ut super defectu præsentati dispenseretur; Superior etiam teneatur instituire præsentatum, dum hic idoneus est (uti idem

idem de nominatione sentiunt Pass. loc. cit. q. 3. n. 50. & Abb. ab eo cit.) propriè tamen nihil juris tribuat. Decius in Rub. h. t. Tusc. lit. E. conclus. 59. Licet enim est Patrono laico, etiam post præsentationem unius factam Collatori ordinario, præsentare alium, & Collatori pro libitu suo, quem maluerit ex istis duobus instituire. c. cum autem & c. de jure patron. electio autem publicato scrutinio revocari non potest. c. publicato. & c. h. t. Secundò, quòd præsentatio importet jus præsentandi ex gratuita concessione Ecclesiæ competens etiam laicis nempe patronis; Electio autem jus, quòd Ecclesiæ laicis concedere non solet. Gl. in cap. pia mentis. & c. v. eodem. Tertio necesse non sit, ut præsentato, antequam eis denunciatur Superiori intimetur præsentatio, ejusque consensus exquiratur. c. quàm sit. h. t. in 6. Quarto quòd electio necessariò fiat à multis, seu spectet ad Collegium, præsentatio fieri possit ab uno. c. nullus. h. t. Denique quòd electioni correspondeat confirmatio, sicut postulationi admissio; præsentationi vero institutio, quæ propriè sumpta in hoc distinguitur à collatione, quòd collatio propriè fit donatio libera, institutio autem collatio quadam necessaria, quâ Superior ex juris necessitate tenetur beneficium conferre ei, qui legitime est à Patrono præsentatus. Abb. ad c. 2. ne sede vacante.

Questio 236. Qualiter electio differat à nominatione tam solenni, quàm non solenni?

Respondeo: ferè in idem, in quibus differt à præsentatione; cum neque per nominationem nominato jus ullum acquiratur. c. cum inter. h. t. sitque nominatio solennis ferè similis præsentationi, nisi quòd nominatio sit de pluribus. c. quòd sicut. h. t. non eligatur autem nisi unus. Illa etiam nominatio usitata in pluribus Germaniæ locis, teste Pirh. num. 4. quâ unus nominat certam personam ad vacantem Ecclesiam, alius autem eam sibi nominatam præsentat Superiori, ita ut non possit præsentare aliam, re ipsa & in effectu à præsentatione vix differat; cum talis præsentatio aliud non sit, quàm executio factæ prius nominationis, vel potius nominatio immediata. Pirh. ibid.

PARAGRAPHVS II.

De his, ad quos spectat potestas eligendi, sive de jure ordinario, sive de speciali.

Questio 237. In ordine ad intelligendos & conciliandos varios canones antiquos, à quibus & quomodo olim electi Episcopi?

Respondeo: post mortuos Episcopos, quos in sui locum constituerunt Apostolorum singuli, auctoritate ad hoc à CHRISTO accepta. cap. ult. d. 68. jus constituendi Episcopos totum penes Papam, utpote Petri in universali totius Ecclesiæ gubernatione successorum resedit. cap. omnes. d. 22. Dein summi Pontifices pro variis temporum circumstantiis jus illud expressè vel tacitè concesserunt aut permisserunt personis diversis. Unde aliquando electi seu nominati Episcopi à toto pariter Clero & populo. c. Episcopus. c. lectis. c. sacrorum.

d. 63. non quòd populus simul suffragia daret; sed quòd vel nominaret seu postulareret aliquem, quem postea Clerus eligeret, non tamen necessariò. c. 1. d. 62. vel in electum à Clero consentiret. c. nosse. d. 63. vel quòd solum populi testimonium de probitate Electi requirebatur ad electionem. cap. vobis. d. 63. Quòdque etiam ex speciali privilegio à Principibus sæcularibus electi & nominati Episcopi, aut etiam consensus eorum requisitus, ita, ut sine eo à Clericis fieri nequiret electio. c. nobis. & seq. d. 63. Postmodum verò ea potestas eligendi vel postulandi Episcopos adempta laicis, tum Principibus, tum populo. c. non est permittendum. d. 63. prohibitumque iis ob vitandam confusionem & contentionem, ne se tali electioni immiscerent. c. 1. 2. 7. d. 63. vel etiam Principes ipsi sponte renunciarunt. c. Valentinianus. d. 63. remanente eadem potestate eligendi Episcopos aliòsque Prælatos Ecclesiasticos penes omnes Clericos ac Religiosos diocesis. c. obeuntibus. d. 63. Tum Clericis separatim à Religiosis statutum, ut hi Abbates suos vel Præpositos, seu Priores; isti suos Episcopos & Prælatos eligerent. c. 1. & c. cum terra. h. t. Ac denique potestas eligendi Episcopos ad solos Canonicos Capitulares Ecclesiarum Cathedralium devoluta, ut constat ex variis canonibus h. t. Duravit hæc consuetudo diu in Ecclesiâ, duratque etiamnum in plerisque Ecclesiis Cathedralibus Germaniæ. In Hispania verò, Gallia, Polonia, Lusitania Reges ex speciali privilegio Pontificis Episcopos nominant, & præsentant à Pontifice instituendos. In plerisque Italiæ locis Papa liberè eos nominat, creat, & instituit. Azor. cit. l. 3. c. 28. q. 3. Quin & Papa exceptis dictis regnis & Germaniâ, ob specialia concordata generaliter reservat sibi Ecclesiarum omnium Episcopatum Archi-Episcoporum Patriarchalium provisiones. Extravag. ad Regimen. de præbend. Vide de his Azor. loc. cit. Tholof. de Elect. c. 5. Barb. de off. Episcopi.

Questio 238. Ad quos spectato jure communi per se primò & directè spectet electio Prælatorum?

Respondeo ad Capitulum, congregationem, seu communitatem, cui præficiendus est Prælati. c. congregatio. 16. q. 7. eò quòd, qui sunt membra ejusdem Ecclesiæ, cujus Prælati est caput, melius censeantur informati de necessitatibus & commodis Ecclesiæ, quàm extranei, eorumque consilio geri debeant negotia Ecclesiæ. c. novit. & c. de his, quæ sunt à Prælati sine consensu Capituli. proinde Prælati vel non eliguntur, sed à supremo aliquo Superiore instituuntur; vel si eligantur, eligi debent à Collegiis, quibus præsent, nisi aliud consuetudo vel privilegium aliquod disponat. Pass. c. 10. q. 1. num. 3. Barb. de jure Eccl. l. 1. c. 19. num. 44. Peyr. in Pral. q. 1. c. 4. 3. §. 3. Suar. tom. 4. de relig. l. 2. c. 4. num. 1. Azor. p. 2. l. 6. c. 14. q. 6. & c. Retineturque hoc jus commune vel maxime in religionibus, & servatur in Germania quoad electionem Episcoporum ob concordata inter Nicol. V. Pontificem & Frider. III. Imperatorem. Porro hoc jus eligendi non est ex necessitate, neque ex ordinatione divina, ut erroneè docuit Ferret. conf. 305. sed ex mera Pontificum indulgentia derivatum. Rebuff. de elect. in princip. Fagu. ad c. nullus. h. t. n. 13. Bellarm. tom. 1. controv. 5. l. 1. c. 8. constat ex dictis q. præced.

Questio

Questio 239. Quid hic intelligatur nomine Collegii Ecclesiastici?

Respondeo: intelligi congregationem Clericorum (auctoritate Superioris collectorum, & certis Regulis colligatorum. Pass. loc. cit. num. 7.) qui veluti fratres sub uno Patre, vel veluti membra unum corpus Ecclesiasticum constituunt; Quale quia non constituunt Vicarii, Sacellani, aliterve beneficiati, qui etsi eidem Ecclesie, vel uni alteri obstricti sint, & deserviunt, subiecti etiam uni v. g. Parocho; ut singulares tamen; & ut multitudinem facientes vivunt, variis ministeriis & officiis deputati; (unde nec communi utuntur sigillo. v. dilecta. juncta gl. de excessibus Pralat. nec communem procuratorem, vel syndicum constituere possunt. l. i. ff. quod cuiuscumque universit. nomine. &c.) ad eos de jure communi non spectat electio Pralati. Barb. de off. Episcopi. p. i. cit. c. 3. Fagn. in c. nullus. h. t. num. 31. sed nec sibi Superiorem eligere possunt. Pass. l. cit. Porro unde cognoscatur, an plures sint in Ecclesia; vide apud Jo. Andr. & alios ad cit. cap. dilecta. &c.

Questio 240. Quot personæ requirantur ad constituendum primò Collegium, conferendamque congregationi alicui jura Collegii, seu universitatis?

Respondeo: ad primò constituendum Collegium tam Ecclesiasticum quam civile requiri minimum tres. Sylv. c. collegium. Gl. in c. i. h. t. duo (quamvis hi duo duos sufficere velint ad congregationem; quam tamen distinctionem inter Collegium & congregationem, utpote nec in jure, nec in ratione fundatam communiter rejiciunt alii. Pirh. hic. num. 10.) Laym. ad cit. c. i. num. 1. &c. contra Abb. ad c. i. h. t. id negantem de collegio ecclesiastico, quod putat ab initio constitui posse ex duobus, quorum neuter sit Pralatus alterius; eò quòd ex Innoc. ad c. cum ignores. &c. notet necessariù non esse ad rationem Collegii, ut habeat Pralatum vel Rectorem. Item contra Barb. Mascari. Archid. Tambur. pluresque alios cit. à Pass. n. 4. qui tamen dum duos sufficere tradunt ad Collegium, non tam de Collegio primitus constituendo, quam de eo jam constituto, ejusque juribus penes duos conservandis loqui videntur. Ratio responsionis est, quòd sic constitutum sit à jure civili l. Neriarius. &c. ff. de verborum signif. à jure civili autem recedendum non sit, nisi dum à jure canonico corrigitur, aut peculiare quid pro Ecclesiasticis statuitur. Pirh. loc. cit. Jam verò hoc non fit: nam dum Pontifex c. i. h. t. ait: Nullus in Ecclesia, ubi duo vel tres fuerint in congregatione, nisi eorum electione eligatur presbyter (id est Pralatus. Innoc. ad c. i.) id solum voluit definire: jus Pralatum eligendi ad Collegium pertinere, licet duo tantum super sint ex Collegio post mortem Pralati.

Questio 241. Quot personæ sufficiant ad Collegium jam constitutum, ejusque jura conservanda?

Respondeo: dua, vel etiam una. l. sicut. ff. quod cuiuscumque universit. nomine. &c. At b. in c. 2. de postul. Gl. in c. i. h. t. minus enim plerumque ad conservationem, quam primam rei constitutionem requiritur. Unde, dum è tribus primò constituentibus Collegium moritur, vel congregationem deserit unus (idem est, si suffragio suo renunciet. Pass. loc. cit. num. 9.) poterit unus alterum eligere in prala-

tum. Jo. Andr. in reg. juris 80. in 6to. Et si moriatur duo, penes unum remanebit Collegium, non quidem actu; cum hoc electionem plurium importet, sed veluti habitus; potestque is exercere actus Collegio competentes; v. g. postulare, vel potius nominare, si non se ipsum, ut voluit aliqui, saltem personam aliam idoneam. Gl. in cit. l. Neriarius. Host. in c. 2. de postul. Abb. in c. i. h. t. num. 6. Barb. l. 1. de jure Ecclesiast. c. 19. num. 46. alique cit. à Pass. Porro mortuis omnibus, è Collegio vel alio migrantibus jus eligendi, similiaque jura ac privilegia extinguuntur, si corporalia seu personalia sunt, hoc est, directè & per se concessa congregationi certarum personarum: sicut si realia & localia sunt, hoc est, per se & directè concessa rei vel loco, v. g. Ecclesie, monasterio, universitati, accipiendo has voces pro materiali edificio; inseparabiliter enim tunc coherant parietibus, ædificio directo, etiam soli fundo. c. hoc. i. 6. q. 7. juxta gl. Laym. ad cit. c. i. num. 5. Abb. ad c. 2. de postulatione.

Questio 242. An jus eligendi competat ei, qui verè nactus non est quasi dominium beneficii, sed solum possessionem cum bona fide, adeoque est solum in possessione juris eligendi?

Respondeo affirmativè, valetque ejus suffragium, modò ante electionem lis non fuerit contestata super illius jure eligendi; etiam si postmodum succumbat in causa sibi super hoc jure Canonicatus & eligendi mota, adeoque verè quòd ad proprietatem ille non habuerit hoc jus. Sequitur enim jus suffragii possessionem, non proprietatem juris. c. cum olim. & c. querelam. h. t. Fagn. ibid. citans Jo. Andr. & alios. Potesit siquidem possessor bonæ fidei percipere fructus rei possessæ ante contestatam litem super proprietate. l. bonæ fidei. ff. de acquirendo rer. dom. sed electio est quasi fructus quidam juris beneficiæ, sicut presentatio juris patronatus. Pirh. num. 20. ergo pertinet ad possessorem bonæ fidei, jure sic disponente in favorem possessoris bonæ fidei, & commodum Ecclesie, ne incerta sit ministrorum institutio, aut diu differatur. Laym. in qq. can. de Elect. q. 27. Quod eò usque valet, ut si cum tali possessore concurrat alter alleuens, ad se spectare de jure Canonatum, & consequenter jus eligendi, hoc excludo, admittendus sit possessor, modò constet illum esse in possessione cum bona fide (quæ præsumitur in possessore, eò nec contrarium probetur) cit. c. cum olim. & Argument. c. consultationibus &c. de jurepatron. Ne si proprietarius præferatur, possessor desiciatur hæc ratione possessione sua sine auctoritate judicis, quod vetatur c. in literis. de restit. spoliar. Quinimò si Capitulares talem admittant possessorem ad electionem cum protestatione, ut non valeat ejus suffragium, si proprietatem beneficii reipia non habeat, inutilis sit hæc protestatio, nihilque noceat possessori, nisi hic expressè consentiat isti protestationi (quod non censetur facere tacendo; cum juxta communem DD. & Gl. in reg. juris 43. in 6. taciturnitas pro consensu habeatur, si de comodo ejus, qui tacet, agatur; non autem, si de ejus incommodo) & nolle aliter valere suum suffragium, quam si ei proprietatem beneficii reipia competat. Gl. in c. Cum una. h. t. Aliud est in possessore, de cuius possessione vel bona fide dubitant Electores; tunc enim utiliter fiet talis protestatio, & si postea compareat Superior, ad quem spectat confirmatio, illum

illum verè fuisse in possessione bonæ fidei, ejus suffragium valebit; secus si contrarium comperiat. Innoc. Laym. & alii in *c. humana. h. t.*

Quæstio 243. An jus eligendi Prælaturam aliis quoque Clericis, qui de Collegio non sunt, competere possit?

Respondeo: de jure communi non competit, ex dictis. Unde sequitur primò, in regulariis electionibus non competere jus eligendi nisi professis, cum non professi nondum sint incorporati Religioni *c. ex eo. h. t. in 6. c. indemnitate. ibid. Suar. tom. 4. de relig. tr. 8. lib. 2. c. 4. Tambur. tr. 3. de c. 19. Pass. c. 10. num. 21.* competit tamen tacite professis, quia verè professi *c. ex eo. & c. ibid. Franc. num. 1. Laym. Pass. ll. cit.* quamvis de eo constare debeat, quòd Novitiatum absolvent, juxta præscriptum Trid. professionemque suam probare debeant, si iis opponatur defectus professionis. Rotà cit. à Pass. Sequitur secundò Religiosum, etiam si sit ejusdem Ordinis, si non sit de eadem numero congregatione, ad quam hic & nunc spectat electio, non posse in ea eligere. Peyr. in *subdito q. 1. c. 31. not. 8. Laym. l. 4. tr. 2. c. 12. num. 3. Suar. loc. cit. num. 2.* Hinc Generales & Provinciales quia ad nullum determinate conventum pertinent, in nullo habent votum seu jus eligendi Prælatos locales conventuum; quamvis juxta aliquorum Ordinum statuta possint eos instituire. Pass. *loc. cit. num. 26.*

Quæstio 244. An saltem id vi privilegii vel consuetudinis competere possit Clericis extraneis; quo nomine etsi veniant etiam ii, qui licet sint membra Ecclesie, vel Conventus, pro quo eligendus est prælatus, carent tamen qualitate aliqua à jure vel consuetudine requisita ad hoc, ut quis sit elector. Pass. c. 3. q. 2. n. 1. de his tamen hic non queritur?

Respondeo affirmativè. primum sumitur ex *c. dilectus. de consuetud. Abb. in c. humana. h. t. sic Abbates privilegio acquirere possunt jus eligendi cum Canonicis Episcopum. Azor. cit. c. 14. q. 6. cum communi: Alterum quoque constat ex *c. dilectus. c. cum Ecclesia. & c. de causa possess. & propriet. c. bona. 4. de postul. & ibi Hof. Bald. & c.**

2. Præscribitur autem jus eligendi spatio, quo præscribi solent jura spiritualia seu Ecclesiastica, nempe 40. annis; intra quod tamen tempus necesse est, & sufficit, ut facta fuerit aliqua electio Superioris auctoritate confirmata. Azor. *loc. cit. ex Innoc. Franc. in cap. cum de benef. de prob. in 6.* Et sic jam extraneus, qui hac viâ præscriptionis acquisivit jus eligendi, non est solum possessor; sed dominus juris eligendi, & de Collegio eligentium; unde vocari debet, & nunquam rejici ab electione. Pass. *loc. cit. num. 30.*

Quæstio 245. An ex pacto seu voluntate eorum, ad quos jus eligendi pertinet, Clericis extraneis communicari possit potestas eligendi?

Respondeo: contra Navar. l. 1. *conf. 2. de consuetud. num. 3. & Lezanam c. 15. num. 20.* & alios putantes id fieri posse à toto Capitulo, nemine Capitularium dissentiente. Item contra Laym. in *qq. P. Leuren. Fori Benef. Tom. 11.*

*can. de elect. q. 19. Pirh. num. 14. Engels & alios tenentes; id posse fieri pro una vice prælaturâ vacante, eò quòd c. scriptum. h. t. habeatur convenisse canonicos mutuo consensu, ut ad electionem Patriarchæ Constantinop. admitterentur septem Præpositi extranei, quod Pontifex comprobavit: Negant tamen id sine consensu Superioris posse concedi ad dies vitæ personæ, vel etiam in perpetuum dignitati extraneæ, multòque magis negant, posse capitulares in perpetuum, & absolute abdicare à se jus eligendi. Respondeo, inquam, negativè; jus enim eligendi in electione canonica ipsis Capitularibus non nisi ex consensu Papæ competit, & nulli competere potest, nisi cui Papa id concesserit; ergo nulli de collegio, nec toti Collegio competit posse dare alicui jus eligendi, & admittere extraneum, ut is valide eligat, præsertim, cum inter cæteras qualitates requisitas in illis, quibus Papa jus eligendi canonicè concessit, sit una, ut vocalis sit de Collegio eligentium tanquam ejus membrum & pars, ut sumitur ex *c. cum dilectus. de consuetud. Pass. c. 3. q. 2. num. 34. & 35. citans Donar. in praxi p. 3. t. 2. q. 15.* qui etiam vult, electionem, in qua admittitur externus, esse nullam, quod tamen rectè reprobat Pass. Neque enervat responsionem, quòd concedant canones, ut ab initio in fundatione Ecclesie collegiata pacto constitui possit, ut electio Prælati simul spectet ad Prælatum vel Capitulum extraneum, vel ad ipsum patronum ecclesiasticum. Gl. in *cap. nobis. & c. de iure patronatus. v. nisi aliter. Laym. Pirh. loc. cit.* hoc namque speciale est, & indulgetur à Papa ad excitandos fideles ad fundationes & dotationes Ecclesiarum. Neque quòd Capitulares eligere possint per compromissarios extraneos; hoc enim illis expressè concessum est *c. quia propter. h. t.* nullibi autem concessum, ut possint admittere externum ad secum eligendum. Pass. *loc. cit.* Nec sufficit dicere, id etiam nullibi prohibitum; cum non prohibitio non det, quod non habetur; sed ad hoc opus sit concessione. Pass. *ibid.* Atque ex his sequitur, Superiorem quoque nullum inferiorem Papæ posse admittere talem extraneum ad electionem; quia dispensare non potest in lege Papæ requirentis, ut eligens sit membrum Capituli. Sed neque externum, qui talis dicitur ob carentiam alterius alicujus qualitatibus requisita in Electore, nisi fortè qualitas sit talis, qua inducta sit lege, in qua ipse dispensare possit, v. g. lege alicujus Capituli generalis Regularium, in qua idem Capitulum dispensare potest. Pass. *loc. cit. num. 10.**

Quæstio 246. An laicis secularibus (de laicis enim Religiosis professis constat, quòd admitti possint in electionibus Regularium, non tantum ex privilegio, sed & ex consuetudine, saltem immemorabili. Gl. 3. in Clem. ut ii. de ætate & qual. 10. And. in c. ex eo. h. t. in 6. Fagn. in c. massana. h. t. num. 18. Pirh. n. 18.) competere possit jus eligendi Prælatos Ecclesiasticos ex privilegio?

Respondeo affirmativè, nimirum concessio à summo Pontifice. *cap. quòd sicut. c. sacrosancta. Hof. Pass. cum communi.* In quo casu eligit, non tam auctoritate propriâ & sæculari, quàm Ecclesiasticâ; ex commissione scilicet Papæ. Laym. in *qq. can. hic. q. 20.* Sed neque excedit potestatem

Papæ habilitare laicos ad jura spiritualia possidenda; uti de facto ab eo habilitati sunt sæculares laici ad jus patronatus (quod spirituale est, & absque simonia vendi non potest. *c. de jure. de jure patron.*) quamvis difficiliter concedatur jus eligendi quam præsentandi; quia illud est potentius, & majus jus tribuit, estque plerumque circa Prælatos ecclesiasticos, quorum autoritas in spiritualibus non dependere debet à sæcularibus. Engels *hic num. 4.*

Questio 247. Vtrum id eis competere possit ex consuetudine?

Respondeo negativè, *cap. Massana, h. t. Abb. c. querel. c. quod sicut. de consuetud. Host. in summa. de elect. num. 5. Pass. c. 10. num. 19. Azor. p. 2. l. 6. c. 4. q. 28.* Verumque id est etiam de patronis. Anelus in *addit. ad Abb. ad c. quisquis. h. t. Pass. c. 2. q. 4. n. 11. Laym. l. 4. tr. 2. c. 12. num. 8.* Tenetque de consuetudine temporis immemorialis Fagn. *ad c. Massana. num. 16. Pirh. num. 17. ad hunc tit.* cum enim jus eligendi spirituale absque privilegii titulo possideri nequeat, nullo tempore præscribi potest. Argum. *c. causam. de præscript. falsa* proinde ea Legistarum Regula: Quidquid Principis privilegii acquiri potest, idem & consuetudine immemoriali acquiritur: in eo casu, dum quis est incapax possidendi (& consequenter præscribendi) absque privilegii titulo, Repugnâtque talis consuetudo libertati Ecclesiasticæ. *c. sacrosancta. & c. quisquis. & c. h. t. ac proinde reprobatum à jure can. tanquam corruptela & abusus. cap. 1. & ult. de consuetud. Pirh. loc. cit.* Sed neque consuetudine introduci posse, ut si contra consensum Principis laici, eo vel non requisito, vel repugnante facta fuerit electio, ipso jure sit irrita, vel etiam cassanda, docet Abb. *in c. quod sicut. h. t. contra Innoc. apud Pass. c. 8. q. 3. num. 13.* salvo tamen jure, quod habet Princeps opponendi contra electum, ita ut, si probet electum meritò sibi suspectum, & sui principatus interesse, ut electio cassetur, electio sit cassanda. Abb. Innoc. Felin. *in s. super his. de accusationibus.*

Questio 248. Vtrum id eis competere possit ex pacto?

Respondeo negativè, ita ut vi nullius unquam donationis, conventionis, aut compositionis, consentiente etiam prælato, quin & toto Capitulo, & interveniente auctoritate Episcopi, laico, etiam si is sit patronus, etiam in prima Ecclesiæ fundatione constitui possit jus eligendi Prælatum Ecclesiasticum, sumitur ex *c. sacrosancta. h. t. Host. hic. v. in collegiata. Pirh. num. 15. & 16. cum communi;* quia cederet hoc ipsum in grave detrimentum Ecclesiæ, ejusque libertati repugnaret, si inferiores Papæ possent laicis jus illud eligendi concedere.

2. His tamen non obstantibus, per pactum constitui potest, ut ante electionem consilium patroni laici requirendum sit, vel ut interesse debeat tractari de electione faciendâ, quin & ipsi electioni, absque tamen suffragio, Innoc. *in cap. quod sicut. h. t. num. 1. Jo. And. in c. nobis. de jure patron. n. 12.* Quin & consuetudine acquiri, vel etiam ex voluntate Capitularium, ut laicus, etiam non patronus, intersit electioni, & ad hoc vocari debeat, ut electores protegat, etiam armatâ manu. Bald. *hic in princip. & præsens in aula capitulari* (ut docent Abb. Butrio, Andr. Pass. & alii communiùs contra Fagn. *in c. quisquis. num. 30. & seq. fuse probantem contra-*

riù, nimirum hoc ipsum esse abusum sæcularis potestatis, & obtare libertati Ecclesiasticæ) vel ut eos instruat, formamque faciendæ electionem doceat; vel tanquâ tabellio, ut processum electionis conscribat (non enim requiritur, ut Notarius electionis Ecclesiasticæ sit Clericus. Fagn. *in c. quisquis. n. 19. & 20. citans plures alios contra Host.*) Gl. *in c. quia propter. h. t. v. redacta. Jo. And. & Bald. in c. Massana. Pass. c. 10. num. 19.* Et de hoc modo interessendi electioni procedit textus *cit. c. nobis: Non electioni faciendæ, sed jam factæ honestius postulatur assensus, nisi aliter de sua jurisdictione obtineat, ut partes suas interponere debeat &c.* vel sermo ibi est de patrono ecclesiastico. Gl. *ibidem. v. nisi aliter.*

Questio 249. An igitur Electio à Clericis unâ cum laicis celebrata sit irrita?

Respondeo affirmativè. *c. querelam. h. t. ibidem. Abb. num. 8. cap. quisquis. h. t. c. Massana. h. t.* (ubi licet fiat mentio solum de electione Episcopi, extendendum tamen hoc ipsum est propter rationis identitatem ad electionem alterius etiam prælati. Pirh. *n. 18.*) *ibid.* Cardin. Imol. Barb. idemque *l. 1. de jure Eccl. n. 79. Suar. l. c. 1. 8. l. 2. c. 4. n. 2.* Tamb. *de jure Abbat. d. 5. q. 8. nu. 8.* Eò quòd hoc, nempe exclusio laicorum immiscentium se ipsi electioni ferendo suffragium, sit de forma electionis. Pass. *c. 10. num. 17.*

2. Unde videtur hoc ipsum procedere, non tantum, ubi electores Clerici scienter & voluntariè admittunt laicos ad cogitandum: Verum etiam, ubi admittuntur illi sine omni culpa capitularium, nimirum vel per ignorantiam, vel quia eos se vi immiscentes prohibere nequeant; vel quia gravi metu coguntur illos admittere; licet non consentiant in laicorum suffragium, sed positivè protestati sunt contra illa. Laym. *in c. Massana.* Butrio *in c. fin. de procurat. num. 2.* Eò quòd pœnalis illa constitutio principaliter edita sit in odium laicorum, præsumendum se electioni immiscere. Quin & canon iste latus in favorem immunitatis & libertatis Ecclesiasticæ dicto modo restringi non debeat. Nec obstat Regula juris *27. in 6. utile per inutile non vitiat;* nam non procedit regula illa, dum inutile, vel vitium est in forma, uti hic contingit. Bald. *hic num. 2.* Et in mixtis separabilibus (qualis est actus electionis, utpote individuum) magis attendendum est ad id, quod nocet, quam quòd prodest, adeoque hic magis inspicienda qualitas laicalis ad destructionem actus, quam qualitas ecclesiastica ad illius productionem, Ant. de Butr. *hic notab. 1.* apud Fagn. Nihilominus contrarium: nimirum electionem factam ab habilibus non irritari per admixtionem laicorum, vel aliorum inhabiliù ignorantèr admissorù, satis probabiliter sustinet Fagn. *ad cit. c. Massana. num. 10. 11. 31. & 33.* citans pro se Innoc. *in c. illa,* qui etiam asserat id verum esse, si unus tantum ex electoribus esset habilis, & omnes alii inhabiles; item *c. fin. de procurat.* ubi expressum sit, valere actum collegialiter gestum ab habilibus, & inhabilibus ignorantèr admissis; Butrioque opponit, quòd mixtum ex duabus naturis assumat naturam ejus simplicis, quod est favorabilis, & per quod jus consortis conservatur. *c. sanis. & c. de sepultura. & l. si communionem. ff. quemadmodum servit. amittatur.* & juxta Regulam, quam ponit Gl. *in c. unicum. de jure patron. in 6. v. Ecclesiasticus.* Hanc sententiam Fagn. valde probabilem affirmat, Pirh. *num. 18.*

Questio 250. Penes quos sit jus eligendi, quando Capitulares scienter elegerunt indignum, vel etiam postularum ad administrationem in spiritualibus, vel temporalibus ante postulationem à Superiore admissam, vel sine ejus licentia receperunt, adeoque pro ea vice privati sunt potestate eligendi?

1. Respondeo primò: si aliqui tantum elegerunt indignum (idem, uti & sequentia applica recipientibus taliter postulatam) electione illà, utpote invalidà, rescissà, potestas eligendi residet penes reliquos. Abb. in c. cum Vintoniensis. h. r. num. 2. possuntque hi statim eodem contextu decretum facta à se electionis, si in ea consentiant, promulgare, vel novum scrutinium, aliis exclusis, inchoare. Abb. loc. cit. num. 12. Laym. de Elect. q. 64. Pirh. num. 47. (ubi cavendum, ne minor pars id faciat, priusquam ab Eligentibus indignum tale decretum formatum sit, aliis eorum electio foret quoque irrita, utpote non facta à majore parte Capituli; cum ante tale formatum decretum eligentes indignum necdum privati erant jure eligendi, de quò paulò post) quinimo remanet hæc potestas penes unicum, si illo excepto, reliqui omnes elegerunt indignum. Gl. in c. perpetuo. & c. h. r. in 6. in notatis.

2. Respondeo secundò: si omnes Capitulares elegerunt indignum, potestas eligendi pro illa vice devolvitur ad Superiorem; In Metropolitanis quidem & Cathedralibus Ecclesiis ad Papam; in aliis verò inferioribus Ecclesiis non exemptis ad proximum Superiorem, ad quem aliàs spectat electum confirmare. c. quanquam. h. r. in 6. ibid. Gl. magna in notatis. Abb. loc. cit. num. 2. Pirh. num. 48.

3. Respondeo tertio: si Capitulares in prima Electione innocentes, in secunda electione, & ipsi omnes elegerint indignum, potestas eligendi non devolvitur ad eos, qui in prima electione fuerant nocentes, sed ad Superiorem, cujus est electionem confirmare, non secus, ac si omnes ab initio deliquissent. c. bona. h. r. juncta Gl. v. ad nos. ubi etiam ait, adverbium illud pariter non denotare identitatem temporis; sed similitudinem delicti, jam enim Capitulares omnes quoad istam electionem privati sunt jure suffragii. Laym. l. cit. Pirh. num. 49.

Questio 251. Num igitur pœna illa privationis non incurratur, adeoque non procedat illa devolutio juris eligendi, priusquam ex votis eligentium scienter indignum, vel etiam eligentium contra formam à jure canon. præscriptam subsequuta sit communis electio, hoc est, formatum ex iis sit publicum & capitulare decretum electionis?

Respondeo affirmativè (nisi forte vel per privilegium, vel consuetudinem inductum esset in Ecclesia aliqua, ut electio facta à majori parte Capituli præsentis ex votis à singulis præstitis, & publicatis in Capitulo, censeatur esse perfecta; tum enim eligentes scienter indignum pœnam illam privationis incurrun, etsi communis illa electio necdum secuta. Laym. in c. perpetuo, & ex eo Pirh. hic num. 50.) Nam licet de cætero jam data sint à singulis suffragia, promulgatumque etiam sit scrutinium, adhuc non censetur perfecta electio ante formatum decretum solennis & publicæ, seu

P. Leuren. Fori Benef. Tom. 11.

communiter nomine omnium facta electionis. cit. c. perpetuo. & c. ibid. Gl. v. perseverant, & c. in Genesi. h. r. Imol. & Jo. Andr. ad c. congregato. h. r. Abb. loc. cit. num. 5. In privato siquidem scrutinio, in quo singuli singulariter dant sua vota, propriè loquendo non eligunt, sed potiùs nominant eligendum, ut colligitur ex c. congregato. h. r. Abb. ibidem. num. 3. Electio autem propriè dicta illa est, quæ post peractum & publicatum scrutinium fit communiter nomine omnium. c. perpetuo. h. r. in 6. quare poterunt ac debent etiam illi, qui ante indignum elegerant, ad electionem aliam procedere. cit. c. perpetuo. Rectè autem ii, qui non elegerunt indignum, consulunt juri suo, si permittant cæteros numero plures, qui elegerunt scienter indignum, procedere ad decretum electionis publicæ; cum enim poterunt isti pauciores sibi soli jam eligere, utpote ad quos jam cæteris privatis jus eligendi devolutum est; Laym. de Elect. q. 64. & ad cap. Vintoniensis. num. 4. In quo casu dici non poterit absolute facta electio à minore parte Capituli; sed potiùs à toto Capitulo; quia isti, etsi numero pauciores, penes quos solos tunc est potestas eligendi, aliis eà privatis, repræsentant totum Capitulum per fictionem juris. Abb. ad c. congregato. h. r. num. 4. citatus à Pirh. num. 56. Quòd si cæteri privati voluerint se huic electioni intrudere, & moniti non desistant turbare Capitulares non privatos, poterunt ab his etiam per vim expelli, per se loquendo & secluso scandalo, aliisque extrinsecis incommodis. Dummodò tamen notorium sit illos pro illa vice privatos esse jure eligendi; secus si de eo dubitetur; nemo enim in causa non manifesta potest sibi ipsi jus dicere; Unde tunc aliter sibi providere debebunt non privati. Vide Pirh. num. 54.

Questio 252. An Capitulares, ad quos propter delictum aliorum eligentium indignum tota potestas eligendi pro ea vice devoluta est, possint, si velint, illos voce privatos admittere ad novam Electionem?

Respondeo affirmativè. Gl. in c. cum Vintoniensis. h. r. v. admiserant. ibid. Innoc. & Abb. cum communi. Privatio enim illa cedit in favorem non delinquentium; ideoque ab iis remitti potest. Pirh. num. 51. Et quamvis, qui indignum elegerant, suspensi sint à beneficio, non tamen ab officio (possunt enim & debent tempore illius suspensionis celebrare officia, ac ideo modicam sustentationem ex beneficiis percipere possunt, ne carentes proprio patrimonio, nec aliunde habentes, omnino egeant) adeoque, quantum est ex eorum parte, eligere non prohibentur, modo alii illos ex gratia admittere velint. Gl. ibidem. Requiritur autem ad hanc admissionem, ut omnes omnino, nemine illorum innocentum dissentiente, in eam consentiant. Abb. in cap. cum Vintoniensis & in c. scriptum. h. r. In statuendis enim sine necessitate, vel utilitate publica, per quæ præjudicatur juri singulorum (uti contingit per talem admissionem, cum, pluribus admittis, plerumque minus efficax sit votum cujuslibet) omnium consensus necessarius est, valè que reg. juris 29. in 6. quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. & 56. eod. in re communi melior est pars prohibentis, id est, unus & solus, si se in tali casu opponat, omnes impedire & prohibere potest, ne aliquid intentum: Porro postquam semel admittitur, vel semel ab electione exclusi fuerunt, jam cessat

K 2

eorum

eorum privatio, & recuperant jus eligendi, tamen si electio, ad quam admissi, vel à qua exclusi, effectum consecuta non sit ex alio, quàm quia electus fuit indignus, capite; quia in poenam delicti sui respectu solum electionis proxima post illam, in qua deliquerunt, privati fuerunt jure eligendi. Gl. cit. communiter recepta. 16.

Quaestio 253. Quid, si ergo aliqui eligentium indignum id fecerunt ignoranter, an electio facta à ceteris eligentibus dignum, dum hi constituunt minorem partem suffragantium, valebit, & promulgari poterit electio?

Respondeo: valebit, si eligentes dignum numero superent eligentes ignominiositer indignum; secus si non superent; quia jam non erit facta à majori parte Capitularium praesentium, & non privatorum; cum eligentes ignominiositer indignum poenam privationis non incurrerint, sumitur ex cap. scriptum. & cap. innotuit. h. r. & ibidem Abb. num. 5. Idem dicendum, dum aliqui majoris partis postulantis indignum id fecerunt ignoranter. Abb. l. cit. Pirh. num. 63.

PARAGRAPHVS III.

De iis, qui etsi spectent ad Collegium, eligere tamen prohibentur jure naturæ, jure positivo, consuetudine.

Quaestio 254. Quinam jure naturæ prohibeantur eligere?

Respondeo: omnes ii, qui non sunt constituti in perfecto usu rationis. Hinc primò eligere non possunt amentes. Gl. in c. ex eo, h. r. in 6. Navarr. cap. si quando, de rescript. Pass. c. 10. num. 12. cum communi. Electio enim est actus liber eligentis, ejusque liberum consensum exigit. c. quia propter. h. r. Abb. in c. quisquis. h. r. num. 5. Eligere tamen possunt pro tempore, quo habent lucida intervalla, quia tunc non sunt constituti extra perfectum usum rationis. Pirh. ad h. r. nu. 26. Praesumendum verò erit, electionem factam tempore lucidi intervalli, & sanæ mentis, si actus electionis quietè habitus stultitiam non sapit; sed congruit homini sanæ mentis. Menoch. presumpt. 45. num. 66. Pass. loc. cit. citans Covar. Fulgos. Jason. Bald. in l. furiosum. c. qui ratam facere pos. Secundò perfectè ebrii propter eandem rationem. Tertio iracundi, intellige, pro statu iracundiæ tollentis usum rationis. Pax Jordan. lib. 2. tit. 6. num. 2. Pass. de elect. c. 10. nu. 14. ac denique dæmoniacy, intellige, si privantur usu rationis, secus si usu rationis libero polleant. Pass. loc. cit. num. 15. citans Sigisra. de Bonon. de elect. dub. 86. num. 11.

Quaestio 255. Quid hoc in puncto dicendum de impubere, hoc est, minore 14. annis, si sit masculus, vel 12. si sit femina?

Respondeo: eos regulariter loquendo jure naturæ eligere non posse, c. ex eo, h. r. in 6. Franc.

Barb. & c. cum communi. Etsi enim talis attigisse potuerit annos discretionis, & habere deliberationem, quæ sufficit ad peccandum mortaliter; non tamen censetur habere eam experientiam, & prudentem deliberationem, quæ est necessaria ad electionem Prælatorum Ecclesiæ. AA. iidem. Pass. loc. cit. num. 10. citans Barb. juris Eccles. l. 1. c. 19. num. 48. Biax. de elect. p. 1. cap. 16. Sylv. v. elect. 1. num. 5. & c. Unde licet jure antiquo pupillus modo infanciam (qualis in jure vocatur ætas minor 7. annis, uti & ætas ab exacto septennio ad annum decimum quartum dicitur pueritia. l. si infantes. c. de jure liberandi) excessisset, conseq. poterat beneficium, imò Canonicatum Cathedralis Ecclesiæ. Argum. c. ex eo, non tamen pupillus, etsi septennio major, admittebatur ad ferendum suffragium in Capitulo. Gl. in c. si eo tempore. de rescript. in 6. Porro jure quoque ecclesiastico novo eatenus impuberes quasi consecutivè excluduntur ab eligendo, quatenus juncta reg. 17. cancell. admitti quis nequit ad Canonicatum Cathedralium ante annum decimum quartum, & ad Canonicatum Ecclesiæ Collegiæ ante annum decimum, & Concil. Trid. sess. 23. c. 6. de reformat. statutum, ut nullus beneficium obtinere possit ante annum 14. Item quatenus, ut dicitur paulò post, in electore necessarius est Ordo sacer, ad quem necessaria est ætas longè superans statum impubertatis. Pass. loc. cit. num. 10. in fine.

Quaestio 256. Quid hac in parte sit circa cæcos & surdos?

Respondeo: non prohibentur eligere; cum liberè de eligendo deliberare valeant. Pass. loc. cit. c. 10. num. 16. citans Castel. loc. paulò post. citand. & Dian. p. 5. r. 6. resol. 13. Sed neq. necessarium, quavis bonum, ut cæcus votum suum faciat scribi ad mentem suam ab aliquo ex iis, qui non habent interesse in futura electione, requirendo etiam ab eodem, ut præstet sibi juramentum de fideli annotatione personæ à se nominatæ. Pass. loc. cit. contra Castel. de elect. c. 5. num. 59. & 68. consultitur tamen cæcis à Dian. & Castell. l. cit. (quod Sigisra. à Bonon. extendit ad surdos) ut renuncient voci suæ, ad tutiore conscientia agendum.

Quaestio 257. An ad hoc, ut quis eligere possit validè, requiratur Ordo sacer?

Respondeo: id requiri in Ecclesiis Cathedralibus, quin & Collegiatis. Clement. ut ii, & c. de atate & qualitate. Trid. sess. 22. c. 24. de reform. sic statuenti ad præcludendam viam post plurium annorum fructus Ecclesiasticos perceptos deferendi statum clericalem, Pass. loc. cit. c. 10. num. 50. Engels hic num. 6.

2. Secus est in Ordinibus, non tantum feminarum & virorum constantibus ex Religiosis laicis, ut sunt Ordines militares, hospitalarii, Abb. in c. 1. de procurat. sed etiam in Ordinibus aliis, Monasteriis & Ecclesiis Regularium, quorum constitutionibus cavetur, posse quemlibet professum, etiam sacris non initiarum, habere vocem in Capitulo. Ad ea enim monasteria se non extendit constitutio illa Trident. Tabiena v. electio. n. 5. Portel. v. electio. num. 2. Rodriq. tom. 2. q. 52. a. 5. & alii nixi declarationi S. Congregationis data 22. Maji anno 1577. sic declarantis teste Bellarm. ad sess. illam 22. c. 4. ac proinde in hoc servanda cujusque Ordinis leges & consuetudines. Pass. c. 10. num. 54. Praesertim cum

cum etiam laici conversi consuetudine praescribere possint, ut vocem habeant in Electionibus canonicis. *gl. in c. ex eo. manifestè dicens, per illud caput non fuisse abrogatam talem consuetudinem legitimam.* Pass. *loc. cit. n. 58.* vide Barb. *ad cit. c. 4. sess. 22.* Sed neque de cetero illis obstat textus *cit. c. ex eo. h. in 6. Conversi laici cum clericis electionibus interesse non debent in Ecclesiis regularibus vel monasteriis.* Monachi siquidem & religiosi professi, etsi nequidem Clerici, adeoque adhuc laici, dummodo deputati sint ad clerum, nunquam veniunt nomine laicorum conversorum, adeoque ad hos se non extendit dicta constitutio. *gl. in c. ex eo. v. cum clericis. Felin. in c. non dubium. de sent. excom. Suar. tom. 4. de relig. l. 2. c. 4. n. 3.* Sed potius virtualiter eos admittit, excipiendo solos laicos conversos juxta illud; exceptio firmat regulam in contrarium. *Suar. ibid.* Qui nihilominus ostendit, probabiliter sustineri posse contrarium, nimirum nomine laicorum conversorum in *cit. c. ex eo.* comprehendi quoque religiosos alios quoscunque non ordinatos. Quin &, quidquid sit de hoc & jure antiquo, censet, nunc saltem & de jure novo, hoc tenendum propter *cit. Clement. ut ii. &c.* quippe ubi Pontifex statuit, ut nullus de cetero in Ecclesiis etiam regularibus vocem in Capitulo habeat, nisi saltem subdiaconus, falsique ostendit, se loqui etiam de propriè Monachis, usque religiosi, qui ad divina officia sunt destinati, addendo hanc rationem suae constitutionis: ut ii, qui divinis officiis sunt mancipati, aut mancipabuntur, imposterum ad suscipiendos Ordines propensius inducantur: Quibus adde, quòd in dicta *Clement.* addatur: non obstantibus quibuslibet consuetudinibus vel statutis,

Quaestio 258. Quid, si ergo initio quidem vacationis Ecclesiae canonicus non sit in sacris, possit tamen esse in iis intra tempus constitutum electionis?

Respondeo id sufficere; quod enim dicitur in Electionibus spectari initium, de initio electionis, non vacationis intelligendum. *gl. in cit. Clem. 2. v. constitutus.* Pass. *n. 59.* citans quamplurimos. Non tenentur tamen ceteri capitulares (modò tamen non praevenerint tempus à jure electioni constitutum) expectare usque dum talis ordinetur, uti nec impuberem, etsi ejus pubertas proxime finienda sit, nec novitium proximè professurum, &c. Sed absq; horum injuria uti possunt jure eligendi, quando ipsis opportunum videbitur. *gl. loc. cit. Pirh. n. 13. & ab eo citatus Azor. p. 2. l. 6. c. 14. Barbofi. juris Eccles. l. 1. c. 19. n. 52. Pass. cit. c. 10. n. 59.* citans insuper *Castell. de elect. c. 8. n. 21. Camill. in director. p. 1. c. 5. n. 1. &c.*

Quaestio 259. Quid hac in parte dicendum de eo, qui ex dispensatione Pontificis, vel etiam absque illa ante legitimam aetatem fuit ordinatus subdiaconus?

1. **R**espondeo ad primum: habere illum jus ferendi suffragii. Neque enim *cit. Clem. & Trident.* directè requirunt in eligente aetatem sufficientem pro subdiaconatu, sed ipsum subdiaconatum. *Barb. ad cit. Clem. n. 6. & de canonicis. c. 37. num. 3. Felin. in c. postulasti. de rescript. n. 11. Suar. loc. cit. n. 7. Tamb. de jure Abb. to. 1. d. 5. q. 8. n. 10. Sanch. de matr. l. 2. d. 1. n. 23.* quos citat. & sequitur *Pass. cit. c. 10. n. 60.*

2. Respondeo ad secundum: neque talem praecise ratione aetatis, vel etiam ex vi *cit. Clem. & Con-*

P. Leuren. Fori Benef. Tom. II.

cil. Trid. esse inhabilem ad ferendum suffragium, habet enim requisita ab iis, nempe subdiaconatum. *Abb. in cit. Clem. n. 8. Suar. loc. cit. Pass. n. 61.* Sed tantum jure novo; quia *Extravag. nimirum Pii 2. cum ex sacrotum, &c.* jure seu ipso facto suspensus est talis culpa sua (secus si absque sua culpa id factum) subreptitiè ordinatus ante legitimam aetatem. *Barb. ad loc. cit. Trident. Rodriq. tom. 3. q. 23. n. 12. Suar. Tamb. II. cit. apud Pass. cit. n. 61.*

Quaestio 260. An dispensatus à Papa super aetate necessaria ad canonicatum, eo ipso sit dispensatus, ut, etiam si non sit in sacris, possit habere vocem in electione?

Respondeo negativè. *Pass. loc. cit. n. 63. Barb. de canonic. loc. cit. n. 13.* dispensatus enim ad canonicatum non est eo ipso dispensatus ad Ordinem sacrum. *Rora in Senensi Archiep. 23. Junii ann. 1606. cit. à Pass.*

Quaestio 261. Vtrum ex legitima causa absentis, quamdiu abest à loco, in quo collegium congregatur pro electione, competat jus suffragii?

Respondeo affirmativè cum communi, spectato nimirum jure communi (secus namque esse potest per leges proprias collegii vel Ordinis alicujus. *Pass. loc. cit. n. 33.*) conceditur enim illi ferre suffragium per procuratorem. *c. quia propter, &c. h. r. c. se quis iusto. h. r. in 6. Abb. Innoc. &c. ibid. Barb. de jure Ecclesiast. l. 1. c. 19. n. 100. Laym. l. 4. tit. 2. c. 12. n. 4. Azor. instr. mor. p. 2. l. 6. c. 14. q. 7. Tamb. de jure Abb. To. 1. d. 1. q. 3. Pass. loc. cit. n. 35.* citans insuper plures alios. Nisi tamen valde distet à loco electionis, & maneat (secus enim est, si tempore electionis denud reversus sit ad locum viciniorem, etsi tempore citationis necdum in eo fuerit. *Pass. loc. cit. n. 39.* contra *Barb. loc. cit. n. 108.*) ubi non potest commode vocari; tunc enim jure communi nullum habet jus constituendi Procuratorem, sed nec citari debet, aut moneri de habenda electione. *cit. c. quia propter & ib. gl. & Barb. n. 37.* referens plures alios.

Quaestio 262. Quinam in presenti materia habeantur adhuc pro praesentibus?

Respondeo: Qui xgri decumbunt (idem est de alio iusto impedimento detentis. *Butrio in c. quia propter. n. 67. Castell. c. 12. n. 20. Tabien. &c. apud Pass.*) in conventu vel domo, ubi congregatur capitulum, etsi praesentes non sint in loco loci, seu in aula particulari, in qua fit electio; Proinde ad eos accedere debent scrutatores, & eorum votum recipere. *Barb. cit. n. 108. Thol. de elect. c. 16. n. 7. Azor. n. 2. l. 6. c. 14. q. 7. Lavor. l. 4. de elect. c. 17. n. 44. Pass. n. 32.* & plures alii apud illum. Idem dicendum de iis, qui extra illam domum in eadem civitate vel oppido, suburbiis, in hortis adjacentibus simili impedimento detinentur, censent *Sigismund. à Bononia, Sylv. Hostiensis cit. à Pass. n. 32.* quod tamen ipse tunc tantum censet tenere, quando parva est distantia inter locum electionis, & locum, quo tales detinentur; ed quòd ipsi videatur durum, saltem de regularibus, ut scrutatores collegio congregato, & ceteris expectantibus, teneantur per civitatem inquirere votum infirmi.

Quaestio 263. Vtrum absentes, praeciso privilegio vel consuetudine legitimâ, valide ferant suffragium per literas?

Respondeo negativè, *cit. c. si quis iusto*, & ibi gl. & DD. omnes teste Pass. contra Azor. & Portel. apud eundem censentes, dare suffragium per literas obsignatas non esse contra jus commune. Verum nequidem consentiente capitulo id fieri posse, censent Barb. *ad c. si quis iusto*, & *cit. n. 108*. Castel. *c. 5. n. 65*, & alii.

2. Quinimo id fieri nequit, etiam si nullus ex capitulo pro absente impedito procuraturam suscipere velit; neque etiam capitulum consentiat, ut Procurator externus constitutur. *cit. c. si quis iusto*. Pass. *n. 35*, contra Host. *de elect. n. 88*, de forma enim scrutini est, ut vota dentur sigillatim & secretò; tales autem literæ deberent imprimis legi, & tanquam propriâ manu scriptæ cognosci à Capitulo, Engels hic *n. 10*. Verumtamen dicta intelligenda sunt de iis electionibus, in quibus accuratè servanda est forma scrutini, præscripta in *c. quia propter*, in aliis enim v. g. regularium quorundam, quæ fiunt per schedas obsignatas in urnam coniectas, potest absens, uti & infirmus talis suffragium suum ita scriptum ad capitulum mittere, Laym. *ad c. si quis iusto. n. 3*, & ex eo Pirh. *hic. n. 151*.

Quaestio 264. Quando absens suffragium suum ferre possit per Procuratorem?

Respondeo: si adsint sequentes conditiones, primò si verè absens est (qualis in præsentia materia censetur is, qui taliter est extra locum electionis, ut Scrutatores non teneantur eum accedere personaliter pro recipiendo suffragio juxta cujusque collegii leges vel consuetudines. Pass. *n. 36*.) Et si in negotiis aliis possit quis etiam non impeditus loco sui constituere Procuratorem. *l. 1. ff. de procurat. in electionis tamen negotio expressè cautum est contrarium c. quia propter*: Quod tamen, quia constitutum in favorem habentium jus eligendi, poterit ex consensu capituli hic & non renunciantis huic favori, etiam non impeditus per Procuratorem ferre suffragium suum. Abb. *in c. quia propter. n. 1*. Barb. *cit. c. 19. n. 110*. Pass. *loc. cit. n. 42*. Pirh. *n. 146*.

2. Secundò si verè impeditus sit, v. g. gravi infirmitate, vel metu ob capitales inimicitias, detentione violentâ, vocatione ad altius tribunal, & c. gl. *in c. quia propter. v. venire*. Barbof. *loc. cit. n. 109*. Pass. *n. 40*. durante hoc impedimento non tantum pro eo tempore, quo Procuratorem instituit, sed etiam quo facienda est electio. Castel. *cit. ut. c. 5. n. 91*. Pirh. *n. 146*. Pass. *loc. cit.* Absente manente pro eo tempore in eo statu, ut si præsens esset, posset eligere, v. g. non incidente in excommunicationem, suspensionem, maniam & c. Tholo. *de elect. c. 6. n. 8*. Absurdum enim est illos admitti, quorum repellerentur auctoritates, *c. licet*, & *c. re restibus*. Porro, si impedimenti legitimitas capitulo non constat, probari potest juramento. Pass. *n. 41*. Mascard. *de prob. concl. 884. n. 2*. Scraph. *de privileg. jurament. privil. 55*. apud Barb. *in c. quia propter. n. 38*. Præstante hoc juramento, vel ipso principali, & faciente de hoc constare in ipso instrumento procura, vel ejus procuratore, habente speciale mandatum à Principali jurandi in animam suam. Pass. *loc. cit.* Barb. *loc. cit. n. 110*. Host. *loc. cit. n. 8*. Quod tamen juramentum, ubi capitulum remisit (uti potest. Pass. *n. 42*. Barb. *loc. cit.* Innoc. *in c. quia propter. & ibi alii*) non potest quis post electionem

probare, quòd absens non fuerit impeditus; cum collegium (quod, uti dictum, potest etiam non impediti admittere procuratorem) renunciarit quoque in hoc juri suo. Pass. Barb. & alii *ll. cit.*

Quaestio 265. Vtrum potestas eligendi in absentia per Procuratorem competat etiam regularibus?

Respondeo affirmativè, modò id iis vetitum non sit speciali statuto contrario (uti contingit in ordine Prædicatorum teste Pass. *c. 10. n. 48*.) Garc. *de benef. n. 5. c. 4. n. 20*. Tamb. *tom. 1. d. 5. q. 4. n. 6*. Lezan. Barb. & c. apud Pass. Nihilominus postquam Trid. *sess. 25. c. 8*. statuit, ut electio in regularibus sit secreta, absens non poterit jam amplius eligere per procuratorem constitutum cum speciali mandato eligendi determinatam personam; quia talis Procurator non potest eligere, quin publicetur eligentis nomen. Garc. *loc. cit. n. 200*. referens ita dictum à S. Congregatione. Tamb. *loc. cit. num. 6*. vide Card. de Luca in *annot. ad concil. Trid. discursu 37*.

Quaestio 266. Qualis debeat esse Procurator?

Respondeo primò generaliter, procuratorem debere habere omnes conditiones, quæ de ceterò requiruntur in electore præsentem; adeoque in electione Ecclesiastico non posse esse laicum, vel alterius Ordinis, non excommunicatum & c. Pass. *n. 44*. tradit.

2. Respondeo secundò specialiter, illum debere esse unum è collegio. Pass. *n. 35*. juxta *c. quia propter*: quamvis nemo è collegio teneatur eam procuram admittere. gl. *in c. quia propter. §. illud. Pass. n. 43*. Barb. *loc. cit. n. 112*. quia nemo invitus Procuratoris munus suscipere cogitur *h. invitus. c. de procurat.* Potest nihilominus etiam institui procurator, qui non est de collegio, & hunc admittere potest collegium, modò aliàs idoneus sit. *c. si quis iusto. h. r. in 6. Abb. inc. quia propter. §. illud. n. 2*. Barb. *loc. cit. n. 104*. Pass. *n. 43*. non tamen tenerur, ne quidem in casu, ubi nullus de collegio procuram vult suscipere. A. A. *idem*. In actibus enim etiam aliis gerendis per universitatem seu collegium, non tenerur illud admittere procuratorem externum, Jo. And. *in c. quod alicui. de reg. juris in 6. n. 17*. ad eòque hoc sibi imputare debet absens elector, quòd nullum invenire possit, qui velit esse Procurator. gl. *in c. quia propter. §. illud. v. venire*. Si tamen id fieret per fraudem vel conjurationem, tum absens conqueri posset de injuria & contemptu, & perere, ut rescindatur electio. Tholo. *de elect. c. 6. n. 9*. cum omnis fraus ab electione longe abesse debeat. *c. cum dilectus. h. r.*

Quaestio 267. Quid agere vel non agere quòd electionem possit Procurator?

Respondeo primò: dum est de gremio electorum constitutus cum mandato generali, duo quidem suffragia ferre potest, unum suo, alterum principalis sui nomine: non tamen unum suo, & alium Principalis sui nomine eligere potest. *c. si quis iusto*. Barb. *loc. cit. n. 105*. Tambur. *loc. cit.* Pass. *cit. n. 43*. Et si sic divideret sua suffragia, utrumque suffragium est irritum, seu nihil ageret, eodem *c. si quis iusto. §. porro*. Verumque id ipsum est propter expressum hujus *c. textum*; etiam si sic dividens sua suffragia non peccaret in conscientia (in qua de ceterò tenerur eligere digniorem, non secus ac ipse illius principalis) dum nimirum isti duo, in quos dividit sua suffra-

suffragia, essent æque digni. Pass. loc. cit. n. 43. contra Castel. & Barb. cit. n. 105. Molin. & Sigism. à Bonon. ab eo citatos. Contrarium tamen est, ubi Procurator speciale mandatum haberet de certa persona eligenda; tunc enim illam, & non aliam nomine procuratorio eligere potest (ne aliàs excederet fines & formam mandati sui, gl. hic v. *mandatum*) utpote quam tunc non tam ipse, quàm ejus Principalis liberè eligere censetur: potens interim nomine suo eligere alium, quem censet æque vel magis dignum. Barb. loc. ult. cit. Tholo. cit. c. 6. num. 11, Pirh. hic n. 150. non enim tenetur iudicium suum conformare iudicio Principalis. Engels hic n. 10. Ubi autem in mandato tali procuratorio nominaretur ei persona non idonea, non debet Procurator mandatum recipere Host. in sum. h. r. n. 8.

2. Secundo, potest talis Procurator habens speciale mandatum de certa persona eligenda subdelegare sibi alium; sic namque nec Principalis suo, nec Electoribus præjudicat; cum enim eligi debeat præscriptus à mandante fines mandati à substituto excedi nequeunt. Secus videtur, de procuratore instituto cum generali mandato; eo quòd censetur hic numero electus ad procuram propter specialem ejus industriam & discretiõnem. Pirh. n. 150. citans gl. in c. si quis v. de certa. Ubi tamen ipsi mandato procuræ inserta foret potestas substituendi sibi impedito alium, adhuc dubium fore, an substituere hunc sibi posset, ait Pass. n. 45.

3. Tertio, Procurator cum speciali mandato non potest sub alia forma, quàm scrutiniis consentire in electionem; quia ea sola intelligitur demandata. gl. apud Pirh. contra procurator cum generali mandato potest compromittere, & sub aliis formis, quàm scrutiniis eligere; cum constitutus in definitè ad eligendum totum jus mandantis quòd ad hoc in se translatum habere videatur. Arg. c. venerabili. de off. jud. delegat.

4. Denique si ante electionem absens elector moriatur, procurator cessare debet, Barb. loc. cit. n. 110. censent tamen Tamb. loc. cit. n. 8. Archid. in c. si quis iusto. n. 3. citati à Pass. n. 42. quòd si mors ab electoribus ignoretur, & procedat electio, eam tenere.

Questio 268. Num absens plures procuratores suo loco constituere possit, & quis eorum admitti debeat ex consensu capituli?

1. **R**espondeo ad primum affirmativè, modò singuli constituantur in solidum, hoc est ut unus sine altero eligere possit. c. quia propter. §. illud, & c. si quis iusto. Pass. n. 46. si enim non constituti sunt in solidum, nullus illorum est admittendus; possent enim aliàs vota dare diversis. *ibid.*

2. Respondeo ad secundum: in isto casu locum esse preventioni, ita ut is admittendus sit, qui alios prævenit; vel si duo concurrant simul, petantque admitti, unus tantum sit admittendus, ille nimirum, qui prius petiit admitti; & in dubio, quis prior petierit, is, quem major capituli pars designavit; vel si in hoc non concordarint capitulares, is, qui prior in literis vel instrumento procurationis fuit nominatus. c. si quis iusto. Pass. loc. cit.

Questio 269. Num excommunicato excommunicatione minore competat jus suffragii, illudque datum valeat?

Respondeo affirmativè. Pirh. n. 28. Zoësius hic. n. 13. Pass. c. 10. n. 86. cum communi. Sumitur ex c. illa. h. r. ubi Pontifex confirmat electionem tanquam canonicam, etsi quidam Electores

fuisent excommunicatione minore seu simpliciter excommunicati. Quòd autem ibidem dicat, se suppleri ex plenitudine potestatis defectum, si quis fortè intervenisset; id non ex necessitate, sed ex abundante ad cautelam factum, gl. *ib. v. suppletus*. Ratio responsi est, quia hæc excommunicatio non privat communionem fidelium, neque suspendit ab officio vel beneficio; sed tantum à participatione sacramentorum. c. ult. de clerico excom.

Questio 270. An idem dicendum de excommunicato excommunicatione majore, notorio quidem, tolerato tamen?

1. **R**espondeo affirmativè. Zoësius n. 10. citans Navar. in sum. c. 27. n. 7. Suar. tom. 5. de cens. d. 1. §. 2. n. 18. Filiuc. tom. 1. l. 12. c. 6. n. 151. Pass. loc. cit. num. 76. Peyr. in pral. q. 2. c. 5. n. 15. Barb. de jure Eccl. c. 19. n. 56. contra Castel. de elect. c. 5. n. 18. & 48. Donat. tr. 4. q. 8. Innoc. in c. cum dilectus. de consuet. &c. Quidquid enim sit de jure antiquo, quo dicitur sententia à tali excommunicato lata invalida. c. adversus. de immunitate Eccl. & à tali delegatus carere jurisdictione. c. si is cui. & c. de off. jud. deleg. jure novo post Exrray. Martini v. ad evitanda (quæ edita in Concil. Constant. etsi non extet inter hujus Concilii acta, ejus tamen decretum renovatum à Leone X. in Concil. Lateran. sess. 11. Pass. c. 10. num. 64.) communicari potest cum excommunicato quocunque, excepto nominatim denunciato, & percussore Clerici notorio. Si autem hoc licet, acta ejus valere debent, ne aliàs frustra licitum esset cum tali communicari. Zoësius loc. cit. Sed neque excommunicatio privat officio, & exercitio jurisdictionis, priusquam excommunicatus sit denunciatus. Unde valida est electio facta, nullo reclamante. Pass. loc. cit. n. 77. citans Covar. in c. alma. p. 1. §. 7. n. 9. Bonacin. de censur. d. 2. q. 2. p. 5. n. 6. Filiuc. Suar. Barbof. ubi ante. proceditque id ipsum, etsi omnes Electores sint excommunicati. Pass. *ibid.* Quin etsi potestas eligendi redacta sit ad unum, valet electio, etsi hic sit excommunicatus. Suar. loc. cit. n. 8. non secus ac valet collatio facta ab Episcopo excommunicato non denunciato, ideoque tolerato juxta quamplurimas Rotæ decisiones, quas citat Pass. loc. cit. Nec obstat, quòd suspensus sit ab officio & beneficio; cum ea suspensio tantum sit quòd ea exercenda licitè quòd se, non quòd alios, ita ut licet peccet, se ingerendo & suffragium dando; non tamen noceat electioni, quamdiu non rejicitur, Ecclesiâ supplente, & conferente ad talem actum jurisdictionis. Zoësius *ib. remittens ad Covar. in c. alma mater. p. 1. §. 7. n. 9.*

2. Porro idem multò magis dicendum de excommunicato occulto, nimirum ejus acta multò magis sustinenda. Zoësius loc. cit. n. 11. Cum enim quis exercet munus aliquod publicum (quale est officium eligendi Prælaturam; eligere enim convenit Canonicis, non ex vi canonicatûs, sed ex publica auctoritate iis ab Ecclesiâ concessâ & per ordinem ad bonum commune. Suar. loc. cit. n. 6.) & in eo sustineretur defectus, maximè occultus, non afficit actus illius, qui ex reipubl. interpretatione sunt validi. c. ad probandum. de rejudic. & *ibi Abb. n. 15. Felin. n. 3. & l. Barbarius ff. de offic. Prætoris*, qui textus licet sit de civili magistratu, idem tamen statuendum in Ecclesiastico; cum Ecclesiâ non minore providentiâ prospiciat fidelium utilitati, quàm respubl. suorum civium. Zoësius.

3. Ac denique dicendum idem de excommunicato, denunciato quidem & notorio alibi, in loco tamen

men exercitii vel actus habendi habito pro non excommunicato, nimirum quòd acta ejus sustinenda sint, ita postulante necessitate, & utilitate publicà; Abb. c. ad nostram. de jurejurand. n. 13. cit. à Zoëf.

Quaestio 271. An nihilominus excommunicatus excommunicatione majore toleratus possit per exceptionem repelli ab eligendo? & qualiter instituenda?

1. **R**espondeo ad primum affirmativè. Laym. de elect. q. 26. Pass. cit. c. 10. n. 71. cum communi. Tamen enim ut Idem per extrav. ad evitanda. permissum fidelibus cum tali communicare, non tamen etiam per dictam extrav. ablatum à fidelibus, quin possint juxta jus antiquum vitare occultè, si occultus est, publicè, si publicus est; adeòque poterunt Electores eum vitare, si sit notorius, vel contra ejus votum potestari; quæ tamen protestatio foret frustranea, si non est spes probandi excommunicationem in judicio; imò quòdque contra justitiam vel caritatem. Pass. loc. cit.

2. Respondeo ad secundum & tertium; exceptionem talem supervenientem electioni jam factæ invalidam esse, & nihil operari; quia Capitulum eligens ante omnem oppositionem, & reclamacionem, non obstante tali excommunicatione, jam legit validè. Pass. n. 78. & AA. iidem cit. pro resp. ad q. preced. Si verò præcesserit electionem factam ab uno alteròve tantum (non enim hoc ipso tenentur alii Electores talem excommunicatum rejicere, sed possunt, si volunt, cum eo communicare vi cit. Extrav. ad evitanda.) agendum est protestationibus, & fugiendum periculum, & scandalum; etsi facta electione constiterit, electum fuisse electum vi suffragii dati ab excommunicato (eò quòd præcisè ratione istius suffragii computati electus jam fuerit à majore parte capituli) vel si de hoc dubium, electio erit cassanda: si autem constiterit electum etiam hoc suffragio non computato habere sufficientia suffragia, electio erit valida & sustinenda. Pass. n. 79. Suar. loc. cit. contra Peyr. cit. q. 2. c. 5. n. 17. docentem absolute, seu in utroque casu electionem irritandam. Quinimo si ex speciali statuto ad validam electionem requiratur consensus omnium, adhuc talis unanimiter ab omnibus facta electio, in qua concurreret excommunicatus toleratus, etiam dum aliquis contra eum protestatus fuisset, foret valida, & dicenda unanimis; cum jam talis excommunicatus propter protestationem contra se factam reditus inhabilis se habuisset tanquam non interfuisset, Bonac. de cens. d. 2. q. 2. p. 5. num. 6. quod ipsum approbat Pass. loc. cit. n. 79.

Quaestio 272. Vtrum notoriè excommunicato non tolerato competat jus suffragii?

Respondeo negativè, c. constitutus. de appell. juncta gl. v. excommunicationis. c. unico. ne sedevac. in 6. Laym. loc. cit. cum communi. Proceditque id ipsum, sive talis excommunicatus sit compromissarius, sive simplex elector. Pass. loc. cit. n. 66. est enim privatus omni exercitio jurisdictionis & officii, adeòque latum ab eo suffragium ipso jure irritum, Arg. c. cum inter. b. t. juncta gl. v. cassata. Porro hæc locum non habent in electione summi Pontificis, etiam si omnes Cardinales Electores essent excommunicati; ut enim vitetur periculum schismatis in Ecclesià, justissime statutum est, ut in hac electione

nulla valeat exceptio excommunicationis Greg. XV. in constit. Æterni Patris. Clem. ne Romani, &c.

Quaestio 273. An ipso facto irrita quoque sit electio, si talis excommunicatus scienter admittatur ad coeligendum?

Respondeo affirmativè. Suar. loc. c. n. 9. Barb. cit. c. 19. n. 56. Navarr. de elect. conf. 1. num. 2. & alii quamplurimi, quos citat & sequitur Pass. n. 65. contra Laym. p. 1. t. 5. c. 2. n. 13. & Castrop. p. 6. de cens. d. 2. p. 13. n. 13. docentes talem electionem solum esse irritandam. Rationem dat Pass. quòd ex eo, quo Electores cum tali communicant in eligendo cooperantes ei in eo, quod ex vi excommunicationis est inhibitorium, vis excommunicationis eos efficiat; & eorum factum vitiet, arg. c. fin. de procurat. ubi Papa ideo censet Procuratorem esse repellendum; quia electio ejus ob admissionem voluntariam excommunicatorum fuit nulla. gl. Abb. Innoc. & alii ibid. Verumque id ipsum adhuc esse in casu, quo electi sunt duo, unus ab excommunicatis, alter à non excommunicatis, ita ut facta ab his electio sit nulla; quia admiserunt ad coeligendum excommunicatos, tenet Leander à S. Sacramento cit. à Pass. Secus dicendum, nimirum validam esse, & remanere electionem, dum alii Electores probabiliter ignorarunt, talem esse excommunicatum non tolerantem; videndum tamen, num. dempto suffragio à tali dato, adhuc electus sit pluribus mediètate suffragiis juxta dicta ad q. 270. Suar. loc. cit. n. 11. Sylv. v. electio. n. 17. Innoc. Abb. in c. illa. b. t. gl. in c. si quando. b. t. in 6. & 16. Gemin. n. 3. & alii plures apud Pass. n. 67.

Quaestio 274. Quid si excommunicatus notoriè non toleratus non possit sine gravi periculo vel scandalo, similemve ob causam expelli ab electione?

Respondeo electionem fore validam. Sylv. Ab. Innoc. li. cit. Necessarium tamen est, ut ceteri Electores protestentur, (quod sufficere fieri occultè, dum nequit sine gravi incommodo fieri publicè, semper tamen coram testibus. Sigism. à Bon. de elect. dub. 63. Pass. n. 68. Abb. in c. illa. n. 7. Peyr. in Subd. q. 2. c. 31. §. 6.) se non velle per hoc ceteri communicare cum illo, illiusque vorum tanquam nullum habendum, Barb. loc. cit. n. 57. Ant. de Bur. Innoc. Abb. in c. Cumana. b. t. Non tamen opus est, ut non excommunicati in isto casu exeant de Capitulo, & alibi vel alio tempore eligant, etiam si non instet terminus electioni statutus. Pass. n. 69. citans Sylv. Biaxium, Sigism. à Bon. habent enim jus eligendi, cum eis bonum videbitur, quod non tenetur negligere; neque tenetur quis exire suà domo, si ab ea nequit ejicere excommunicatum, aut sua negotia relinquere, quia excommunicatus facit vim, unde cogitur cum eo communicare. Pass. loc. cit. Porro idem dicendum, dum excommunicatus est denunciatus vel notorius percussor Clerici, id tamen non scitur certò; eò quòd percussio vel denuntiatio facta sit alibi, unde non nisi dubia fama pervenit ad locum electionis; cum enim in dubio unusquisque manutendus sit in possessione juris sui, talis non poterit ejici, adeòque Electores habent impossibilitatem (intellige juris) eum ejiciendi, Suar. loc. cit. n. 16. Pass. loc. cit. n. 70.

Questio 275. An excommunicatus talis occultus adhuc, quia potest tergiversatione adhuc aliquam excommunicationem suam celare, esse Electores confici de illius excommunicatione certi sint, quod illam possint in iudicio probare, (& vel hinc necesse non esset, eum vocare ad electionem, ut tenet Innoc. in c. in literis de restit. spoliatorum) possit vi ejici ab electione, & sic electus nequeat agere pro electione cassanda?

Respondeo negativè cum Pass. hoc fusè tractante n. 72. & 73. talis enim, cum sit in possessione eligendi, à qua non potest privatà auctoritate expelli, etiam si manifestus, antequam sit per sententiam declaratus. Nec dicas primò; possessionem illam esse injustam; nam dato hoc, etiam prado spoliū injustè possidet, non tamen hac possessione dejici debet auctoritate privatâ quin & in iudicio prado restitui debet: ita etiam excommunicatus talis, licet postea constet de ejus excommunicatione in iudicio, privabitur electione in futurum, declarabitur tamen spoliatus injustè tempore electionis, idè què electio in odium spoliantium erit cassanda. Nec dicas secundò: non excommunicatos posse taliter excommunicatum vitando private communicatione, imò ad hoc jure antiquo ante cit. Extrav. fuisse obligatos: aliud namque est; nolle communicare cum tali, quod licitum est, aliud viâ facti private illum jure, quod possidet: in summa itaque securius est etiam notorium (ubi notandum difficile esse, ut alicujus excommunicatio non denunciata sit plenè notoria, ita ut non possit tergiversatione aliqua celari. Pass.) toleratum tamen excommunicatum nolentem exire de capitulo, non expellere vi, sed agere contra eum protestationibus, vel procurare, ut per Superiorem declaretur privatus voce.

Questio 276. Vtrum suspensus possit eligere validè?

Respondeo primò: suspensus toleratus (suppono enim hic æquè ac in excommunicatione locum habere distinctionem illam inter toleratum & non toleratum; cum cit. Extrav. ad evitanda, loquatur universaliter de omni censura Ecclesiastica. Pass. c. 10. n. 96) hoc est non denunciatus nominatim per sententiam iudicis (etsi peccet ingerendo se electioni Pass. loc. cit.) validè tamen eligit juxta dicta de excommunicato tolerato, nisi ante electionem fiat exceptio contra illum (in quo catu servandum, quod dictum de excommunicato tolerato, Pass. ibidem) quia talis suspensus non est privatus exercitio jurisdictionis, gestaque per talem sunt valida. Suar. loc. cit. n. 2. Bonac. loc. cit. d. 3. q. 8. p. 4. n. 7. Peyr. in subd. q. 2. c. 5. §. 1. n. 33. Barb. de jure Eccl. l. 1. c. 19. n. 123. Pirh. n. 30. Pass. loc. cit. contra Sigism. à Bon. dub. 64. n. 9. & alios, quos citat.

2. Respondeo secundò: Suspensus (intellige non toleratus) simpliciter, hoc est, ab officio & beneficio, vel etiam suspensus tantum ab officio (intellige, absolute, & non tantum ab uno officio particulari, seu uno actu officii, néque enim suspensus ab uno actu eo ipso suspensus est ab alio; cum suspensio, utpote pena non sit extendenda, adeoque suspensus à collatione sacramentorum, eo ipso non est suspensus ab electione; ut contra Host. tenet Innoc. in c. cum dilectus. de consuet. n. 4. Navar. c. 27. num. 160.

Pass. loc. cit. n. 90. & alii) eligit invalidè. c. cum inter. h. r. cit. c. cum dilectus. & ibi. gl. v. à suspensis. Abb. n. 48. Innoc. n. 4. Tamb. de jure Abb. ro. 1. d. 5. q. 8. n. 13. Barb. ad c. cum inter. n. 4. item cit. c. 19. n. 78. Laym. l. 4. r. 2. c. 12. Peyr. in Pral. q. 2. c. 5. n. 32. & c.

3. Respondeo tertio: secus dicendum de suspensio à beneficio tantum, etsi nominatim denunciatus; cum talis suspensus sit tantum à perceptione fructuum; eligere autem & jus eligendi (uti & conferre, beneficia instituere, &c.) non est propriè loquendo fructus beneficii, sed actus officii & jurisdictionis, cui annexum est beneficium. Laym. de elect. q. 25. & in c. cum dilectus. n. 7. Pass. n. 94. Suar. loc. cit. n. 34. contra Navar. c. 27. n. 163. Barb. in r. cum inter. n. 4. Sigism. à Bon. n. 5. in quantum docent jus eligendi posse esse fructum beneficii: quod si verum, jam in eo casu suspensus à beneficio invalidè eligit. E contra suspensus ab officio, utpote hoc ipso non suspensus à beneficio, eligit validè. Pass. loc. cit.

4. Respondeo quartò: secus quoque dicendum de suspensio ab ordine. Saar. de cens. d. 26. f. 4. n. 5. Filiuc. tom. 1. r. 17. c. 2. n. 25. Barb. cit. c. 19. n. 58. licet enim Ordo & facultas eligendi per accidens jungantur, in quantum hic tanquam conditio requiritur ad eligendum, non tamen posse eligere est fructus ordinis. Pass. loc. cit. n. 95.

Questio 277. Num personaliter interdictus sit privatus jure & facultate eligendi, & hinc eligat invalidè?

Respondeo affirmativè, si est denunciatus. c. cum inter. h. r. Less. l. 2. c. 24. dub. 22. n. 116. Barb. loc. cit. n. 62. Azor. p. 2. l. 6. c. 14. Garc. p. 7. r. 14. n. 5. Laym. loc. ult. cit. secus est de personaliter interdicto non denunciato, applicandaque ei proportionatè quæ dicta sunt de excommunicato & suspensio tolerato. Pass. n. 99.

Questio 278. Num irregularis (intellige, ex delicto) sit privatus facultate eligendi?

Respondeo negativè, Suar. loc. cit. d. 40. f. 1. n. 27. Filiuc. r. 19. c. 3. q. 6. n. 75. Bonac. d. 7. q. 1. p. 4. n. 18. Navar. c. 27. n. 244. Pass. c. 10. n. 104. contra Tamb. tom. 1. d. 5. q. 14. Laym. l. ult. cit. n. 3. Peyr. ro. 2. de præb. q. 2. c. 5. §. 3. n. 48. cum enim eligere non sit actus Ordinis, nec per se annexum Ordini, aut ex vi illius proveniens; sed ex vi potestatis & jurisdictionis spiritualis, quæ laicis non tribuitur; nec etiam, quod jus eligendi non competat nisi ordinatis, sit ex vi ordinis, sed ex jure positivo Ecclesiastico per accidens statuentem, ut vocem non habeant nisi in factis constituti, hinc inquam irregularitas, utpote solum impediens ab exercitio Ordinis, non verò ab executione jurisdictionis, &c. nec per se primò, nec consecutivè, seu indirectè impedit actum eligendi, adeoque irregulares per se loquendo eligere poterunt validè. Pass. loc. cit. nisi fortè obstaret statutum particulare; uti in Ordine Prædicatorum irregulares privatos esse voce activâ testatur Donatus p. 2. r. 4. q. 9. n. 3. Neque obstat, c. si quis. de sent. excom. ubi, postquam dictum erat, quod scienter celebrans in loco interdicto, incurrat irregularitatem, additur: & adeo sit ineligibilis, quod nec ad eligendum cum aliis debeat admitti, &c. Nam tò & adeo non significat & ideo, seu propter irregularitatem; sed significat augmentativè idem, quod immo vel amplius, (quam vim habere hanc particulam, maximè præcedente copulâ & videre est in Calepino, & apud Turse-

Turkelin, *de particulis latina orationis c. 5. n. 5.*) ut sensus sit: prater irregularitatem incurrit dictas pœnas Adeoque privatio vocis non sit ex vi irregularitatis, sed sit adjuncta pœna, quæ in solis illis duobus casibus, nempe celebrationis in loco interdicto, & infamationis vel condemnationis de homicidio locum habet ex *constit. Pii 5. & Pii 2. Pass. num. 105.* Porro dato, quod irregulares nequeant validè eligere, id intelligendum solum esset de denunciatis non toleratis; & tunc de toleratis loquendum iterum proportionatè ad dicta de excommunicatis toleratis. Donat, & Festus apud Pass. n. 107.

Quæstio 279. Num infamis eligat validè?

1. **R**espondeo negativè de eo, qui est infamis infamiam juris, seu de jure. Suar. *de cens. d. 48. s. 3. n. 2. Pass. loc. cit. n. 144.* Infamibus enim actus legitimi (qualis est eligere *c. soler. de sent. Excom. in 6. gl. ibi. Tholos. de elect. c. 16. n. 10.*) sunt prohibiti, *l. actus ff. de reg. juris. gl. in c. ut circa. b. t. in 6.* Verùm hoc ipsum intelligendum tantùm de infami sententiatò seu declarato; nam qui commisit factum, pro quo ipso jure incurritur infamia, adhuc validè eligit, dum, nullo excipiente contra illum, admittitur ad electionem. Pass. n. 145. citans Donat. p. 5. r. 5. q. 20. n. 4. vide etiam Azor. p. 1. l. 8. c. 13. q. 8. Sanch. in sum. l. 2. c. 26. n. 1. Bursat. l. 1. *consil. 14. num. 18.* & alios, docentes non incurri infamiam ante sententiam judicis. Dum autem contra eum excipitur, dicendum idem quod dictum in hoc casu de excommunicato tolerato. Porro hic notandum, quod infamia juris Ecclesiastici sit amplior, quàm juris civilis; cum omnis infamia, quæ in pœnam statuitur jure civili, eo ipso, quod non sit reprobata à jure canonico, sit etiam infamia juris canonici; & insuper ab eo pro pluribus seu aliis adhuc delictis statuitur hæc pœna. Pass. n. 141.

2. Respondeo secundò, affirmativè de eo, qui infamis est infamia facti, id est, ortà ex eo, quod homines malè loquendo de aliquo, infamem opinionem generent de eo. Suar. Simanca, & alii, quos citat & sequitur Pass. n. 142. cum enim hæc infamia signatur sæpissimè ex ignorantia, imprudentia, dicitate & odio, si inhabilitaret ad actus, status reip. ex vulgi penderet existimatione.

Quæstio 280. Veluti pro complemento jam dictorum, & universaliter, quando quis censetur ita privatus voce activà, ut revera invalidè eligat?

1. **R**espondeo primò: si est per sententiam privatus voce; hoc ipso enim jam juridicè, & legitime spoliatus jure eligendi, ita etiam, ut si exire nollit è capitulo, vi sit expellendus, si fieri potest absque scandalo, licet ista expulsio non tam foret illatio violentiæ, quàm defensio possessionis, quam talis perturbat, interesse volendo electioni. *c. si verò. de sent. excom. Peyr. in subd. q. 1. c. 31. §. 8. Abb. in c. cum Vintoniensis. h. t. Castell. in addit. ad c. 5. n. 78. apud Pass. cit. c. 10. n. 127.*

2. Nisi tamen sententiatus legitime & debito tempore appellaverit; appellatio enim suspendit sententiam & effectum. *c. cum venientes. de jurejurando. Suar. tom. 4. de relig. l. 2. c. 11. n. 6. Pass. num. 128.* Nec obstat, quod appellatio non suspendat sententiam suspensionis, & interdicti, cum nec hoc universaliter verum sit, nec privatio vocis sit propriè suspensio. Navar. l. 1. *consil. 8. de elect. apud Pass. loc. cit.* Item

nisi fortè sit toleratus, hoc est, non sit sententiatus in particulari privatus voce; talis enim si nullo reclamante eligat, eligit validè. *arg. cit. Extray. ad videndam. utpote quæ loquitur nõ solum de censuris, sed de quacunquè sententia generaliter promulgata, & indulget, ut prætèxu cujuscunque hujusmodi sententiæ nemo deinceps teneatur à communione altitujus abstinere in quibuscunque divinis intus & extra. Suar. l. 5. de LL. c. 9. n. 5. Bonac. de LL. d. 1. q. 1. p. 7. n. 12. Pass. n. 129.* Adeoque etiam privatus voce activà ipso jure ante sententiam (sufficit autem in isto casu sententia declaratoria delicti seu facti. Pass. n. 136) eliger validè. Sanch. l. 9. *de marrimon. d. 30. n. 2. Dian. p. 1. r. 10. resol. 24. Molin. to. 1. de justit. s. 2. d. 96. Pass. num. 129.* Unde nec talis poterit vi ejici ab electione, cum non sit vià facti sine ope judicis privandus quasi possessione suffragii Innoc. *ad c. cum Vintoniensis. n. 6. Felin. Jo. And. Castell. de elect. c. 5. n. 1.* quos citat & sequitur Pass. num. 120. contra Abb. in *c. cum Vintoniensis.*

3. Intelligenda hæc quoque sunt, & tenenda, etiam si crimen, cui statuta est privatio vocis activæ late sententiæ, sit notorium ex propria confessione delinquentis, etiam factà coram testibus; ita ut de ea constare possit in judicio (nisi fortè facta esset in Capitulo coram Superiore seu Præfide & Capitularibus (quamvis & tunc, non tam ob solam notorietatem criminis, quàm quia tunc Præfide ipse declarare eum potest privatum voce, excluditur à ferendo suffragio) cum reus etiam contra propriam confessionem possit delictum aliquà tergiversatione celare, & contra confessionem excipere. Pass. n. 138.

4. Porro in casu, dum aliquis contra talem reclamavit ante electionem, dicendum est idem, quod supra de censuratis non denunciatis nominatim. Nimirum quod dum confirmatori constat de veritate oppositi criminis, electio declaranda sit ipso jure nulla, si electus virtute suffragii istius evasit electus, & c. Vide Pass. n. 131. Quod si tamen etiam ante electionem opponitur privatio vocis non late sententiæ, sed ferendæ, oppositio nulla est; cum enim non teneatur quis ante latam sententiam subire pœnam, adeoque privatio vocis sententiæ ferendæ vim nullam habeat, sed neque vim ullam habeat, ut retroharur ad diem commissi criminis; quia hoc est proprium sententiæ late; talis eligit validè Pass. n. 133. citans Sylv. v. *electio. Abb. in c. cum Vinton. n. 13.*

PARAGRAPHVS IV.

De pœnis eligentium illegitimè, vel indignum.

Quæstio 281. Quenam sit pœna eligentium illegitimè, hoc est, non servato modo, vel forma eligendi præscriptà à Canonibus?

Respondeo privantur pro ea vice potestate eligendi; non quidem ipso jure, sed per sententiam à Superiore ferendam. *c. quia propter. h. t. & ibi gl. communiter recepta v. priventur. & Laym. n. 14. & c. quamquam. h. t. in 6.* Unde si hi electores elegerunt de novo, antequam per sententiam privarentur, votum eorum foret validum, & electio subsisteret. Pirh. n. 41. citans Abb.

Qua

Quaestio 282. Quenam sint poena eligentium clericorum scienter, & spontaneè admittentium laicos ad coeligendum?

Respondeo duarum: nimirum suspensio ab officiis & beneficiis per triennium, & privati vocis activi. *c. quisquis. h. r.* ubi haec poena hoc ordine statuuntur eligentibus per abusum saecularis potestatis; jam vero, dum laicus non tantum Princeps usurpans sibi auctoritatem & jurisdictionem in electione, sed & privatus scienter admissus coeligit, est una species (quarum reliquis vide apud Fagn. *ad cit. c. quisquis. num. 12. & Pass. c. 8. num. 5.*) abusus saecularis potestatis. Idem Fagn. *n. 22.*

2. Porro prima poena est sententia ferenda per iudicem, ut indicat *rd suspendantur*, neque enim *rd penitus* adiectum importat canonem latae sententiae, ut sensus sit: ipso iure auctoritate huius canonis suspensio pronuncietur. Innoc. *hic in fine, v. suspendantur. Fagn. loc. cit. n. 10. Pass. cit. c. 8. n. 8. & apud illum Suar. Bonac. & alii.*

3. Secundam poenam esse latae sententiae, tenent Suar. Laym. *ad cit. c. quisquis. Fagn. ibidem* citans Host. Bellamer. Jo. And. & c. ita ut, dum textus dicitur *per triennium suspendantur, eligendi tunc potestate privati &c.* Sensus sit: ipso iure sicut privati voce activi pro hac vice, quominus haec electio facta per abusum saecularis potestatis irrita, ad aliam procedere possint, & dein suspendantur ad triennium. Laym. *loc. cit. ne si dicatur, esse sententia ferenda, utpote sequens & supponens suspensionem, efficeret hunc sensum: suspendantur per triennium, & tunc seu eo tempore, nempe per triennium sint privati, ut vult gl. in altera respons. quam sequitur Abb. hic in fine & Pass. l. c. n. 18.* citans plures alios: ne inquam, si id dicatur, admittendum sit illud minus conveniens huic canonis, nimirum posse Electores illos, antequam suspendantur, procedere ad aliam electionem.

Quaestio 283. Quenam sit poena electi consentientis tali electioni, qualiter extendenda, & à quo dispensabilis?

Respondeo ad primum, quod commodo illius electionis (ut pote ipso iure irrita) careat, & ineligibilis fiat, nec possit absque dispensatione ad aliquam eligi dignitatem *cit. c. quisquis.* Porro est haec poena latae sententiae. *gl. hic v. fiat. Laym. loc. cit. Fagn. loc. cit. n. 4. & 5. citans Abb. Innoc. Host. Butrio, & c. Pass. cit. c. 8. n. 15. citans Sayrum in clavi regia. l. 3. c. 8. n. 26. Suar. & c. contra Barb. ad c. quisquis. n. 7. & Bonac. d. 3. q. 4. p. 1.* nam licet verbum illud fiat videatur futuri temporis, est tamen futuri immediatis subauditur enim adverbium *tunc.* Fagn. *loc. cit. Bald. hic n. 4.*

2. Respondeo ad secundum: imprimis non recte extendi poenam huius canonis ad recipientes dignitatem de manu laici, ita ut hi vi huius canonis reddantur ineligibiles (quidquid sit de eo, num ex praxi Ecclesiastica, alii sive canonibus hoc canone antiquioribus eam poenam incurrat, ut arbitratu Laym. *loc. cit.*) Suar. *loc. cit. d. 3. l. 3. n. 4. Pass. loc. cit. n. 27. contra Abb. Fel. Azor. & c.* Quos citat & sequitur Laym. In penalibus enim non est extensio facienda casus ad casum, etiamsi alter casus contineat gravius peccatum; cum saepe leges minora peccata puniant, vel quia frequentiora, vel quia occasiones scandalorum. Unde etiam contra poenam aliorum canonum constituta recipientibus immediate di-

gnitatem de manu laici, v. g. excommunicatio, non recte extenduntur ad consentientes electioni sua facta per coeligentes laicos. Dein non recte extenditur ad beneficia alia, quae dignitates non sunt; lex enim poenalis extendi non debet ultra clara verba; hinc tamen talis manet eligibilis ad canonicatum etiam Ecclesiae cathedralis, ad beneficia curata, & c. Laym. *loc. cit. n. 7.*

3. Respondeo ad tertium; dispensare posse in hac ineligibilitate Episcopum. Innoc. Abb. Imol. Felin. quos citat & sequitur Laym. si enim canone permittente dispensationem non exprimitur, quis dispensare possit, dispensare poterit Episcopus, ne alius frustra adicerentur verba illa permissiva dispensationis; cum constet, Papam dispensare posse. Laym. Barb. *hic n. 4. Butrio, & c. ad c. si clericus de adult. Azor. Bonac. & c.* quos citat & sequitur Pass. *loc. cit. n. 26* contra Fagn. *loc. cit. n. 8.* probabiliter sententem contrarium, eò quod poena hac ineligibilitatis imposita sit à Concilio generali, in cuius lege non dispensat Episcopus, neque etiam in *cit. canone* tam permittatur dispensatio, quam prohibeatur, ne sine dispensatione promoveatur. Porro censetur Papa tacite dispensare in dicta inhabilitate, si talem provideat de illa dignitate, in quam se intrudit taliter electus; secus est de inferiore Papa, qui non censetur dispensare in hac habilitate, etsi posset, nisi saltem praemisisset cognitionem super causa dispensationis. Abb. *hic n. 2. Azor. p. 2. l. 6. c. 4. q. 28. citati à Pass. l. c. n. 26.*

Quaestio 284. Quenam sint poena eligentium scienter (vel etiam cum ignorantia directe voluntaria, hoc est, crassa & affectata, intermittendo cum industria inquisitionem, ne defectus eligendi appareat; haec enim ignorantia scientiae equiparatur, arg. c. ult. de clandest. desponsat indignum, hoc est, talem, quia à SS. Canonibus prohibetur eligi, v. g. ob defectum aetatis, morum, scientiae, &c.

Respondeo privantur voce activi seu potestate eligendi pro ista vice tantum, & suspenduntur à beneficiis (non officiis, *gl. & Host. in c. in cunctis. h. r.*) per triennium *cod. c. ubi licet solum fiat mentio de eligentibus indignum ad dignitatem Episcopalem, poenam tamen illam privationis locum etiam habere in eligentibus indignum ad praelaturas & dignitates inferiores, satis colligitur ex posterioribus iuribus. c. dudum. h. r. ibi gl. v. in Ordinibus. c. perpetuo. c. quanquam. h. r. in 6. ibi gl. v. secus & Abb. num. 11. Addit Pirh. n. 43. citans c. dudum. & c. quanquam h. r. & Laym. in cit. c. in cunctis. num. 4. & de electione q. 63.* quod dato poenam illam privationis in re communi non esse latam contra eligentes indignum ad inferiores Episcopatu praelaturas, si in Ecclesia collegiata sive saeculari, sive regulari eligatur indignus praelatus, Episcopus possit privare Electores pro ista vice iure eligendi, & ipsemet iure devolutionis providere illi Ecclesiae de Praelato. Secus tamen est de poena suspensionis, quae solum incurritur ab eligentibus scienter indignum in Episcopum, ut expressè habetur *c. si compromissarius. h. r. in 6.* Ubi etiam haec poena suspensionis ab eligentibus indignum incurritur solum quoad beneficia, quae obtinent in Ecclesia, in & pro qua facta est electio, utpote, quam eligendo indignum specialiter offenderunt *cit. c. compromissus. Abb. m. c. cit. in cunctis.* De cetero utraque poena est latae sententiae, seu incurritur ipso

ipso jure. Pirh. n. 43. ad h. t. Primum habetur c. quamquam. h. t. in 6. & c. annotuit. h. t. juncta gl. v. nullam. Secundum c. Si compromiss. Porro qualiter easdem poenas incurrant conferentes indigno, vel confirmantes electum indignum, Vide apud Pirh. an. 43. & seq.

Questio 285. An, qui alium eligit ad praelaturam, in qua obtinenda illum simoniam commisisse novit, praeter dictas poenas incurrat ad huc aliam?

Respondeo praeter triennium, quo talis suspensus est à beneficiis, quæ in illa Ecclesia jam obtinuerat, esse inhabilem ad dignitatem vel beneficium aliud in illa Ecclesia (non verò in alia) obtinendum c. per inquisitionem h. t. Verum ista inhabilitas ad beneficia obtinenda accessorie sequitur ipsam suspensionem à beneficiis obtentis, ideòque etiam secundum illam regulari, & restringi debet dicta inhabilitas, nimirum respectu beneficiorum obtinendorum in illa Ecclesia tantum c. eod. Abb. ibi. n. 8. Pirh. n. 64. h. t.

PARAGRAPHVS V. De qualitatibus eligendorum.

In presenti quaeretur de iis solum qualitatibus, quas specialiter respicit electio; actum enim est fusè in prima parte de cæteris, quæ in quolibet promovendo ad praelaturas & beneficia, sive per viam electionis, sive per viam præsentationis, & institutionis, aut etiam liberæ collationis requiruntur; puta de ætate, sanitate & habilitate corporis, scientia, legitimitate, libertate, monogamia, fide, clericatu, sacris Ordinibus, carentia censurarum & infamiae, &c. Unde in presenti vix aliud superest examinandum, quàm de voce passiva privatis, de rejectis femel ab electione, de indistinctis ab eligentibus, de extraneis, seu qui non sunt de gremio, de non professis respectu dignitatum regularium, an sint eligibiles. Unde sit

Questio 286. An ipso jure privatus voce passiva, vel redditus inhabilis ante sententiam declaratoriam criminis (de privato enim per sententiam, vel etiam per sententiam declarato; quòd commiserit crimen, pro quo lata est pœna privationis vocis passivæ, constat eum ab electione excludendum, ejusque electionem esse evidenter nullam) possit ab electione excludi vi, & impediri, ne eligatur. De cæterò enim dubium non est, quin Electores pro libitu suo possint talem, ut & quemcumque alium nolle eligere.

Respondeo negativè; scilicet neminem unquam excludi posse, prætendendo, quòd sit voce privatus, aut inhabilis redditus, nisi servatà formâ judicii sit privatus voce, vel declaratus reus criminis per sententiam (& quidem talem, quæ transierit jam in judicatum, seu cujus effectus non sit suspensus per appellationem; privatio enim vocis, passiva non est censura, quæ non suspenditur. Suar. de relig. ro. 4. tr. 8. l. 2. c. 2. l. n. 13.) cum sit adhuc

in possessione sui juris & eligibilitatis, quâ per vim privari nequit. Pass. cit. c. 25. n. 600. ubi etiam, & n. 602. ait Superiores non posse ex propria scientia vel arbitrio talem excludere ab electione, uti nec præcipere Electoribus, ne talem eligant, nisi ordine judiciario præmissis eum per sententiam (ad quam ferendam specialiter requiruntur indicia reum convincentia. Sigism. à Bon. dub. 91. n. 9. Pass. n. 601. illiusque citatio, & interrogatio. Clar. l. 5. q. 8. §. fin.) vel privent voce, vel declarent, eum commisisse crimen, cui annexa est dicta pœna privationis ipso facto cum licet Prælati regulares in judicando non ita sint adstricti apicibus juris, servare tamen debeant substantialia Clem. sepe. de verb. signif. Ab. in c. dilectus. Nav. l. 2. cons. 1. de sent. & re judic. Rodrig. Sigism. à Bon. & c. apud Pass. qui etiam n. 603. de rationem disparitatis, cur superior, etiam extra judicialiter informatus de Electi infamia, possit eundem repellere à confirmatione; non verò sic possit eum excludere ab electione, quia nimirum confirmatio, non autem electio commissa est arbitrio Superioris.

Questio 287. An Electores præcisè ratione privationis vocis passivæ, nondum declarata per sententiam, teneantur in conscientia talem excludere (intellige) negativè, nimirum non eligendo?

Respondeo negativè: Talis enim privatio confertur illis occulta; quia non cõstat illis de ea juridicè. Pass. n. 604. quin etiam peccabunt contra justitiam vel charitatem, si prætextu talis delicti adhuc occultis, illum manifestando, illum non eligant. Nihilominus quoad quæ per accidens tenebuntur talem non eligere, ratione nimirum scandali, dum is de delicto est diffamatus.

Questio 288. An inhabilis ipso jure, aut privatus ipso jure voce passiva, ante sententiam declaratoriam teneatur in conscientia non consentire electioni, aut confirmationi; vel si consenserit, & receperit praelaturam, illi renunciare?

1. Respondeo primò: quaestionem hanc gravissimam pendere ex generali illa, nisi lex pœnalis lata sententiæ ferat secum executionem, obligetque in conscientia ad exequendam pœnam ante sententiam declaratoriam criminis, de quo vide Suar. de LL. l. 5. c. 9. Sanch. de matr. l. 9. d. 30 & l. 2. sum. c. 39. Pass. cit. c. 25. q. 51. Negativam, excipiendo censuras, præter quam plurimos tenentidem Pass. Sanch. Laym. l. 1. tr. 4. c. 15. Mol. to. 1. tr. 2. gl. 96. Sa. v. fiscus Sylv. v. aff. finus. n. 4. Covar. l. 4. decret. p. 2. c. 3. §. n. 10. &c.

2. Respondeo tamen secundò breviter in specie ad quaest. propositam negativè; sic in terminis propriis de pœna privationis vocis activæ & passivæ tenent Graù p. 2. contr. 7. tr. 3. p. 1. d. 13. §. 2. n. 15. Mol. loc. cit. n. 8. Armil. v. lex. n. 1. Castell. de elect. pralud. l. n. 20. Peyr. in suad. q. 2. c. 2. §. 11. conc. 3. Bass. v. panna. n. 7. Castrop. p. 1. tr. 4. d. 4. p. 4. n. 4. Dian. p. 1. tr. 19. r. 76. 24. De pœna verò inhabilitatis in terminis præter Mol. Bass. Peyr. loc. cit. Sanch. in decal. l. 2. c. 39. n. 32. Navar. Villalob. Lezan. & plures alii cit. à Pass. n. 626. Quinimo semper desiderari sententiam declaratoriam criminis, etiamsi lex imponens pœnam non tantum utatur particulis istis: ipso facto; sed aliis

ex

expressioribus v.g. absque declaratione, ante omnem declarationem. Absque ullo superioris decreto, ministerio vel sententia, &c. dictaque particulis; absque declaratione, aliisque similes intelligi solum de declaratione pœna, tenent Covar. loc. cit. n. 10. Less. l. 2. c. 29. n. 63. Valq. p. 2. q. 96. a. 5. d. 170. c. 4. n. 24. Peyr. loc. cit. Lezan. Rodriq. Lopez, &c. cit. à Pass. num. 627. contra Sylv. loc. cit. Azor. ro. 1. l. 3. c. 7. q. 6. aitque Mol. loc. cit. leges imponentes pœnam ipso facto requirere ad executionem pœnae sententiam, nisi verba luce meridiana clariora contrarium importent.

Questio 289. An is, qui semel rejectus ab electione, seu cuius electio, non ob vitium electionis perperam instituta, aut electorum v.g. excommunicatorum, sed propriam personam electam, semel cassata fuit, maneat deinceps ineligibilis ubique?

1. Respondeo primò: si crimen à persona electi commissum circa ipsam electionem, aut effectum illius, videtur manere ineligibilis, usque dum cum eo dispensetur. Laym. in c. super eo. de elect. n. 2. v. g. qui simoniace curavit se eligi, aut promoveri, de quo q. post hunc 3. item qui per abusum secularis potestatis passus est se eligi, ut habetur c. quisquis. de elect. Verùm & tunc vitium fuit ipsius electionis, seu illa perperam instituta. Item cuius cassata electio, quia ante acceptam confirmationem se administrationi pralaturæ intrusit. Laym. loc. cit. juxta c. qualiter. de elect. & gl. in c. n. 8.

2. Respondeo secundò: etiam dum crimen commissum extra electionem, seu independenter ab electione (juxta limitationem tamen dandam q. seq.) semel propterea rejectus manet deinceps ineligibilis, c. super eo. de elect. Fel. in c. super bis. de accus. Sylv. v. electio. q. 14. Miran. ro. 2. q. 23. c. 11. Peyr. in subd. q. 1. c. 31. §. 8. Pass. cit. c. 25. n. 634. licet enim quis per hoc, quòd ob vitium proprium repellatur ab electione non incurrat infamiam juris. c. 1. de excep. gl. Ab. Bald. in c. super eo. b. t. (sententia enim lata per viam exceptionis non infamat; neque enim, dum alicui obijcitur crimen, & probatur excipiendo, ut repellatur ab aliquo actu legitimo, puniri potest pœnâ ordinariâ, v.g. infamiâ juris; cum vi talis sententia fati puniatur per repulsam ab actu legitimo) remanet tamen infamis infamiâ facti, propter quam, si infamatus suspendi debet ab officiis habitis, donec se purgari, argumento c. 2. & c. inter sollicitudines. de purgatione Can. multò magis impediri debet, ne beneficium non habitum acquirat; adeò que ab electione (idem est de præsentatione, collatione, aliâve promotione Pass. n. 635.) repelli, non secus ac testis à testificando, dum ei probatur crimen, propter quod semel rejectus fuit; quòd addo, quia non sufficit probari, electionem ejus semel cassatam fuisse, sed requiritur, ut insuper probetur eam cassatam ob crimen ei probatum, vel sententiam per sententiam, quæ transferit in judicatum, & non constat de pœnitentia illius rejecti sufficiente. Pass. n. 634. Maléque etiam dicitur, ad repellendum electum à nova electione sufficere quòd probetur infamia absque eo, quòd probetur crimen; cum nequeat probari infamia facti orta ex ista repulsâ, non probato crimine, seu quòd rejectus fuerit ex tali delicto. Pass. n. 636.

Questio 290. An igitur semel rejectus maneat quoque perpetuò ineligibilis?

1. Respondeo primò: si rejectus fuit ex crimine plene probato, manet ineligibilis, usque dum infamiam hanc natam ex hac repulsâ, utpote quæ facti est & temporalis, pœnitendo de crimine, ob quod repulsus, aliisque beneficiis sufficienter diluerit, & de hoc confiterit. Pass. n. 637. Laym. tamen in c. super eo. de elect. n. 2. ait: etsi textum juris expressum nullum habeamus, vi cuius talis post plene emendatum & sublatum crimen vetetur denuò eligi, aut promoveri, quia tamen AA. argument. cit. c. super eo. sic docent, ut Abb. in cit. c. n. 4. (extendens idem expressè ad præsentationem & collationem) Host. in sum. cit. de elect. §. si quis eligendus. n. 10. ideo in praxi retinenda est ea doctrina, quòd repulsus ob crimen iterum eligendus, aut promovendus non sit, nisi Superioris dispensatio præmissâ cognitione de præsentati habitate personæ accedat, idque confirmatur ex c. post transl. de renuntiation. ubi: si quis propter criminis conscientiam pralaturæ renuntiavit, aut renuntiare coactus, vel depositus fuit, iterum eligi non potest. Ratio hujus est, quòd per ejusmodi ob crimen commissum, factam repulsam, renuntiationem, depositionem exstigmatio illius non parum gravetur, ut nova electio, aut promotio non ita facile permittenda. Laym. loc. cit.

2. Respondeo secundò: si rejectus fuit ex crimine præsumpto, dum postea purgaverit se, non est à secunda electione repellendus. Pass. ib. Peyr. in subd. q. 1. c. 31. §. 8.

3. Respondeo tertio: si rejectus fuit ob defectum, qui non est crimen, v. g. quia ob circumstantias extrinsecas non expediebat illum tunc, vel pro tali loco eligi, vel confirmari, manet eligibilis pro alio tempore vel loco, ubi cessant dictæ circumstantiæ. Item si rejectus ob infirmitatem, eâ cessante erit eligibilis; in quo casu spectabit ad electum probare, se sanatum, si morbus fuit ex durabilibus, v. g. amentia, aliàs si morbus fuit ex iis, qui durare diu non solent, & non facile curari, spectabit ad excipientem probare morbum adhuc durare. Pass. n. 640. Peyr. loc. cit. Laym. ad c. super eo. de elect. num. 2. citans Rodriq. regular. qq. 10. 2. q. 54. a. 5. Imol. Jo. And. Butrio in cit. c. super eo. & scilicet Theol. mor. tr. 5. p. 5. c. 7. num. 2. & 3.

Questio 291. An dum simpliciter cassata fuit prior electio, nullâ reddidâ ratione, cur cassatur, num ex vitio personæ, num ex vitio formæ, rejectus maneat infamis, & ineligibilis?

1. Respondeo primò: ubi confirmator agit ex iustitia, & medio processu, dum, si oppositum fuit contra personam, & electio cassata, præsumitur ex vitio personæ, & sic rejectus manet infamis & ineligibilis; si verò exceptum fuit solum contra electionem, præsumitur cassatio facta ex vitio formæ, uti etiam, si oppositum fuit contra personam & electionem; cum in odiosis faciendâ sit benignior interpretatio. Abb. & Bald. in c. super eo.

2. Respondeo secundò: dum confirmator agit ex boni viri arbitrio, & principaliter intuitu boni communis, electo jus non acquirente ex electione, uti fieri solet apud plures regulares, ubi ex decreto cassationis non constat de causa cassationis, neque ex processu, qui non formatur, dū confirmatio est arbitraria, neque ex oppositionibus contra personam

sonam electam, utpote quibus talis Superior potest non moveri, & aliunde etiam nullis opponentibus contra personam, ex rationabili causa cassare electionem, tunc inquam praesumi debet electio cassata ex defectu electionis, vel ex motivo non concernente delictum, nisi aliud probetur. Pass. n. 641. qui tamen etiam n. seq. ait, quod in suo Ordine, ubi Provinciales procedentes extrajudicialiter, & ex arbitrio boni viri cassant electiones nullam additam causam; cum saepe non expediat, ut explicant, se cassare electionem vitio personae, utpote quod judicialiter probatum non est, nisi Provincialis expressè dicat se cassare electionem ex vitio non servata forma, vel rehabilitet Electum, non debeant electores eundem amplius eligere, absque eo tamen, quod per hoc repulsus maneat infamatus; cum esse potuerit, ut cassata sit electio ex conditione personae eum non infamante.

Questio 292. An electio cassata vitio electionis noceat electo?

Respondeo negativè: ita expressè *cir. e. super eo*. Excipitur tamen hic unicus casus, dum electio celebrata est in discordia, Electoribus habentibus plures electiones, quibusdam unum, aliis alium eligentibus; cassatis enim illis electionibus, uterque electus pro illa vice, & in ista Ecclesia tantum est ineligibilis, uti & licite inconfirmabilis (ita tamen, ut, si dein alter eorum eligeretur, electio non esset ipso jure irrita, & si confirmaretur, confirmatio esset valida. Pass. n. 645.) ob vitandum scandalum & discordiam, *c. super eo*, & *c. consideravimus. de elect.* ibidem Abb. n. 1. Burrio n. 9. Sigisf. à Bon. *dub. 96. n. 4.* nisi dein unus eorum unanimiter eligeretur; cessat enim tunc causa prohibitionis, *c. cum cessante. de appel. & l. generaliter. de sacrosanctis Eccl.*

2. Addendus tamen & alter casus, dum nimirum electio vel promotio irrita vel cassata fuit, non ob aliud vitium personae, sed ob intercedentem simoniam, ita ut vel hoc ipso electus vel promotus reddatur incapax illius, & etiam alterius beneficii, *c. super eo. de elect.* Laym. *ibid. n. 1.* idque etiam, licet simonia intervenerit, electo aut proviso ignorante, adeoque sine culpa illius, praeterquam si accedat dispensatio. Laym. *ibid. n. 3.* citans *c. 1. causa. l. 95. c. nobis. de simon. c. penult. de electione. & seipsum Theol. mor. l. 4. r. 10. c. ult. §. 7. n. 73.*

Questio 293. Num valida sit, & licita electio extranei, seu qui non est de gremio Capituli, vel conventus, aut respectivè de civitate, & dioecesi, provincia?

Respondeo ad primum: per se & de jure communi, si aliud non obstat, valida est, & confirmanda electio extranei facta à majori parte, *c. cum inter. h. t. ibidem gl. Barb. n. 2. & 6. Innoc. n. 2. c. cum nobis. c. in causis. de elect.* D. Th. 2. 2. q. 63. a. 2. ad 4. Felin. in *c. sicut tuus. de simon.* Garc. *de benef. p. 7. c. 9. n. 5.* Pass. *cit. c. 25. n. 649.* secus est, ubi speciale statutum, vel consuetudo habet, ut electio extranei sit ipso facto irrita, vel etiam ad instantiam alicujus cassanda; sine dubio enim tunc talis electio irrita erit, aut irritanda. Pass. *loc. cit.* nisi fortè ex eo, quod statutum tale, vel consuetudo ordinetur in utilitatem, & favorem eorum, qui sunt de gremio, hi huic juri suo renunciare possunt, eodem statuto vel consuetudine id non prohibente; tunc enim eligendo extraneum, huic juri & favori suo renunciare cen-

sentur, proindeque talis electio tenet. Abb. *ad c. nò pro defectu. de elect. cit. à Pass.* aut etiam, nisi in tali lege vel consuetudine dispensatum fuerit, quod possit inferiorem Papam, si auctoritate Apostolica firmata non sit, & vel maximè Capitula generalia regularium, utpote quibus, uti competit ferre leges, & lras, aut etiam consuetudines abrogare, ita etiam in iisdem dispensare docet Pass. n. 656. contra Sigisf. *loc. cit. n. 4.* Rebuff. in *praxi. r. de dispens. cum regul.*

2. Respondeo ad secundum: ceteris paribus, putata, scientia, prudentia, experientia regendi, bonitate morum, aliisque, quae ad officia Ecclesiastica necessaria sunt, etsi non sit iniustitia, eligere extraneum, aut ei conferre beneficium praeter in traneo, minus tamen decens & honestum est; ed quod, qui de gremio, vel dioecesi, utpote magis notus, adeoque talis, de cujus idoneitate securius cognosci potest, Abb. in *c. scriptum. de elect. Armil. v. electio. n. 22.* (ubi illud incidenter notandum ex Sigisf. de Bononia, *loc. cit. n. 3.* Pass. n. 651. tutius eligi dignum, de cujus idoneitate, & dignitate certò constat, quam digniorem, de cujus majore dignitate habetur solum probabilitas) meliusque noscens suos, & regulariter magis diligens Ecclesiam & communitatem, cujus jam ante membrum erat, quam extraneus, felicitiusque gubernaturus, bonumque Ecclesiae impensius curaturus, & facilius ad residentiam inducendus rectè praesumatur. *c. nec emeritis. c. nullis in vitiis. dist. 61. D. Th. loc. cit. Abb. in c. bone. 4. de postul. n. 16. Pass. n. 650. & 652.* Atque ita haec conditio; esse de gremio, vel esse ejusdem dioecesis, ad hoc, ut hinc praefertur quis alteri non nudè secundum se consideranda est; sed quatenus ex ea speratur major utilitas Ecclesiae, cui providendum est; vel etiam spectatur majus quoddam illius meritum, ortum ex eo, quod Ecclesiae isti jam deserviverit, laborisque pro ea perpressus sit. Pass. n. 653, ubi etiam ait, dictam majorem honestatem locum quidem etiam habere in regulis, si loquamur de extraneo respectu conventus vel provinciae (nam à tota religione extraneus est ineligibilis ad illius praelaturas) solum cum proportionem aliquam; cum alias qui eandem religionem profitentur, licet in distantissimis provinciis & Conventibus habitent, constituant velut unam dioecesim, & vivant quasi sub uno Episcopo, majore unione specialium legum, quam clerici alii diversarum dioecesium inter se conjuncti.

Questio 294. An Superior, ad quem vel jure ordinario, vel ex devolutione pertinet conferre beneficium, vel prelaturam, possit illam conferre extraneo?

Respondeo primò: licet beneficia conferre originariis & filiis patrimonialibus, tam ab Ordinario quam Papam, honestissimum sit & aequissimum, concernatque id ipsum bonum publicum. Lott. *l. 2. q. 39. n. 26.* de quo vide etiam Card. de Luca. *de benef. d. 69. n. 12.* & Corrad. *l. 2. c. 10. n. 38. 41. 43.* quantum est de se & de jure communi, omnibus aliis habilibus undecunque sint, beneficia conferri possunt. *c. ad decorem. de institut. & gl. ibi v. undecunque. & Abb. n. 4. Castrop. de benef. d. 4. p. 9. n. 1.*

Respondeo secundò: ubi adest lex (quales tamen leges, & quilibet alia statuta saecularia, ut effectum habeant, debent à Papa approbari; alias enim eorum dispositio non tenet, utpote in materia Ecclesiastica, & contraria juris communis dispositioni. Castrop. *loc. c.*) vel consuetudo id prohibens, Super-

rior talis inferior Papā (de hoc enim esse non potest
 quāstio; cum possit undecumque voluerit provide-
 re Ecclesiis *c. dona. 23. de elect. spectatque ad eum plena
 dispositio beneficiorum. c. 2. de prob. in 6. & nullā
 constitutione Pontificiā aut conciliari ligetur. c. si-
 gnificasti. & c. innovat. de elect.) tenetur non promove-
 re externum. Abb. & Host. ad *c. ne pro defectu* (nisi
 forte non adesset de gremio vel dioecesi idoneus;
 quia providere de digno & idoneo est juris natura-
 lis & divini, contra quod lex nulla naturalis aut
 consuetudo valet. Pass. nu. 660) quin &, ubi Colle-
 gium vel dioecesis jus haberet, ut ejus beneficia non
 conferantur extraneo, promotio externi erit con-
 tra justitiam commutativam, & invalida. Pass. n.
 679, de cetero ubi, qui sunt de Collegio, renunciare
 possunt juri suo, poterunt tam ipsi eligere, quā
 Superior de eorum consensu promovere extraneum
 &, vel etiam non requisito eorum consensu,
 dispensando in ista lege, si in ea dispensare potest,
 promovere extraneum. Pass. loc. cit. porro, ut quis
 dicatur naturalis seu oriundus ex tali dioecesi, pro-
 vincia, regno, in ordine, ut capax sit beneficii requi-
 rentis hanc conditionem, ut quis oriundus sit ex ta-
 li vel tali loco, sufficit, quod ejus Pater in tali dioe-
 cesi, provincia vel regno natus sit, quia à nativitate
 propria vel paterna oriundus quis dicitur, juxta
 Jason. in leg. hujusmodi. §. legarum. ff. de legatis. n. 18. Ca-
 strop. loc. cit. n. 2. citans Mando. ad reg. can. 16. q. 40.
 Barb. relatis pluribus aliis. de pot. Episcopi. alleg. 4. n. 6.*

*Quaestio 295. Quid sit in hoc circa Prioratus
 aliaque beneficia Regularia, unita vel incor-
 porata alicui monasterio vel Abbatia?*

Respondeo: Ea, etiam si sint simplicia, conferen-
 da solum iis, qui monasterio illi principali in-
 corporati sunt. *c. cum sing. de prob. in 6. Franc. ib. n. 1.*
 ita ut alii ea recipientes ipso jure fiant ineligiblees;
 superiores autem conferentes ea externis, pro ista
 vice privati sint potestate disponendi de istis bene-
 ficiis; unde, dum Superiores volunt extraneo magis
 idoneo providere de tali aliquo beneficio, debe-
 bant illum prius assignare illi monasterio, & face-
 re, ut ad illud pertineat, & sic eum instituere. Pass.
 n. 661.

*Quaestio 296. Num valida sit electio sui
 ipsius?*

Respondeo negativè. *c. in scripturis. 8. q. 1. c. ex fre-
 quentibus. & c. fin. de institutionibus. Abb. in c. gra-
 tum. de postul. Navar. de elect. consil. 6. n. 6. Sanch. l. 2. o-
 pusc. 2. dub. 28. n. 4. Pass. cit. c. 25. n. 664. tenetque hoc
 ipsum, etiam si quis esset dignior, & jurasset, se ele-
 cturum digniorem. Sylv. v. elect. n. 19. Pass. num. 663.
 Extendendumque etiam id ipsum est, ut nemo et-
 iam possit se ipsum instituere. *cit. c. fin.* Sed nec pa-
 tronus praesentare se ipsum *c. per nostras. de jure patron.*
 Sylv. v. jure patronatus. q. 7. n. 8. nisi forte ad benefi-
 cium, quod nec curatum, nec personatum, nec est di-
 gnitas habens honoratam Ecclesiam magnosque re-
 ditus. Lambert. de jure patron. p. 1. l. 2. q. 8. a. 2. num. 2.
 Sanch. loc. cit. n. 3. contra Pass. cit. c. 25. n. 665. De quo
 tamen vide dicta supra de praesentatione. Nihilomi-
 nus poterit se ipsum quis eligere hac ratione,
 consentiendo nimirum electioni de se factae ab a-
 liis, ac ita transeunte hoc suo consensu in suffra-
 gium, augendo numerum suffragiorum, ut jam ma-
 jor pars capituli ipsi suffragetur; non enim censetur
 quis ambitiosus, dum videns se hoc modo vocatum*

P. Leuren, Fori Benef. Tom. II,

à confratribus consentit electioni suae. *c. cum in jure. de
 elect. Abb. ibid. n. 5. Innoc. n. 4.* Quod tamen solum lo-
 cum habet, ubi electio fit per vota publica (aliis e-
 nim scire quis nequit, quod ab aliis sit electus) vel
 ubi admittitur accessus post publicationem scruti-
 nii (postquam aliis regulariter nihil agitur, & da-
 tum votum est invalidum. *c. quia propter. de elect.*) spo-
 terit tamen tunc juxta Abb. loc. cit. electus, si in scruti-
 ninio nominasset alium, ab eo recedere, & electioni
 de se factae consentire.

*Quaestio 297. Num ad hoc, ut eligi quis possit
 in Superiorem regularem, requiratur cleri-
 catus?*

Respondeo negativè, loquendo nimirum per se.
 Pass. c. 25. n. 344. ex natura enim rei, & per se
 simpliciter ad regimen religiosum & regulare non
 est necessaria in Superiore potestas jurisdictionis
 (quae est potestas de publico introducta, dicendi
 jus, sententiandi, statuendi quae aequum est, li-
 gandi, solvendi, puniendi in foro contentioso, &c.)
 sed sufficit potestas dominativa spiritualis & pa-
 terna, quae competit Superioribus regularibus ex
 voto obedientiae supra subditos suos, ut eos secun-
 dum regulam dirigant in vitam aeternam. Pass. loc.
 cit. Patetque id ipsum, non tantum in Abbatibus, a-
 liisque antistitibus monialium, quae licet sufficien-
 tem potestatem gubernativam velut maternam ha-
 beant, carent tamen jurisdictione spirituali proprie-
 tali. D. Th. in 4. dist. 25. q. 2. a. 1. ad 1. Suar. tom. 4. de re-
 lig. tr. 8. l. 2. c. 1. n. 3. sed & in Abbatibus antiquorum
 Monachorum, Antonio, Hilario, &c. qui non erant
 clerici. Sumitur ex epist. S. Hieron. ad Eliodor. & 4. ad
 Rusticum, quae referuntur dist. 16. q. 1.

*Quaestio 298. An, ut quis eligatur vel promo-
 veatur in Prælatum, vel Superiorem regula-
 rium, necesse sit esse professum, & quidem ex-
 presse, & in eadem religione, ac ita, ut alias e-
 lectio, vel promotio sit ipso jure nulla?*

Respondeo ad omnia affirmativè. Abb. in *c.
 cum monasterium. de elect. n. 2. ibid. Bald. & In-
 noc. Barb. ad c. nullus. de elect. in 6. n. 2. & ad Trid. sess. 28.
 c. 21. de regular. n. 1. Suar. de relig. to. 3. l. 6. c. 21. n. 18.
 Tamb. to. 1. d. 5. q. 11. Pass. c. 25. n. 345. citans plures a-
 lios. Primum habetur *c. cum causam, & c. cum ad no-
 stram. de elect.* Secundum *c. nullus. de elect. in 6.* Putant
 tamen Labor. de elect. c. 16. n. 123. Abb. & Jo. And. cit.
 à Pass. n. 346. sufficere professionem tacitam, ut quis
 per postulationem vel etiam collationem, aliamve
 provisionem distinctam ab electione obtineat præ-
 laturam regularem; sed quod *cit. c. nullus*, utpote poe-
 nale, extendi non debeat ultra hoc quod sonat. Ter-
 tium habetur in *cl. m. 1. de elect.* Quartum, uti & prio-
 raria ex Trid. sess. 25. c. 21. de regul.*

2. Quod verò his canonibus constitutum de vi-
 ris, idem in monialibus locum habet. *c. indemnitati-
 bus. de elect. in 6.* Ad eoque firmiter hæc tenenda sunt.
 Ut dum in conventu, vel religione non esset profes-
 sus vel professa, quae eligi possit, adhuc à nullo infe-
 riore Papâ, eo inconsulto, fieri possit, ut eligatur a-
 lia persona digna ex alio Conventu vel religione;
 cum *cit. Clem. absolutè decernatur cum decreto irri-
 tante, ut regularibus non præficiatur nisi regularis
 ejusdem Ordinis. Sigism. à Bon. de elect. dub. 87. n. 4.
 Suar. & Pass. loc. cit.*

3. Porro intelligenda hæc sunt, dum dicta præ-
 fectura regulares conferuntur in titulum; secus e-
 nim

nim est, dum conferuntur in commendam; via enim commendam beneficia secularia regularibus, & regularia secularibus, etiam si suos conventus habeant, & in eis vigeat regularis observantia, à Papa duntaxat obvenire possunt. Fagn. *in c. cum ad nostram de elect. n. 2. & seq.* quod ipsum non improbat, aut prohibet Trid. quin potius tacite admittit, dum prohibendo secularibus conferri beneficia regularia, adjecit hæc verba: *in titulum.* & quamvis sess. 25. c. 21. caverit, ut monasteriis habentibus suos conventus, quæ tunc commendata reperiebantur, præficerentur regulares ejusdem Ordinis; uti & iis, quæ imposterum vacabunt, Ea tamen non dici præceptivè, ut tenuit Rota, sed solum consultivè & optativè, declaravit S. Congregatio, ut refert Fagn. n. 10. juxta quem nihilominus verè præceptivè statuit, ut, qui ea monasteria, quæ sunt velut capita Ordinum, (quale v. g. est Cistercium respectu Ordinis Cisterciensis) in præsentem in commendam obtinent, intra sex menses religionem istorum Ordinum solemniter profiteantur, vel eis cedant, aut aliàs commendam istam ipso jure vacare censeantur, nisi sit eis de regulari successore provisum. Vide etiam apud eundem num. 14. quid in genere de monasteriis in commendam dandis statuerit Concil. Lateran. sub Leone X. sess. 19.

Questio 299. Quantum tempus à professione requiratur, ut quis eligi possit in prælaturam religionis?

Respondeo: à Trident. *loc. cit. c. 7.* in monialibus requiri ad minimum 5. annos à professione, ut eligi possint in Abbatissas & Priorissas. Pro viris verò neque à Trid. neque à reliquo jure communi certum tempus statutum est; quare non prohibentur (nisi aliàs obtent specialia statuta Ordinis) statim à professione eligi in præfules regulares, modò sufficienter in observantiis Ordinis instructi, & aliàs qualitates requisitas habeant. Abb. *in c. cum in cunctis de Elect. n. 6. Pass. n. 348.* Neque nunc casus ille, qui alias excipitur *c. officii de elect. nimirum*, dum quis sit religiosus, & mox profiteatur, & sic eligitur in prælaturam, locum habet; cum ex præscripto Trid. nemo admittatur ad professionem, nisi post expletum annum probationis. Quòd si tamen talis tam repente à professione electus non foret sufficienter instructus in observantiis sui Ordinis; uti & si justè præsumeretur in tali ambitio, electio ejus (etsi non esset ipso jure irrita, Suar. *to. 4. de relig. tr. 8. l. 2. c. 3. n. 7.*) foret tamen ad minimum irritanda vi *c. officii. Abb. ibid. alique, Pass. n. 248.*

PARAGRAPHVS VI.

De vocatione & vocandis ad Electionem.

Questio 300. Cujus de jure vel consuetudine sit convocare Electores?

Respondeo: id generali regulà definiti non possunt, cum diversæ sint electiones; alia Episcoporum, alia Prælatorum secularium, alia regularium, diversarumque regionum, religionum, collegiorum hac in re statuta & consuetudines. Quòd si non adsit, ad quem de jure vel consuetudine id spectet,

& detur aliàs in Collegio primus (quo nomine sine addito Prælato intelligitur primus ratione dignitatis, qui quæ propterea alios præcedat, & in actu collegii primam vocem habet Felin. *in c. 1. de major. & obedientia n. 5.*) ad eum vel si talis non detur, ad antiquiorem, non arate, sed servitio vel professione, id pertinebit. Sigism. de Bon. de Elect. *dub. 8. num. 11. Pass. c. 11. n. 4. & 8.* Porro in casu, in quo fortè ad universitatem ipsam seu Collegium spectaret convocare Electores omnes, disponereque de loco, & die electionis, v. g. dum is, ad quem id aliàs spectet, noller eos convocare, & tamen Electores præfentes judicarent, non esse differendam electionem, si major saniorque pars moneat minorem absentem, obligabit eam ad comparandum, reddendo eam contumacem, si non compareat. Pass. *loc. cit. n. 11. & c. 14. n. 12.* contra Abb. & Host. conformiter magis juri civili quàm canonico (quod ut patet ex toto *tit. de his que sunt à majori parte.* vult minorè partem stare iis, quæ à majore parte decernuntur) requirentes ad hoc, ut duæ partes Collegii sint simul congregata,

Questio 301. Quinam vocandi sint ad electionem?

Respondeo: in genere omnes ii, qui debent, volunt, & possunt commode interesse electioni. *coram. & c. quia propter. h. t. & ibi. gl. Abb. Incol. & c.*

Questio 302. Quinam intelligantur per eos, qui debent interesse electioni?

Respondeo: omnes ii, qui de jure communi, vel Rex consuetudine, vel ex speciali privilegio, aliòve titulo jus habent eligendi. *gl. in c. quia propter. v. qui debent. Abb. ibid. n. 3.* Tò debent namque, non tam obligationem, quàm facultatem ibi significat, Suar. *de relig. to. 8. l. 2.* apud Pass. *loc. cit. n. 16.* Vocandi itaque sunt, quantum est ex hoc jure, absentes, nisi forte aliud habeat consuetudo, ad quam sufficere decennium, Tamb. *de jure Abb. in c. coram. & c. cum man. h. t. Pass. loc. cit. n. 13.* Secundò, qui licet à parte rei verum jus non habeant, sunt tamen in possessione eligendi (jus enim eligendi maximè sequitur possessionem. *c. in genesi. & c. querelam. h. t. Abb. ibid. n. 8.*) pacifica, non habentes jus expressum contra se, etiam si moveatur illis quæstio super proprietate beneficii seu canonicatus. *gl. in c. in genesi.* Quod tamen non admittunt Sanch. *l. 3. de matrim. d. 22. n. 49.* Pass. *n. 14.* Navar. Sylv. & c. citati à Pass. nisi accedat titulus coloratus, à legitimo Superiore collatus. Quin & quodam extraneum non habentem titulum ad eligendum, nisi possessio pacifica bonæ fidei sit legitime præscripta. Pass. *ibid.* Tertiò, quòd hinc sequitur, tolerati excommunicati, suspensi, privati voce & c. de quibus, §. *præcedenti*, cum non nisi non tolerati excident jure eligendi. Pass. *loc. cit.* Quarto Canonici, adhuc novitii in aliqua religione. *gl. in c. benef. de reg. in 6. Lavour. r. 17. n. 5.* apud Pass. *n. 12.*

Questio 303. Quid intelligatur per hoc: qui volunt?

Respondeo: ex his verbis deducere DD. non esse electores cogendos ad comparandum pro electione faciendâ. Abb. *in c. quia propter. h. t. Host. in sum. tit. de elect. §. qualiter faciendâ. n. 11.* Quo tamen non obstante, si specialiter interfit Ecclesiæ (vel etiam sic consuetudo, aut statutum Collegii, quod etiam penale est & conformiter juri fieri potest à capitulo. Laym. *de elect. g. 45.*) ut omnes, qui adesse pos-

possunt, ad sint, ad hoc compelli possunt; cum unusquisque invitatus cogi possit, ut muneri suo incumbat, dum bonum publicum hoc exigit. Abb. loc. cit. Tamb. de jure Abb. d. 5. q. 3. n. 13. Barb. loc. cit. Pass. n. 29. nimirum ab eo, qui electionis præsens est, habet quoque curam Electores convocandi; hic enim eo ipso etiam habet jus exequendi ex parte sua id, quod ad bonam electionem habendam est necessarium; multo quoque magis à Superioribus majoribus, qui utri universaliorem boni communis curam, sic etiam universaliorem jurisdictionem habent. Pass. n. 30. Aut etiam à capitulo vel decano in vi disti statuti penalis; à quibus etiam poena illa, si modica est, potest inferri. Porro, dum dicitur, quod Electores cogi possint, ut eligant, subintelligitur, per votum de se utile; cum dare vota, ut vocant, alba, vel aliis inutilia, non sit eligere. Pass. n. 32.

Quaestio 304. Num igitur præscindendo à tali compulsione, vel statuto penali, liberum sit interesse vel non interesse electioni, ferre vel non ferre suffragium?

Respondeo: supposita institutione electionis, jure naturæ quilibet elector obligatur eligere jus enim publicum, siue illud sit commune, siue particulare religionis alicujus à sede apostolica approbatæ, adeoque concessio apostolica (à qua omnibus, & sine qua nulli competit jus eligendi canonicè, Pass. n. 18.) dans alicui facultatem ad aliquod necessarium ad bonum communitatis, hoc ipso illum obligat, uti & recipiens hanc facultatem, se ipsum ex justitia quadam obligat ad illius usum seu exercitium, prout bonum commune postulat. Estque hæc obligatio major vel minor, prout eligendi sunt magis vel minus necessarij ad bonum commune, Pass. n. 19.

2. Quemadmodum autem per accidens cessat quandoque hæc obligatio, & renunciare suo suffragio, nullum est peccatum, dum nimirum votum Electoris nulli potest esse utilitari reipubl. sed solum ad purum augmentum numeri eligentium, ex eo scilicet, quod jam vota reliquorum immutabiliter sint determinata ad unum, ex altera verò parte magno damno Electori si contradicat, vel etiam accedat alijs. Dian. p. 1. tr. 3. de parlam. resol. 18. Bonac. de contratt. d. 1. q. 2. p. 3. n. 8. Lavor. de elect. tit. 4. c. 18. n. 37. Pass. tit. c. 11. num. 20. Ita quandoque est sub peccato mortali, dum nimirum Elector suffragio suo conferre potest magnam utilitatem communitati, quia v. g. sedare potest magnas discordias, vel indignum, vel minus dignum notabiliter excludere; eò quod tunc muneri suo desit cum gravi damno communitatis. Sylv. v. electio. q. 12. n. 15. Pass. n. 21. citans Card. Paleott. de sac. conc. consult. p. 5. q. 3. Moltes. in sum. to. 1. tr. 6. c. 16. n. 118. &c. Etiam si exinde imminet Electori grave damnum, (etiam quandoque vitæ propria v. g. in casu posito à Passer. n. 22. quo eligendus esset in Episcopum hæreticus, cujus electio aliter impediri nequiret, teneretur elector, si posset, etiam cum periculo vitæ suffragio suo id impedire) dum nimirum damno illi proprie præponderaret damnum communitatis. Sylv. loc. cit. Tenetque hoc ipsum, quamdiu Elector certus non est votum suum fore inutile ad tale grave damnum avertendum. Pass. n. 23.

3. Nec sufficit in similibus electionibus malis illas non approbare; sed necesse est, ut illas expressè reprobet Elector; censetur enim alijs in istis casibus, Laurent. Fori Benef. Tom. II.

bus, qui loqui tenetur, & tacet, consentire. Sigism. à Bon. dub. 14. n. 6. Rodriq. to. 2. q. 54. n. 3. Pass. n. 24. Qui tamen ibidem contra Sylv. & Ledesma, ait incertum esse, num talis Elector in isto casu renunciatus suffragio suo teneatur ex justitia ad restitutionem damni ex tali electione orti communitati; quia certum non est, utrum teneatur ex justitia commutativa eligere dignum vel digniorem. Porro neque in casu, quo Elector esset perplexus, & verè nesciret, quem ex propositis, dum hi jam ab alijs eliguntur, deberet eligere, licere suum suffragium omittere contra Sylv. tenet & ostendit Pass. n. 25.

4. His tamen stantibus, quia regulariter, & ut plurimum, & per se loquendo, adeoque ex genere suo non cedit in magnum damnum communitatis, quod unus alterve non eligat, hinc renunciare voci sine justa causa, & ubi eligere non cedit in damnum eligentis per se loquendo, & ex genere suo non est mortale (etsi sit veniale, quia ostendit deficere à munere & officio sine causa) uti nec negligentia totius capituli negligentis eligere; cum nec id per se loquendo cedat in grave damnum communitatis; huic enim satis obviatur per hoc, quod jura statuerint, ut si Electores debito tempore non eligant, provisio facienda devolvatur ad Superiorem. Pass. n. 26. & 27.

Quaestio 305. Quinam intelligantur per eos, qui commode interesse possunt?

Respondeo: id commode respicere potius bonum Ecclesiæ; adeoque intelliguntur, qui absque incommodo Ecclesiæ vocari possunt, ita ut, si sit incommodum Ecclesiæ vocare aliquem, v. g. quia necessitas accelerandi electionem ob periculum schismatis, vel abusus sæcularis potestatis, non patitur moram; vel quia ex illius vocatione imminet Ecclesiæ damnum, vel quia bella vocare vetant, vel quia, ut addit Pass. n. 33. versatur in loco, ubi grassatur pestis, eum vocare non sit necesse. Abb. in c. quia propter. n. 5. & in c. coram. n. 3. Barb. loc. cit. Lavor. de Elect. c. 17. n. 12. etiam si de cetero ad esset consuetudo vocandi omnes absentes; ubi enim imminet grave damnum Ecclesiæ, vim non habet consuetudo. Abb. Lavor. Pass. locis cit. Porro in dubio, num hic & nunc aliquis vocari possit sine damno Ecclesiæ, recurrendum est ad arbitrium judicis. Barb. de jure Eccl. l. 1. c. 10. n. 89. Sylv. v. electio. q. 3. qui non est confirmator; ad eum enim solum spectat discernere post factam electionem, an aliquis non vocatus debuerit, & potuerit vocari; sed præsens electionis; ad eum enim immediate spectat videre, an hic & nunc absens vocari debeat, & possit sine incommodo, cujus est vocare absentes, electionemque dirigere, ne defectum patiatur. Pass. num. 34. contra Abb. Jo. And. de Butrio. Sigism. à Bon. d. 2. num. 90. & alios. Quamvis tamen, cum intersit totius Capituli, ne propter absentium contemptum electio facta cassetur, non poterit, nec debet præsens in hoc puncto vel alio, quod communi electioni possit esse præjudicabile, aliquid decernere sine consensu majoris partis Electorum præsentium, Pass. ibidem.

Quaestio 306. Num, ergo cessante gravi damno Ecclesiæ, vocandi sint absentes omnes ex omni loco & distantia?

Respondeo: eos omnes & solos vocandos esse (præscindendo nimirum à lege speciali, vel consuetudine, quæ quandoque hanc distantiam de-

terminat, v.g. ad diem unam seu iter, quo nuntius pedester uno die commodè accedere potest) qui intra tempus electioni statutum adesse possunt, siue locus, è quo vocantur, sit intra provinciam, siue extra; siue ex necessitate, siue ex voluntate absint. Abb. in c. cum inter. h. r. num. 4. Tamb. de jure Abb. d. 5. q. 3. pass. num. 38. & seq.

Questio 307. Num vocandus sit, qui renunciarit voci suae activae?

Respondeo: si ante electionem eum poeniteat hujus renunciationis, & vocem reassumat (uti facere potest, etiam postquam hanc renunciationem Superior jam acceptavit; cum licet quis renunciare possit iuribus sibi datis in propriam utilitatem, v.g. voci passivae, non tamen iuribus ad utilitatem publicam concessis, ad quae exequenda obligatur, quale est jus vocis activae, adeoque locus est poenitentiae utilis ecclesiae de male facta hac renunciatione. Gl. in c. Ecclesia vestra. h. r. & ibi Abb. Pass. num. 78. & 83. & apud illum Hofst. Sylv. Ang. & alii contra Sigism. à Bon. dub. 14. num. 7. Lavor. de elect. c. 15. num. 88.) vocandus est ad electionem, ubi reassumptionem vocis siue Superiori, vel Capitulo sufficienter notificavit, & admittendus (in statu tamen & terminis, in quibus eam invenit, dum ad Capitulum redit eligendi gratia, ita ut, quae jam forte sine illo gesta sunt, valida sint, & non reiteranda) etsi non vocetur, vel non admittatur rediens, etiam non facta prius ista notificatione, potest agere de contemptu. AA. iidem cit. & Pass. num. 85.

Questio 308. Num Canonicus iam ingressus novitiatum alicujus Ordinis, tempore novitatus retinens suum Canonicatum, adeoque jus eligendi v. g. Praelatum Ecclesiae, cuius est Canonicus, vocari debeat ad electionem, ubi non nimis remotus est à loco electionis, sicut ceteri Canonici?

Respondent affirmativè Bertachin. de gabellis. p. 7. num. 56. Mandol. in casibus annalibus. n. 66. casu 197. Archid. ad cap. beneficium. de regular. in 6. citati à Castrop. tr. 13. de benef. d. 6. p. 3. §. 8. num. 6. eò quòd, ut ait Gloss. in cit. c. beneficium. deterioris conditionis esse non debet, qui ad bonum aspirat, & religiosam vitam probat, ac praecipuè, cum in quietudini, & distractioni, quae ex talibus electionibus (maximè si frequentes sint) occurrere possit, designando procuratorem. Verùm distinguit ipse Castrop. hanc ratione: dum novitio jure speciali & singulari comperit electio, vel etiam tanquam patrono nominatio, vocandus est, & requirendus ejus consensus; quia jus hoc eligendi & nominandi retinet, neque illud in monasterium transit, potest etiam jus illud absque dispendio religionis executionem monasterio exire, citat pro hoc Suar. tom. 3. de relig. l. 5. c. 16. num. 16. Sanch. in decalog. l. 6. c. 4. num. 12. Azor. p. 1. l. 12. c. 3. q. 1. Si autem ei jure Collegii competit electio vel nominatio, probabilius est, illum non esse necessariò vocandum; quia fictione juris ob assumptum statum reputatur longissimè absens, Argumento c. quamvis. de procurat. in 6. ubi ingressus Religionis, & longa peregrinatio aequiparantur, & gl. v. ingredi. ait, etiam non profitendo, sed solum probationis causà, pa-

teretur etiam Religio inde detrimentum; cum non possit satis explorare mores novitii ob frequentem ejus ex monasterio egressum, & ipsi detraheretur, nimium: adeoque regulariter non potest commodè interesse ejusmodi electionibus, & sic creditur impeditus; qui autem impeditus est, & creditur, necessariò vocandus non est, citat pro hoc Azor. Suar. Sanch. ubi ante. Unde jam etiam citatis iisdem, ex eo, quòd necessariò vocandus non sit, non poterit eligere per procuratorem, neque Collegium tenetur procuratorem talem admittere: Si tamen novitius ad eligendum accesserit, siue vocatus, siue non vocatus, est admittendus. Castrop. ibid. citatis iisdem Sanch. Azor. Suar.

Questio 309. Num vocandi sint Electores inhabiles?

Respondeo primò, inhabiles substantialiter, hoc est, carentes qualitate à jure requisita ad eligendum non esse vocandos, constat; quia non habent jus vocis, adeoque nec sunt Electores.

2. Respondeo secundò, inhabiles poenalter, qui per sententiam judicis sunt inhabilitati, vel declarati inhabiles ad eligendum, non tantùm non sunt vocandi, sed & rejiciendi ab electione.

3. Respondeo tertio, quantumcunque notoriè rei delicti alicujus, cui non est imposita poena privationis vocis latae sententiae, sed solum ferenda, ante hanc latam vocandi sunt, & nihili facienda contra tales facta protestatio; quia jus habent & retinent eligendi.

4. Respondeo quarto, privati voce ipso jure, quia v. g. excommunicati, suspensi, interditi, vel rei criminis, cui imposita poena privationis vocis latae sententiae, licet nondum declarati, si crimen est notoriùm, vel sufficienter probari potest in judicio, etsi vocari possint, quin & ad vitandas lites bene fiat, si & tales citentur, quin & urbanius, si vocati expectentur, Abb. & Hofst. in c. cum inter. h. r. (quamvis ad expectandum vocatos non teneantur electores, cum expectare illos sit gratia distincta à vocatione, quam electores legitimi non concesserunt ex eo, quòd non vocandum de necessitate vocarent, Abb. & Hofst. l. cit. Barb. de jure Eccl. loc. cit. num. 99. Pass. num. 74.) & admittantur ad electionem cum protestatione. Sigism. à Bon. dub. 10. num. 4. Pass. num. 73. necesse tamen non est eos vocare, AA. iidem. Barb. ad c. 2. de postul. num. 4. & l. 1. de jure Eccl. c. 19. num. 89. Miran. tom. 2. q. 23. n. 6. Lavor. c. 17. num. 6. & 8. alique quamplures apud Pass. tales enim etsi adhuc habeant quandam vocis possessionem (quae privantur per positivam rejectionem ab electione, quae proinde facta auctoritate privata, injuriosa est, non verò per non vocationem, eam non vocare juxta Innoc. in cap. cum Vintoniensis. h. r. num. 6. sit solum dicere, & factò exprimere, quòd talis non vocatus non habeat vocem; quia inhabilis est; quòd, quia in judicio probari potest, id dicendo, tali non fit injuria) & jus quoddam, hoc tamen adeò infirmum & debile est, & nullum declarandum, & quidem per sententiam judicis retrorahendam ad diem commissi criminis, ut, ubi postea in judicio de crimine confiteri, judicandus sit privatus voce tempore electionis, & tanquam is, qui ad illam jus nullum habuit, & qui propterea non potest agere de contemptu; etsi, si ante hanc sententià agat de contemptu, audiendus quidem

quidem sit, non tamen ad ejus instantiam cassanda electio; quia ei nulla facta injuria. Pass. num. 73.

Questio 310. Virum de jure vocandus vocatus expectandus sit ultra terminum praefixum; suppono enim ut certum expectandum cum esse usque ad terminum praefixum, & ultimam hujus termini partem. Pass. n. 87.

Respondeo: licet æquum, rationabile, meliusque sit ad tollendam omnem litis, & actionis de contemptu occasionem, ut dum vocatus est in propinquo rationabili causâ detentus, v.g. pluvia, electores ceteri de hoc facti certi, illum expectent paulisper ultra terminum praefixum, dum id sine incommodo gravi facere possunt; de rigore tamen juris ad hoc non tenentur; electio enim pertinet ad eos solos, qui debent, volunt, & possunt commodè interesse ei intra terminum eidem praefixum; qui autem detinetur, v.g. à pluvia, ne intra tempus praefixum adsit; non potest commodè interesse, neque electores ceteri tenentur expectare commodum Electoris absentis, vel etiam praesentis habilitatem. Pass. num. 88, & AA. paulò post citandi. Porro citatus pro certa die, & non ad certam horam, intelligitur citatus pro hora matutina, quâ fieri consuevit electio; citatus enim ad certum diem adesse debet illâ horâ, quâ ille actus solet expediri. Felin. in c. consultur. de off. deleg. num. 5. & dum hora est de consuetudine & natura actûs, expressio diei haberetur pro expressione horæ. Biax. p. 3. c. 11. num. 20. Pass. cit. num. 88. Peyr. tom. 3. c. 9. num. 13. Unde si vocati, v.g. ad primam Martii, non adsint manè intra horam consuetam electionis, electores possunt in parte ultima istius horæ peragere electionem. Biax. Peyr. Pass. II. cit. Castel. de elect. c. 6. num. 11. Butrio. Anchar. Jo. And. ad cap. cum in nobis. h. t. Meritoque hic hora sumenda est strictè de momento ad momentum, sic statutibus SS. Canonibus in bonum Ecclesiae, ad necessariam in similibus firmitatem, & immutabilitatem, ad vitandas diffinitiones, & dubitationes inde orituras, si moralibus considerationibus, extensionibus, & restrictionibus hoc tempus subjaceret. Pass. num. 89.

Questio 311. Quid quoad electionem facere possint praesentes, aliis praefixo tempore non comparentibus, vel abeuntibus à Capitulo?

Respondeo primò: ubi instat finis temporis praefixi Electoribus ad eligendum, ita ut post illud non possit amplius commodè fieri electio, & electione non factâ devolvatur provisio ad Superiorem, Electores congregati, & in electionis negotio perseverantes, etiam si sint minor pars, possunt eligere validè, reliquis non potentibus agere de contemptu. Abb. in c. in nobis. h. t. num. 10. Castel. loc. cit. num. 12. Pass. num. 93. cum communi. Verùmque id est, etiam si unus solus adsit, vel remaneat in Capitulo. Abb. loc. cit. Biax. de direct. elect. p. 3. c. 6. num. 5. Idque etiam de electione summi Pontificis factâ ab uno solùm Cardinale tenent apud Pass. num. 94. Barb. de jure Eccl. l. t. c. t. num. 74. Dian. p. 5. resol. 72. & plures alii ab iis citati; conservatur enim jus Collegii, etiam in uno. Gl. Butrio Abb. in c. gratum. de postulat. Lamb. de jure pat. l. 1. p. 1. q. 9. a. 3. num. 39. Peyr. in subd. q. 1. c. 31. & c. utitur autem talis unus hoc suo & collegii jure, dum eligit, quo eum privare, & cui prajudicare

non possunt ceteri, negligendo illud. Pass. loc. cit. num. 93.

2. Respondeo secundò: ubi non instat ultimus terminus eligendi, & aliquis non venit praefixo die, vel è Capitulo recedit ex justa causa, legitime appellans ab illa diei praefixione, Electores ceteri, etsi in magno numero, non possunt eligere; et si eligant, is, qui appellavit, & praesens non fuit, potest agere de contemptu, & ad ejus instantiam electio est cassanda. Castel. loc. cit. c. 8. num. 11. Lavor. c. 17. num. 25. Pass. num. 95. iustæ enim appellationi est deferendum, & non censetur contumax, qui iustam & evidentem causam appellationis habet; Ubi tamen instat tempus ultimum, appellationi locus non est ad suspendendam electionem; sed ea servatis servandis potest legitime haberi. Castel. & Pass. II. cit.

3. Respondeo tertio: ubi neque instat ultimum tempus eligendi, nec est interposita legitima appellatio, venientes, etsi in minore numero, quam non venientes absque his eligere possunt validè, & absque eo, quòd hi agere possunt de contemptu, modò omnes vocandi vocati sint ab eo, cui de jure vel consuetudine competit convocare Electores. Abb. in c. in cunctis. h. t. num. 3. Tusc. l. 1. n. concl. 64. Sigism. à Bon. dub. 12. num. 5. Sanch. Tamb. de jure Abb. Castel. Donat. & plures alii, quos citat & sequitur Pass. num. 98. tunc enim hi absentes nihil protestari contra, sed solùm non venientes, & inobedientes mandato Praesidentis, censentur contumaces, faciuntque se alienos & extraneos, ad eoque in Electorum numero non computabiles. cap. cum nobis. h. t. ibi Abb. & Gl. Tusc. Pass. Lamb. Sigism. à Bon. II. cit. Tamb. d. 5. q. 3. num. 11. absurdum autem est, ut contumacia particularium retardet negotia universitatis, Abb. loc. cit. & ex eo Pass. Ampliatùrque hoc ipsum, ita, ut in hoc casu unus solus veniens possit eligere. Abb. Sigism. loc. cit. Peyr. in subd. q. 1. c. 35. Pass. num. 99. & plures alii contra Lezanam & Barb. de jure Eccl. lib. 1. cap. 9. num. 96. à quo factam limitationem vide retutatum & rejectam apud Pass. num. 100. Secus tamen est, si vocandi vocati non fuerunt per habentem jus convocandi Collegium ad eligendum; sed per aliquos de Collegio Electorum, tunc enim tantùm procedit electio, si veniant duæ partes (vel etiam, ut verius censet Pass. n. 109. si veniat major pars) electorum vocatorum. Pass. n. 97. qui tamen etiam num. 109. ait, quòd dum major pars legitime citavit ad certam diem, ii, qui veniunt, etsi sint pars minor, possint eligere.

4. Respondeo quartò: aliter loquendum de venientibus quidem ad eligendum, sed recedentibus à Capitulo ante factam electionem; nimirum ubi non instat ultimum tempus eligendi, recedente majore parte venientium, pars minor, quæ remanet, eligere non potest; minore verò parte venientium recedente, pars major remanens potest eligere. Abb. in cap. cum nobis. h. t. num. 10. Pass. num. 101. & seq. Ratio disparitatis hæc est, quòd praesens citans ad electionem pro die sibi bene vitâ obliget sub poena contumaciae ad comparandum eâ die, ita ut non venientes tanquam contumaces habendi sint, ut alieni & extranei, quibus jus eligendi non competit; non tamen obligat, nec obligare potest ad eligendum eâ die, si tunc non expiraret tempus à lege statutum; cum non possit Electoribus restringere tempus illis à jure concessum ad eligendum. c. si diligenti. de foro compet. & c. indultum.

dultum. de reg. juris in 6. hinc majore parte tunc recedendo decernente, non esse tunc eligendum; sed tempus aliud expectandum, non potest pars minor progredi ad electionem; cum major pars veniens recedendo non fiat contumax; quia jus habet ad differendam electionem intra terminum à jure statutum; adeoque ipso facto, seu abeundo protestans, se nolle tunc & ibi eligere, potest juxta c. 1. de his, quæ fiunt à majore parte cap. cogere ad differendam electionem, ita ut, si hæc pergat eligere, eligat inaniter. Abb. loc. cit. & ex eo Pass. loc. cit. contra Samuel. tr. 1. d. 2. controv. 6. num. 7. Verumque hoc ipsum est, etiam si citatio facta ab ipsa universitate, hoc est, majore parte universitatis collegialiter congregata, extra quam congregationem nulla unquam pars universitatis citat validè. Pass. nu. 109. Etiam non obstante, quòd eadem pars major prius approbaverit tempus & horam pro electione tum habenda; quia talem approbationem potest revocare ante electionem; cum approbatio ista sit veluti decretum interlocutorium, quod revocari potest. Pass. num. 105. Porro dum dicitur, recedentes, seu non perseverantes habere se ac non venientes. c. 1. de jud. c. certum. 11. q. 3. Abb. in c. cum nobis, h. t. num. 10. Verum id est de recedente minore parte, majore remanente, seu de iis, qui non habent jus recedendi, quale jus habet major pars electorum, et si eadem pars major jus non habeat non veniendi. Pass. num. 108.

Questio 312. Qualiter vocales sint vocandi?

1. Respondeo primò: absentes personaliter sunt citandi, si sciatur, ubi degant, & si id comòdè, & sine periculo fieri possit. c. cum olim. de dolo & contumacia. Gl. ibi. v. Hibernia. Barb. lib. 1. juris Eccl. c. 19. n. 90. Pass. cit. c. 11. nu. 41. Attendenda tamen in hoc consuetudo. Gl. in c. coram. h. t. Mirrondo ad eos litteras vel nuncium, c. cum inter. h. t. Barb. loc. cit. num. 9. Cast. de elect. c. 8. num. 1. qui, uti & Labor. & Sigism. apud Pass. num. 43. harum literarum formam exprimunt.

2. Respondeo secundò: si autem nesciatur, ubi degat vocalis, & adhibita diligentia inveniri nequeat, citatio facienda est in ejus domo. c. venerabilis. de dolo & contum. Labor. tit. 4. c. 17. num. 10. vel si non habet domicilium certum, in loco seu Ecclesia illius loci, ubi habitare consuevit. cit. c. venerabilis. Pass. num. 48. vel in beneficio, quia ibi residentiam facere præsumitur. Gonz. ad reg. 8. gl. 15. n. 30. Vel, si nec talem locum certum habet, citandus est in Capitulo coram Clero, vel in conventu in publica mensa, vel ad valvas Ecclesie, in qua fit electio, alias servanda regula: impediens ne citetur, habeatur pro citato. Pass. loc. cit.

3. Respondeo tertio: citandi sunt absentes ad certam diem, non tamen de necessitate (et si id melius, Sigism. à Bon. dub. 8. num. 3.) ad certam horam. Sigism. ibid. Abb. ad cap. consult. de off. deleg. quia dum hora est de consuetudine actus, expressio diei est expressio horæ, Pass. n. 44. Hinc Electores non possunt anticipare horam consuetam; imò, cum hora consueta habeat suam latitudinem, tenentur Electores expectare absentem usque ad extremam partem dictæ horæ. Peyr. tom. 3. de priv. c. 13. n. 17. Pass. num. 45. Cast. c. 8. n. 11. & 15.

4. Respondeo quarto: præsentem sufficit citare voce, vel campana, Abb. in c. coram. h. t. num. 1. Cast. loc. cit. modò constet Electoribus, quòd tali

pulsatione ex commissione præsidis vocentur ad electionem. Pass. nu. 49. Idem dicendum de commorantibus extra domum electionis in civitate vel hortis, modò campanam audire possunt; quia & hi habentur præsentem. Cast. loc. cit. Pass. num. 51. Quòd si ad talem compulsionem non omnes præsentem in domo vel civitate compareant in loco Capituli, non tenentur expectare reliqui, quamvis utilius dicat Cast. per nuncium eos admonere; multòque magis id tutius esse respectu commorantium extra domum electionis in civitate: Porro si electores omnes, et si per accidens, & ob aliam causam sint congregati, possunt nullà precedente citatione eligere. Pass. num. 52.

Questio 313. Propter quid necessaria sit absentium vocatio, & num quandoque cesset necessitas illa vocandi absentes, de cetero habiles, & sine magno incommodo vocabiles?

1. Respondeo ad primum: finem necessariae hujus citationis, saltem proximum, non esse citationem contemptis, ut vult Barb. juris Eccl. l. 1. c. 19. num. 116. (cum et si per non citationem absentium non fieret injuria, adeoque hic pueri non possent de contemptu, adhuc ea esset necessaria) sed ut absens sciat mortem Prælati, & diem futuræ electionis, ita ut horum ignorantiam obtendere nequeat, uti possent non citatus, et si hæc aliunde sciret. Pass. num. 55. quamvis tamen idem num. 66. teneat, & probet, citetque etiam pro eo Abb. in c. cum Ecclesia. h. t. contra Burrio, quòd si Electoribus præsentibus constet, absentem revera scire determinatè locum & diem certam electionis, non esse necesse eum citare, & si non citatus agat de contemptu, si probetur, quòd fuerit conscius diei & loci electionis, hæc ad ejus instantiam non est cassanda. Abb. in c. cum inter. h. t. num. 10. Biax p. 3. c. 10. num. 3. quibus inhære videtur Pass. num. 55. hinc

2. Respondeo ad secundum primò, non esse necesse citare ad electionem Electorem absentem, cui constat de veritate Ecclesie, dum dies electionis est à jure vel consuetudine determinata; dum enim terminus interpellat, non est necessaria citatio. Peyr. tom. 3. c. 13. num. 13. Raggius cent. 2. dub. 156. num. 3. Pass. num. 67. citans Abb. Bur. Anchar. in c. cum nobis. h. t. & c. Sed neque tunc opus est, (quamvis sit ad majorem cautelam) ipsum Præsidem monere (ut alias possunt electores. Innoc. in c. cum nobis. num. 5. ibid. Anchar. num. 4.) ut statuto die veniat ad eligendum. Peyr. loc. cit. ita etiam, ut si ex gratia vocatus præses, si non ad sit statuto die, possint Electores alii ad electionem procedere. Innoc. Abb. Anch. l. cit. Biax. p. 3. c. 15. Circa quod ultimum tamen observandum monet Pass. num. 69. quòd, cum Præses, utpote iudex, ad cuius justum arbitrium electio est dirigenda, ex causâ mutare adhuc potest horam aliâ consuetam; quin & Electores alios impedire, ne citius eligant intra tempus à lege statutum, si datur justa causâ eam differendi (dum alias hæc justâ causâ non datâ major pars electorū possit Præsidem compellere ad tempus illud à lege statutum abbreviandum) tunc solum possunt procedere ad electionem, præsi de citato non veniente, vel à Capitulo recedente, quando adest ultima hora, quâ elapsâ expirat tempus eligendi, & devolvitur provisiò ad Superiorem. Alias autem expectandum præsidem, & monendum, ut redeat (quales citationes extrajudiciales, cum

cum non sint rigorosa tales, & monitiones posse fieri, etiam ab inferioribus, recte tenet Abb. *ad c. 1. de suppl. negl. prel. num. 1.* ita etiam, ut, si monitus sine justa causa, nolit redire, possint procedere sine illo ad electionem. Neque opus est trinam monitione, ubi praeses primam vice monitus expressè negat agere id, ad quod monetur, sed solum ubi id expressè non negat. Bald. *ad c. 1. de suppl. negl.* Porro in dubio voluntati praesidis est standum; quia in dubio praesumi debet pro Superiore, quòd justè præcipiat & agat. Pass. *num. 70.*

3. Secundò non esse amplius vocandum illum, qui interfuit assignationi diei, & postea recessit, quia sufficienter, & ita ei constitit dies, ut ignorantiam obtendere nequeat. Abb. *loc. cit. & in c. 17. num. 9. Pass. num. 57.* Item illum, qui vocatus ad designandam diem electionis, legitime non impeditus non comparuit; cum is ignoret diem electionis, quia illam scire noluit. Abb. *loc. cit. & in c. Ecclesia vestra. h. t. ibid. Innoc. Pass. num. 88.*

4. Econtra, qui instante electione, non determinatam tamen adhuc die electionis, recederet, etiam sine protestatione aliqua, citandus adhuc est, & monendus pro certa die. Verumque id est, etiam si praeses electionis talem abeuntem moneret, ne recederet, alias eum non vocandum amplius; quia non potest Elector praeextu futuræ electionis incerta impediri, ne sua negotia agat, praesertim si permanenter, & propter officium alibi habet domicilium. Pass. *num. 60. contra Cast. de elect. c. 8. num. 15.* Non tamen opus esset citatione novâ, si praeses recedenti intimaret & determinaret breve tempus, intra quod futura esset electio, & intra quod recedens non posset commodè denuò vocari. Pass. *ibid.* Item est vocandus denuò, qui ad certam diem, pro qua indicta electio, comparuit, eadem dein ex rationabili causa prorogata ad diem aliam incertam, recessit; secus tamen est, si recessit ante deliberationem, quam scivit tunc habendam de certa die statuenda. Pass. *num. 61. & 62.* Item vocandi sunt denuò, qui, dum ob non consensum electi habenda est (intellige in continenti) nova electio, intra tempus, quo expectatur consensus, huc illucque recesserunt. Sigism. *dub. 11. num. 5. Pass. num. 63.* Nova enim ista electio consecutivè se habet ad primam, ad quam citati fuerunt, scireque debet unusquisque Electorum, quòd ubi electus non consentit, nova electio non sit differenda. Pass. *ibid.* Idem est de iis, qui dum in prima electione nullus eligeretur, Capitulo electionis nondum soluto, recesserunt; censentur enim & tales nolle interesse electioni; nec juvat, quòd dicant, se necesse, quòd iterum tunc procederetur ad electionem, cum eorum inconsideratio voluntaria, & negligens (scire enim potuerunt & debuerunt, quòd Electores congregati in Capitulo ad eligendum, possint sapius procedere ad actum electionis, si opus est, donec tandem evadat aliquis legitime electus) non obligat Collegium ad illos iterum admonendos & citandos. Pass. *num. 65.*

Questio 314. An electio facta non vocatis omnibus vocandis sit ipso jure nulla?

Respondeo: si tot ex vocandis vocati non sint, ut actu praesentes conficere nequeant illum suffragiorum numerum, qui juxta leges vel consuetudine necessarius est, ut quis evadat electus, electio facta ab istis praesentibus tantum est ipso jure irrita;

non quia contempti seu non vocati sunt aliqui, vel etiam major pars (vocatio enim Electorum non est de substantia electionis, etsi ejus ommissio sit injuriosa, seu contra jus, quòd habet vocalis, ut interfit electioni, Pass. *num. 118.*) sed quia ab his omnibus electus caruit numero votorum (quæ computanda sunt respectivè ad omnes habentes jus eligendi, adeoque & ad absentes non vocando contemptos; Non enim injuria his facta debet cedere in favorem electi, ut vel hinc, seu ex hac commissa injuria ei jam sufficiat minor suffragiorum numerus; cum hoc modo magnis fraudibus aperiretur via. Abb. *in c. in Genesi. h. t.* quem fuse verboreus citat, & sequitur cum pluribus aliis mox referendis Pass. *num. 112.*) necessariorum ad electionem: uti id declarat exemplo: numerus electorum vocandorum est, v. g. 30. ex his solum vocati sunt 19. qui etsi omnes consentiant in unum, hic adhuc non evadet electus, ubi ad electionem requiruntur duæ tertiæ, seu duæ partes ex tribus, & in praesenti exemplo sunt 20. vel vocati sunt solum 15. ab his omnibus nominatus non evadet electus, ubi solum (uti de jure communi canonico statutum) requiritur major pars votorum ultra medietatem, quæ in praesente est 16. Ita praeter Abb. *loc. cit. & in cap. quia propter. num. 12. & in c. bona. h. t. Barb. num. 1. & 3. & Bald. num. 4. Menoch. conf. 67. num. 31. Sigism. dub. 9. num. 2. Tamb. tr. 1. d. 5. q. 3. num. 2. Peyr. in subd. q. 1. c. 31. & alii citati à Pass. num. 118.*

Questio 315. An, & qualiter vocandus non vocatus habeat jus agendi de contemptu sui?

Respondeo: potest agere de contemptu, & ad ejus instantiam electio de cætero valida cassari debet. *cap. quòd sicut. de elect. ibidem. Abb. num. 3. Bald. num. 1. Barb. num. 5. Tusc. lit. C. concl. 967. Pass. num. 119. citans Lavor. Cast. Sigism. &c.* Ita etiam, ut juxta Bald. *in c. in Genesi. Lavor. loc. cit. & alios apud Pass. num. 122.* si, dum agitur causa contemptus, vel etiam ante, moriatur, qui contemptus est, is qui in locum mortui subrogatur, possit causam contemptus profèqui, vel etiam electionem ratam habere.

2. Nihilominus contempto electionem illam ratam habente ea cassari non potest, *cit. c. quòd sicut. AA. iidem.* Item illo tacente nullus alius agere potest pro cassatione illius, & nequidem ipse Judex eam cassare. Abb. *in c. in Genesi. num. 10. Barbos. l. 1. de jure Eccl. c. 19. num. 118. & alii passim contra Gl. in cit. cap. in Genesi.* licet enim jus eligendi sit publicum, ut tamen est subjectivè in hoc vel illo electore, est privatum, adeoque injuria, quæ fit non vocando hunc vel illum electorem, fit personæ, & violatur jus, prout est hujus vel illius personæ. Pass. *num. 120.* Item contemptus non est audiendus, nisi debito tempore inter, scilicet ante confirmationem. *c. fin. de elect. in 6. Abb. c. quòd sicut. & ad cap. in Genesi. num. 10. Biax. p. 3. c. 7. Lavor. c. 17. num. 14. Sigism. d. 9. num. 4. Pass. num. 121.* nisi ubi constet, eum ignorasse factam electionem, & confirmationem; tunc enim & post confirmationem audiri debet. AA. iidem, uti &, si non tam sit confirmatio, quam institutio, & provisio; de quo vide Pass. *num. 123.*

**
**

Qua-

Quaestio 316. An non vocatus seu contemptus cogi possit, ut consentiat electioni factae: & num Superior regularis subdito suo prohibere possit, ut non agat de contemptu?

Respondeo ad primum negativè, Gl. in cap. quod sicut. de elect. v. consentire. Idem ad secundum respondent Sigism. dub. 9. num. 7. Donat. p. 3. tr. 4. q. 21. num. 15. & alii, eò quòd, cum jure communi id concessum sit omnibus Ecclesiasticis, & communi totius Ecclesiae consuetudine firmatum; quin & constitutionibus propriis id permittitur sit Regularibus, nullus Superior, etiam Generalis, utpote inferior conditor canonum Papae, possit auferre subditis suis hoc jus agendi coram suis Superioribus, si in electionibus contemnuntur. Quod ipsum tamen distinguit Pass. n. 12. 4. admittitque, dum Superior procedit ut Judex, cum ex nulla causa impedire possit, ne elector contemptus agat de contemptu: negat verò, dum Regularis Superior procedit ut Praeatus in vim potestatis, quam habet ex voto obedientiae; sic enim dicitur posse eum ex justa causa imponere silentium a genti de contemptu.

Quaestio 317. Ad quem spectet probare, num aliquis contemptus, vel non contemptus fuerit?

Respondeo: onus probandi se vocatum non esse, non incumbit asserenti se contemptum, sed est Electorum, vel vocantis probare, illum citatum & monitum esse; cum praesumptio stet pro eo, qui habet jus interessendi electioni, & non interfuit, ut censetur ideo non interfuisse, quia non fuit vocatus; cum non praesumatur quis negligere, quod sui juris est, Gl. Abb. Bald. in c. quod sicut. de elect. Barb. ibid. n. 7. citans Felin. Tirag. Surd. Mascard. Menoch. &c. Pass. num. 126.

2. Ad probandum autem, eum vocatum esse, sufficit dictum nuncii jurati, affirmantis se illum vocasse (saltem ut hoc limitat Biach. p. 3. c. 11. n. 3. ubi constat de commissione ei data) Gratian. discip. forens. c. 502. num. 14. Boer. in addit. ad c. quod sicut. Castell. c. 8. num. 18. Lavor. loc. cit. num. 20. Barb. de jure Eccl. l. 1. c. 19. num. 95. unde Pass. num. 127. ait, non esse credendum Barboza, dum ad c. bona. 23. de elect. dicit; quòd nuncio non creditur.

Quaestio 318. An ad evitandam actionem de contemptu, sufficiat probare, quòd Praefes ex parte sua bona fide modo consueto vocaverit vocandum, licet hic reipsa vocatus non fuerit; eò quòd vel litera ex malitia ab aliquo intercepta fuerint, vel casu perierint, vel nuncius corruptus pecunia non vocaverit, etsi is dicat, se vocasse?

Respondeo affirmativè. Pass. num. 129. in isto enim casu talis non est contemptus ab Electoribus, adeoque nec passus ab eis injuriam. Neque tenentur ad hoc electores, ut citatio perveniat ad citatum, sed solum ad hoc, ut ex eorum culpa non sit, quòd ea non perveniat ad citatum. Ex eo autem, quòd talis non vocatus in hoc casu agere possit contra iniquum detentorem literarum vel nuncium, non potest agere contra electionem, vel etiam Electores inculpato.

Quaestio 319. An dum ad instantiam contempti cassatur electio, ea devolvatur ad Superiorem?

Respondeo negativè, sed pertinebit ad eosdem electores, accedentibus iis, qui fuerunt contempti. Lavor. cit. c. 17. n. 18. Biach. p. 3. c. 7. Tholof. c. 14. num. 5. apud Pass. num. 125.

PARAGRAPHVS VII.

De loco Electionis.

Quaestio 320. In quo loco fieri debeat electio?

Respondeo primò: debere fieri ab Electoribus in uno loco congregatis, juxta c. cum jurata. h. t. & juxta generalem regulam traditam c. auditis. h. t. & l. 2. de decurionibus, Gl. in l. sicut. ff. quòd cujuscunque. univers. nomine. &c. quòd actus universitatis gerendus ab illius membris, ut communitatem seu collegium constituunt, non possit expediri ab iis singulariter, seu seorsim consensum praestantibus; sed necesse sit, ut collegialiter congregati consentiant, ita ut aliàs actus sit nullus. Abb. in cit. c. auditis. n. 8. Tholof. tr. de Elect. c. 15. n. 14.

2. Respondeo secundò de jure communi praescindendo à contraria consuetudine, electio debet fieri in Ecclesia viduata sponso suo, hoc est, si Episcopalis, in Cathedrali. c. quòd sicut. h. t. si alterius Praelati, in ejus Ecclesia; nec potest Praefes electionis, aut pars major Electorum minorem cogere ad alibi eligendum sine justa & publica, seu communi causa. Pass. c. 12. n. 6. & num. 10. Perinde autem est, si fiat in Choro, si in nave illius. c. cum nobis. h. t. si in sacristia, si in domo capitulari. c. cum terra. h. t. si in quocunque alio loco honesto intra ambitum seu fines propriae Ecclesiae. c. quòd fronte. de appellat. Biach. p. 3. c. 12. num. 1. Sigism. dub. 15. num. 2. Castell. de elect. c. 6. num. 1. Pass. loc. cit. num. 2.

3. Respondeo tertio: ex causa rationabili & publica, qualis v. g. esset, dum periculum immineret libertati electionis, vel dum grassaretur vehementer ibi pestis (secus est, si causa sit privata aliorum, etiam si esset ipsius Praefidis, aut etiam majoris partis Electorum, adeoque non tenentur tunc pars minor adire locum ab iis extra Ecclesiam determinatum; sed justè ab eo appellare possit. Pass. cit. num. 6.) potest quoque fieri extra Ecclesiam viduata sine, in quocunque loco Clericis honesto; dicitur enim cit. c. quòd sicut. si fieri potest, habenda in propria Ecclesia. ibid. Barb. & de jure Eccl. l. 1. c. 19. num. 178. & AA. paulò ante citati. Quinimo ex causa rationabili, & communi, v. g. dum locus intra ambitum Ecclesiae, vel aliàs consuetus non est tutus, potest minor pars, imò unus solus, cogere alios ad alium locum eligendum. Abb. c. bona. de elect. num. 1. Pass. num. 6. Quòd si verò sola major communitas suaderet electionem fieri extra propriam Ecclesiam, ait Pirh. de elect. sect. 5. n. 243. ex Laym. de elect. q. 33. duas partes capitularium convenire debere ad hoc statuendum, & quem locum major pars istarum duarum partium designarit (intellige, modò is sit conveniens, tutus, honestus) ad illum alios teneri accedere.

4. Quarto: ubi non est consuetus locus habenda electionis, aut ea in loco consueto haberi nequit, pertinebit ad Praesidem, seu eum, ad quem spectat

spectat convocare electores; determinatio loci; cum hæc intrinsecè connexa sit convocationi. Pass. num. 6. De cætero, dum questio est de loco loci consueti & ordinarii, nimirum de loco intra ambitum Ecclesiæ viduata existente, liberum est præfidi electionis, majore parte vocalium non repugante, quemcunq; locum determinare, ad quem omnes teneantur accedere. Pass. num. 7.

5. Respondeo quintò: quòd si per mortem Prælati plures viduata sint Ecclesiæ, penes quas simul est electio unius successoris; dum neque lex aut statutum, nec consuetudo determinat, in qua earum, aut ubi habenda electio, minor pars accedere debet ad locum (si is tutus est) majoris partis, intelligendo hanc vel majorem tantum in numero, sed in dignitate, dum una Ecclesiæ est altera dignior; alias conveniendum ad locum communem, ab eo, cujus est convocare Electores de consensu majoris partis vocalium, hoc est, majoris partis dictarum Ecclesiarum (singulis Ecclesiis, si hæc omnes ad hoc personaliter simul convenire nequeant, seorsim in suis Capitulis de hoc statutibus) determinatum. Pass. num. 8.

Questio 321. Num Electio facta sine rationabili causa extra fines Ecclesiæ propria, vel locum alias consuetum, sit ipso jure irrita, vel saltem per sententiam irritanda?

1. Respondeo primò: si locus de cætero est honestus, non est ipso jure irrita; quia locus non est de substantiâ electionis. Barb. de jure Eccl. l. 1. c. 9. num. 176. Sigisfin. d. 15. num. 4. Ragg. cent. 2. dub. 190. num. 1. Passer. cit. c. 12. num. 12. & ab eo cit. Tamb. cit. c. 12. num. 1. contra Gl. in c. 1. dist. 23. v. fieri in urbe. Excipe tamen electionem Papæ, quæ facta extra conclavem est nulla, juxta c. ubi periculum. h. r. in 6. & Bullam Greg. XV. Æterni Patris. Sylv. Tabien. Donat. apud Pass. num. 4. cit. c. 12.

2. Respondeo secundò: sed neque tunc est jure irritanda. Tabien. Pass. loc. cit. & alii contra Laym. in c. cum inter. h. r. num. 1. & Pirh. loc. cit. num. 242. Cum neque hoc ullibi in jure expressum reperitur; nam c. cum terra. h. r. nullus locus electioni Episcopali determinatur, sed solum dicitur, ut Electores in unum locum conveniant. c. quòd sicut. h. r. dicens: si fieri possit, electionem habendam in Ecclesiâ; solum loquitur de electione Episcopi, (quamvis nec hanc necessariò juxta canones faciendam esse in Ecclesiâ, dicat Pass. n. 13. ubi tamen addit, in electione Episcoporum difficilius salvâ honestate simpliciter reperiri locum, in quo præter consuetudinem, seu absolūtè præter ambitum Ecclesiæ Cathedralis ea fieri possit) à qua non valet argumentum ad alias electiones; adeòque id solum juxta canones est necessarium, ut locus sit conveniens tam dignitati, ad quam quis eligitur, quam ipsi eligentibus. Pass. num. 12. & 13. Nec obstat consuetudo; quia in istis, ubi parum vel nihil interest, ut actus fiat hic vel alibi, & consuetudo fundatur ferè in sola aliqua majore commoditate, absque eo, quòd inducentes eam intendant inducere obligationem talis consuetudinis, parum aut nihil obligant. Pass. ibid. unde etiam ait, se non videre, cur eligere etiam sine causa extra Ecclesiâ, vel alium locum consuetum, honestum tamen & convenientem, sit peccatum grave, vel etiam, unde eligere extra locum consuetum, intra tamen ambitum Ecclesiæ, sit peccatum leve.

3. Respondeo tertio: si tamen locus ille non foret honestus aut conveniens, v. g. pro electione Ecclesiastica domus aliqua secularis, vel aula secularis Principis (nisi fortè ubi & hæc eligeretur tanquam protegentis electionem, & nullatenus se ei immiscerentis. Pass. num. 15.) electio esset cassanda, utpote facta contra canones, id maximè prohibentes. cit. c. quâ fronte. Pass. num. 14. factum enim contra legem non debet habere firmitatem. reg. quòd contra jus. de reg. juris in 6. An verò electio facta in loco inhonesto sit peccatum mortale, necne, mensurandum est ex qualitate inhonestatis loci, quæ potest esse levis.

Questio 322. An teneat Electio facta in loco interdicto?

Respondeo affirmativè; interdictum enim suspendit solum, & prohibet officiorum divinarum & sacramentorum quorundam usum; non verò obligationes & contractus, quales quid est eligere. Abb. in c. 1. de post. num. 33. ibidem. Bald. num. 2. Barb. loc. cit. num. 177. Ragg. loc. cit. num. 3. Lavor. c. 18. num. 6. Castell. c. 6. num. 12. Pass. num. 16. cum communi DD. Verumque id ipsum est, etiam de electione Pontificis; etsi enim ea prohibeatur fieri in loco interdicto cit. c. ubi periculum, adeòque in ea fiat illicitè, non tamen in eo facta valorem suum admittit. Gloss. in cit. c. Abb. loc. cit. Pass. num. 17.

Questio 323. An, & qua electio habita in locis occultis sit clandestina, & num propterea ipso jure nulla?

1. Respondeo primò: tractatus secretos institutos in locis abditis, à minore etiam parte, vel paucis Electorum de eligendo amico, concive, aliave certa persona, per se malos non esse, modò persona illa amica vel concivis sit, quòque dignior vel æque digna. Pass. num. 21. Sed neque dici possunt electio clandestina; cum electio constituatur non per consensum de futuro, qualis datur in dictis conventiculis; sed per consensum, qui præbetur in scrutinio absolutus & de presenti, per verbum *eligo* expressus, Pass. ibid. contra Ragg. p. 3. dub. 152. n. 3.

2. Respondeo secundò: formalem electionem factam in loco secretissimo & abdito, occultissimè convocatis Electoribus ex hoc non esse irritam, nec irritandam; quia id fieri nullibi nequidem vetatur; imò locus, quo securior, eò aptior servando in electione canonica secreto. Neque etiam ex hoc dici clandestinam; non enim fit clam, quòd fit coram electoribus simul sub legitimo capite congregatis, etsi fiat clam respectu extraneorum, quòd ipsum fieri jura potiùs præcipiunt. Pass. num. 19.

3. Respondeo tertio: electionem factam in cameris privatis per occultâ conventicula ab aliquibus tantum Electoribus dici quidem posse clandestinam; non tam ex eo, quòd fiat in locis occultis; sed quòd fiat clam cæteris Electoribus, similiter esse irritam ipso jure vel irritandam, non ex priore illo, sed ex posteriore hoc capite; quia nimirum, vel non interfuit major pars Electorum, aut numerus sufficiens ad hoc, ut sit Collegium Electorum, ex quo quis eligi valeat: vel contempti solum fuerunt aliqui.

4. Respondeo quartò: electionem ex hoc quòque dici clandestinam, quòd in ea non publicetur scrutinium, vel quòd communis electio non fiat publi-

publicè; & hinc esse irritam, siue de cætero fiat in locis occultis, siue in publico & consueto. Pass. num. 19. & 23.

5. Respondeo quintò: eam magis propriè in iure dici, & reprobari electionem clandestinam, quæ ita secretò custoditur ab electoribus, ut minime Clero, populo, aut communitati publicetur. *c. quia propter. h. r. Gl. ibid. v. clandestinas. Biax. p. 3. s. 37. Pass. num. 21.* Verum etsi jus electionem in hoc sensu clandestinam reprobet, & præcipiat electionem publicari, ubi ea tamen non publicatur, nisi aliunde vitium habeat, neque est iure irrita, neque irritanda (licet clandestinitas hæc sit tollenda ante confirmationem, ad quod sufficit, si confirmator ipse electionem publicet, nec ad actum confirmationis procedat, nisi citatis vel monitis interesse habentibus in confirmatione; cum enim per electionem legitime factam sit acquisitum jus electo, ipso hoc suo iure non est privandus sine sua culpa. Lavor. c. 19. num. 93. Pass. num. 23. citans Innoc. & Jo. And. contra Abb. Hostiens. Gl. in c. unicam, ut Eccles. benef. & alios, quorum tamen plures, dum docent clandestinam electionem esse irritam, intelligunt illam, quæ non est collegialiter facta; sed privatim & divisim per privatas subscriptiones & suffragia, & occulta conventicula. Barb. ad cap. licet. 8. q. 1. apud Pass. num. 23. qui etiam num. 25. observat ipsam quoque electionem communem, quæ publicato scrutinio fit ab uno nomine totius Capituli, dici etiam publicationem electionis, & hanc indubitato esse de substantia, & forma electionis, adeoque absque ea electionem esse iure ipso nullam; scèus verò illam publicationem, quæ post priorem illam factam sit extra Capitulum Clero, populo vel conventui.

6. Respondeo denique: sed neque hæc posterior publicatio electionis ita est necessaria, seu præcepta fieri, ut ex necessitate aliqua, v. g. ad vitandum grave scandalum non liceat eam differre, usque dum confirmator vel alius quidam competens Superior admoneri possit, ut juxta ejus consilium & mandatum vel publicari, vel magis abscondi ad tempus possit. ita ferè Pass. num. 30.

PARAGRAPHVS VIII.

De tempore Electionis.

Questio 324. Num, Ecclesiâ necdum viduatâ sponso seu Prelato suo, eligi possit successor, aut saltem institui tractatus de eo eligendo?

1. Respondeo ad primum negativè cum communi & certa. *c. bona. 36. & c. quia propter. h. r.*

2. Respondeo ad secundum: tractatum collegialem, & canonicum Ecclesiâ nondum viduatâ habitum de novo prelato ei providendo, vel aliquo spectante ad electionem esse nullum, etiam si infirmitas prelato sit planè desperata. *cit. c. bona. ibidem. Abb. num. 2. Biax. p. 3. c. 3. num. 1. Pass. c. 13. num. 9.* Ipsa quoque citatio facta vivente prelato nulla est, ita, ut immediatè etiam post mortuo prelato, ea nunquam convalescat, sed opus sit novâ citatione. *c. bona. Pass. num. 11.* Quinimo ipsa post talem tractatum subsecuta dein electio, mortuo jam prelato, etiam non sit irrita, est tamen irritanda. Abb. & Biax.

ll. cit. Pass. num. 10. Quod tamen etiam intelligendum non est de ea electione, quæ non eligitur is, pro quo tractatum ante mortem prelato, sed alius, vel quæ non habetur in vi alicujus conclusi in illo tractatu. *Biax. & Pass. ibidem.* Item intelligendum non est de tractatu merè consultivo, & nullius spectantis ad electionem definitivo; talem enim tractatum nequidem prohibitum esse, tenent Abb. *loc. cit. num. 12. Biax. num. 2. Laym. de electione. c. 4. q. 13.* Quamvis dicat Pass. num. 12. negari non posse, esse aliquam inhonestatem, vivente adhuc Prelato, tractare collegialiter de successore, etiam nihil deliberando, si non sit aliqua necessitas.

Questio 325. A quo momento vacare censetur Prelatura?

1. Respondeo primò in genere: duobus modis viduari & vacare Ecclesiam, nempe per mortem naturalem, & moralem (dum nimirum Prelatus sit professus in Religione) & per absolutionem Superioris, ubi ea notificata est; ad hæc enim reducitur quoque modus ille vacationis, dum, ubi prelatura temporales sunt, ea vacant tempore, quo Prelatus complet officium; nam & tunc Prelatus à jure manet absolutus. Et licet dicatur Ecclesia viduari modo triplici, adhuc in vivis existente Prelato, juxta *c. inter corporalia. de translatione Episcoporum.* nimirum per translationem illius ad aliam Ecclesiam, per ejus cessionem, & depositionem; vacat tamen quamprimum, & non ante, quam unusquisque harum modorum completus est per absolutionem.

2. Sic completur translatio Episcopi alteriusve Prelati, dum hic volens transfertur, vel etiam dum hic non volens transfertur (scilicet in eo casu, ubi Superior potest Prelatum etiam invitum de una ad aliam Prelaturam transferre) & eo puncto temporis, quo absolvitur à priore prelatura per Superiorem, v. g. Episcopus in Consistorio Sanctitatis suæ, etiam ante expeditionem literarum Apostolicarum, vel adeptam possessionem secundæ Ecclesiæ, ita ut, ubi hujus absolutionis notitiam habuerit Episcopus, etiam ex testimonio, seu documento secretarii sacri Collegii, illic teneatur abstinere ab exercitio ordinariæ jurisdictionis, eaque transeat in Capitulum, tanquam sede vacante, juxta declarationem S. Congregationis Card. negotiis Episcoporum præpositæ, quàm dictis verbis recitat Barb. ad c. 1. de translat. Episcoporum. num. 5.

3. Aliàs verò dum prelatus non deserit volens priorem Ecclesiam, absolviturque non nisi sub conditione futuri consensûs illius, ab eo puncto, quo post absolutionem in eam consentit. Similiter completur depositio ab eo tempore, quo Superior prelatum in poenam absolvit à prelatura, seu deponit, aut depositum declarat, ita tamen, ut, ubi iusta appellatio locum habet, effectus hic depositionis, scilicet vacatio suspendatur, donec sententia transeat in judicatum. *Pass. cit. c. 13. num. 4. & 5.* Quin etiam ut, si depositus à Papa ab eodem dein restituatur ante factam electionem novi successoris, hæc subsecuta sit nulla; quia facta sede non vacante, si tamen restituatur post factam electionem, hæc valida sit, & non cassanda; quia facta legitime sede vacante, nisi tamen in restitutione appolita clausula decreti irritantis: etiam de præterito, quidquid in contrarium jam factum est; vi enim illius plenitudine potestatis tunc Papa factam electionem,

nem, aliàs legitimam; & validam annulat. Abb. ad c. innotuit. de elect. num. 22. ibidem Innoc. num. 5. Host. num. 21. Butrio num. 43. & alii, quos citat & sequitur Pass. num. 6. cit. c. 13.

4. Denique pari modo completur cessio, & Prælatus definit esse Prælatus non nisi per absolutionem à prælatura. Parif. de resign. l. 1. q. 12. nu. 11. Tamb. d. 5. q. 7. n. 3. citans Riccium, Pass. n. 7. ubi autem hæc acceptatio renunciationis intercessit, non est, re etiam adhuc aliàs integrâ, in potestate resignantis de beneplacito acceptantis remanere in eadem prælatura: Et si is eam iterum immediatè possit resignanti conferre, seu restituere, ubi ea electiva non est, vel ejus collatio non spectat ad alium ab acceptante. Pass. n. 8. contra Donat. p. 3. t. 3. q. 15.

Questio 326. Quando incipiat tempus electoribus à jure statutum ad eligendum?

Respondeo: non à momento, quo incipit vacare prælatura, sed quo hæc vacantia innotescit. c. quia diversitatem. de concess. prab. c. licet. de suppl. negl. prel. ibi. Innoc. Abb. Tamb. loc. cit. num. 4. Garc. loc. cit. num. 15. Iavor. loc. cit. num. 12. Pass. loc. cit. num. 16. Azor. p. 2. l. 6. c. 26. q. 10. &c. aut innotescere potest ac debet. Pass. num. 17. ita ut, licet in casu devolutionis prætensâ à Superiore, ad eum spectaret probare noticiam, sufficere probare, eos potuisse habere noticiam, & ab eo tempore intra terminum non elegisse. Pax Jord. l. 10. cit. 12. num. 24. Pass. num. 18. Undecunque demum hæc notitia habeatur; neque enim requiritur intimari Electoribus seu ecclesiæ mortem vel absolutionem prælati sui, ut vult Donatus; neque ex hac intimatione facta per Superiorem, aut ex publico v. g. Secretarii, Superioris, similisve testimonio procedens notitia juridica, ut vult Castel. sed sufficit notitia certa, undecunque hausta, ita ut in casu litis & contentionis, ubi consiterit electores habuisse, aut habere potuisse, si voluissent, certam noticiam absolutionis prælati, privantur electione, si intra tempus statutum, ab ea notitia mensurandum, non elegerint. Quamvis tamen, quia electores scire non tenentur, an eorum prælatus absolutus fuerit à Superiore, & vel hinc præsumi potest iusta in iis ignorantia istius absolutionis, ad vitandas lites opus erit intimatione, vel aliâ aliquâ notitiâ juridicâ. vide pass. num. 17.

Questio 327. Num ante sepulturam Prælati defuncti fieri possit electio successoris?

Respondeo primò: fieri potest ex rationabili causa, ut si ex dilatione immineret grave periculum Ecclesiæ, ejusque immunitati, v. g. ex violentia Principis alicujus. Barb. ad c. bona. de elect. n. 2. Mirand. tom. 2. q. 23. a. 10. Pass. num. 14. citans Rodriq. Castel. & Donat.

2. Respondeo secundò: etsi cessante gravi causâ, honestatis & æquitatis sit, non statim à morte insepulto adhuc Prælato fieri electionem, id tamen de præcepto non est, ita ut tunc facta electio ex eo præcisè cassanda sit. Gl. in cit. c. bona. v. tractatum. ibid. Abb. num. 11. & alii. Barb. & Mirand. ll. cit. Pass. num. 13. Tamb. d. 5. q. 7. num. 2. Lavor. c. 18. num. 20. Biax. p. 3. c. 2. & alii plures contra Hostiens. Garciam. p. 10. c. 2. n. 39. Majol. Rodriq. ab eo citatos, censentes c. bona. 36. de elect. & c. nullus. dist. 79. non tantum honestatem, sed & præceptum de hoc continere, & hinc talem electionem cassandam.

P. Leuren. Fori Benef. Tom. II.

Questio 328. Quantum temporis habeant Electores à jure præfixum ad eligendum?

Respondeo: quid sit de jure speciali, specialibusque statutis & dispositionibus in hoc sæpe diversissimis Collegiorum aliquorum, maximeque Religiosorum Ordinum, innixis bullis & privilegiis apostolicis iis concessis, quæ attendenda & observanda erunt. Rodriq. tom. 2. q. 57. a. 13. Mirand. loc. cit. Sigifin. dub. 16. num. 2. &c. (quamvis etiam electiones Provincialium, multòque magis Generalium totius Ordinis ex eo non comprehendendi c. ne pro defectu. dicat Pass. num. 36. quòd provincia regularis non sit Ecclesia singularis, sed Congregatio Ecclesiarum, mortuòque prælato talis Congregationis Ecclesiarum, singulæ adhuc sponsum retineant, nec patiantur illud detrimentum viduitatis, quòd aliæ singulares Ecclesiæ suo sponso viduatæ; neque sit eadem facilitas tam brevi congregandi tot Electores diffisos) de jure communi sunt tres menses, tam quoad electionem prælatorum secularium in Cathedralibus, quam Regularium. c. ne pro defectu. de elect. Quoad alias verò dignitates in Collegiatis, & beneficia, sive electiva sint, sive collativa, sex menses, intra quos de iis vacantibus providere debent, ad quos spectat, c. nulla. de concess. prab. c. licet. de suppl. negl. prel. & Clem. 1. tit. eod. In his enim minor est necessitas, & minus periculum ex diuturna vacantia, quam in Cathedralibus, utpote quibus, uti in illis, non est adjuncta jurisdictio in Clericos. Pirh. de elect. num. 243. qui nihilominus num. seq. citans Laym. de elect. q. 33. num. 2. Imol. & Abb. ad c. ne pro defectu. ait, valde probabile esse, ob adequatam rationis identitatem comprehendendi quoque constitutione illa c. ne pro def. quoad trimestre tantum concessum ad eligendum, Ecclesiarum collegiatarum prælatos, qui & ipsi generalem ac ordinariam jurisditionem exercent ex speciali jure in Clericos suæ Ecclesiæ. Præsertim si sint exempti ab Episcopo seu Ordinario; eò quòd, licet dicta constitutio sit correctoria anteriorum canonum, provisioni Ecclesiarum non Cathedralium concedentium sex menses, cap. 2. de concess. prab. videaturque poenalis; censeri tamen potius debeat favorabilis; utpote cujus intentio est, occurrere periculis animarum, & Ecclesiarum indemnitati. Porro computandi hi menses sunt, non ut unicuique tribuantur 31. dies, ut vult Host. in c. licet. de suppl. negl. prel. sed prout occurrunt in Calendario, v. g. dum tempus præfixum inchoatur prima Januarii, duret usque ad primam Aprilis inclusivè; idque, etiamsi is annus sit bissextilis. Bald. in cit. c. ne pro def. num. 3. Abb. in cit. c. licet. q. 33. l. 2. de matrim. d. 24. num. 15. Garc. loc. cit. num. 42. citans Roch. Boërium, Lambert. & c. Peyr. tom. 3. c. 9. num. 17. Pass. num. 25. Paxjord. lib. 10. r. 12. num. 30. Item computandi sunt hi menses de momento ad momentum, v. g. si notitia vacantia incipit primâ Januarii, horâ duodecimâ, trimestre terminetur horâ undecimâ mensis Aprilis. Garc. p. 10. cap. 1. num. 20. Peyr. c. 13. num. 4. Paxjord. num. 31. Pass. loc. cit.

Questio 329. An, & qualiter impeditis hoc tempus currat?

Respondeo primò: si impedimentum tollere nequeant electores, non currit illis tempus, c. quia diversitatem. de concess. prab. Gl. Abb. Barb.

M

in c. his quibus. h. t. Garc. loc. cit. num. 17. citans Selv. de benef. Rebuff. Mandof. Verumque id est, etiam si ob propriam culpam in illud inciderint, modò tamen (dum illud impedimentum per eos intollibile, tollibile tamen est ad eorum instantiam per alium; v. g. quia à censura absolvere potest) in mora non sint, quò minus impedimentum illud tollatur per alium, v. g. negligendo petere absolutionem à censura; currit enim aliàs illis tempus à tempore hujus moræ seu negligentia commissa. cit. c. quia diversitatem. Quinimò non currit tempus, etsi electores tollere possint, non tamen debeant impedimentum; v. g. dum Superior præcepit Electoribus, ne eligant, priusquam ipse eos admonuerit (secus est, si justè solum ordinavit, ne sine ejus petita licentia eligant; hanc enim petere possunt ac debent) licet enim tunc electores possent follicitare Superiorem, ut eos admoveat habendæ electionis, ad hoc tamen non tenentur. Pass. cit. c. 13. n. 23.

2. Respondeo secundò: dum impedimentum est temporale, durans tantum per dies aliquot, sive incidat in principio, sive in medio, sive in fine temporis præfixi ad eligendum, hi dies impediti & inutiliter subducendi sunt à tempore præfixo, quod non est nisi dierum utilium, conscientium tres menses, qui dies utiles omnes conjungendi sunt, diebus illis inutilibus expunctis, quasi non fuissent. Pass. num. 24. ex Bald. ad c. ne pro defectu. h. t. v. g. dum excommunicatus impendit 24. dies, ut absolveretur ab excommunicatione (habendi enim sunt hi dies pro diebus justè impediti, & involuntarii. cit. c. quia diversitatem, de concess. præb. Pass. num. 26. Garc. loc. cit. c. 2. num. 18. Paxjord. loc. cit. num. 27.) vel per sex septimanas litigârunt electores (est enim & illud tempus justè impediti. Garc. cit. c. 2. num. 19. citans Rebuff. Lambert. & alios) hi inquam 24. dies, vel sex septimanae junctæ à diebus utilibus trimestri toti superaddendæ sunt; v. g. si trimestre ceperit primâ Januarii, jam duret ad vigesimam quartam Aprilis. Porrò dum electores allegant impedimentum, onus probandi illud, uti & quòd diligentiam ad removendum illud adhibuerint, & removere non potuerint, incumbit illis. Felin. in cap. ex transmissa. de rescript. Garc. loc. cit. num. 24. Anell. ad Abb. c. fin. de elect. Pass. num. 28.

Quæstio 330. Num si imminente termino, seu ultimâ die temporis ad eligendum præfixi, major pars Capituli renuat eligere, adeoque jus eligendi sit penes partem minorem, ut constat ex dictis supra, minor pars teneatur expectare majorem partem usque post prandium istius diei?

Respondeo: vocandis legitime vocatis (posito quòd vocati non sint pro hora pomeridiana) si major pars non venit manè, minor pars non tenetur expectare ultra horam solitam, nempe matutinam, in qua secundum jura habenda est electio. Secus tamen est, ubi major pars venit manè ad Capitulum, sed negat, se velle tunc eligere, aut post adventum recedit, animo eligendi post prandium, de hoc se explicans: vel etiam si recedat sine alia sui explicatione, absolute dicens, se nolle eligere (per hoc enim non censetur cedere juri suo, nec dicit per hoc, se neque istâ, neque illâ aliâ horâ illius diei velle eligere; hoc namque si diceret, posset minor pars istâ horâ matutinâ procedere ad ele-

ctionem; quatinus & tunc securius adhuc fore; expectare, dicit Pass. num. 23.) cum enim tempus eligendi non exspiraret manè, standum in hoc erit iudicio majoris partis, & ea expectanda erit post prandium, & ad ultimum, post quod non remaneret commoditas eligendi de die, quia non tenetur in isto casu expectare minor pars tempus noctis, utpote incongruum, & contrarium consuetudini. Pass. ibidem.

Quæstio 331. Num tempus præfixum à jure restringi possit?

1. Respondeo primò: in casu necessitatis, ubi propter periculum moræ acceleranda est electio, potest Superior, v. g. Legatus Sedis Apostolicæ in Ecclesiis Cathedralibus, vel Episcopus in Ecclesiis inferioribus sibi subjectis restringere hoc tempus, & cogere Electores, ut etiam secundo mente, vel citius eligant. Laym. de Elect. q. 32. & 96. Pirh. de elect. num. 247.

2. Respondeo secundò: extra casum necessitatis, nullus Superior, nisi solus Papa, adeoque multò minus Præses electionis potest, Electoribus invidis, hoc tempus restringere; quia non potest tollere privilegium à jure, & Pontificibus concessum, juxta reg. juris. 17. in 6. indultum in jure privilegium non est alicui sufferendum. Abb. in c. cum veteri. h. t. n. 1. item in cap. cum nobis. ibid. Butr. Laym. & Pirh. ll. cit. Unde convocare potest Præses Electores ad quamcunque diem intra terminum à jure præfixum electioni; sed majore parte vocalium vel ante Congregationem Capituli, vel in eo dissentiente, tenetur ad alium diem intra illud tempus eisdem convocare. Pass. num. 34.

3. Respondeo tertio: potest tamen Præses de consensu majoris partis Capituli terminum illum restringere. Pass. loc. cit. Donat. p. 3. quæst. 6. Peyr. tom. 3. c. 9. num. 16.

4. Respondeo quartò: possunt id ipsum Electores (intellige, dum major eorum pars in hoc consentit, neque opus est ad hoc consensu duorum partium præsentium in Capitulo. Pass. loc. cit. contra Peyr. loc. cit. & alibi) terminum enim ille statutus est negligentia, ut nimirum ultra eum differre non possint electores electionem, cessante jussu impedimento, relicta tamen iis libertate eligendi infra illud tempus, quodcumque iis visum fuerit, quinimo poterunt id invito etiam Præside. Abb. in c. in causis. h. t. num. 9. Biax, p. 3. c. 4. num. 3. Pass. loc. cit. uude patet, Ordines religiosos non tantum auctoritate à postolica, sed & ordinariâ potuisse per statuta sua hunc terminum abbreviare. Pass. n. 35.

Quæstio 332. An, & qualiter præfixo termino eligendi neglectio devolvatur electio ad Superiorem?

1. Respondeo primò: eo termino ex negligentia permisso elabi sine habita electione, hæc devolvitur ad immediatum Superiorem. c. ne pro defectu. quod & in hoc correxit jus antiquum, v. i. jus tunc electio seu provilio in Ecclesiis Cathedralibus devolvebatur immediate ad Papam, ut constat ex c. cum dilectus. de concess. præb. v. g. in Ecclesia Cathedrali ad Archi Episcopum, modò tamen is aliàs habet potestatem confirmandi electum (ob negligentiam enim electorum jus eligendi devolvitur non nisi ad eum Superiorem immediatum, qui aliàs habet potestatem confirmandi electum, sive

sive sit Archi-Episcopus, sive Episcopus, sive alius Prælati, Rebuff. in praxi, tit. de devolutione num. 18. Pirh. ad tit. de Elect. num. 350. citans Abb.) uti adhuc hodie dum Salisburgensi tanquam Metropolitanano subiectos esse aliquot Episcopatus Germaniæ, quod accipiendam ab eo confirmationem testatur Laym. ad cit. c. ne pro defectu. n. 6. dum interim specialiter in Germania jus confirmandi Episcopos electos à Canonicis Cathedralibus sibi reservavit Papa Nicolaus V. in concordatis Germaniæ, ad 6. que, si in eorum electione committatur negligentia ultra terminum, ea devolvitur immediate ad Papam, qui dein Superior immediatus intra terminum præfixum aliis ordinariis Electoribus, scilicet intra tres vel sex menses, tenetur providere Ecclesiæ, eligendo aliquem ex gremio ejusdem Ecclesiæ, si adest, idoneo, aliàs ex alia Ecclesiâ assumendo idoneum. c. ne pro defectu. Pirh. num. 251. Quod si hoc negligat, devolvitur provisio ad alium Superiorem, & sic successivè usque deveniatur ad Papam, c. quanquam. h. t. in 6. & Gl. fin. ibid. Clem. unica. de suppl. neglig. & ad cit. c. ne pro defectu. AA. communiter.

2. Quod si tamen Superior elegerit vel providerit, sed electio vel provisio ab eo facta ex quavis causa fuerit reprobata, vel ab eo provisus noluerit consentire, aut post consensum renunciavit juri suo, mox potestas eligendi revolvitur ad eosdem Electores, & ita quidem, ut integrum iterum tempus, nimirum trium vel sex mensium, iis de novo concedatur. Gl. in c. si electio. h. t. in 6to. Pirh. loc. cit. num. 46. hi enim ob negligentiam eligendi intra tempus statutum privantur electione solum prima & una illa vice. Pirh. loc. cit. Castel. c. 6. n. 7. Pass. cit. c. 13. num. 40. qui etiam num. 41. bene monet, quod (cum devolutio electionis sit poena lata contra negligentes eligere; non verò contra eligentes defectuose) dum electio, quæ de cæterò adhuc dici potest canonica ex eo, quod facta à majore ultra medietatem parte, cassatur tamen ob defectum aliquem in ea commissum, aut ob aliam causam, v. g. ob occultum vitium electi, quod post factam electionem prius innotescit, ea non devolvatur ad Superiorem; sed spectet ad eosdem Electores de novo eligere, nisi defectus sit talis, ob quem Electores sint jure privati ad eligendum de novo, concessio iis iterum de novo toto tempore (quod idem dicendum, ubi electus non consensit, vel post concursum renunciavit, vel mortuus est ante confirmationem) 3. vel 6. mensium; modo tamen nihil sit factum ab Electoribus in fraudem, veluti si paulò ante trimestre, vel semestre elapsum de industria eligerent aliquem, quem sciunt non consensurum, ut vel sic diutius vacet ecclesiâ; tunc enim electio spectabit ad Superiorem. c. si electio. Pirh. loc. cit. Secus tamen est, ubi electio evidenter non est electio; v. g. dum quis nominatus est non à majore supra medietatem parte (quod ipsum factum fuisset, si extranei notoriè, & sine ulla tergiversatione non admittendi admissi fuissent, & ratione horum votorum computatorum nominatus quis fuisset etiam à majore parte; ita ut demptis eorum votis, non habuissent majorem partem votorum supra medietatem) tunc enim si electores intra præfixum terminum non progrediantur ad aliam electionem, ea devolvitur ad Superiorem.

* *

Quæstio 333. An electio fieri possit de nocte? nomine noctis; juxta Sigism. dub. 17. n. 1. Peyr. in subd. q. 1. c. 31. q. 7. Lavor. c. 18. n. 11. Pass. n. 48. &c. intelligendo tempus tenebrarum, in quo sine candela videri non potest?

1. Respondeo primò, ex rationabili causa id fieri posse. Sigism. loc. cit. n. 3. Lavor. loc. cit. Rodriq. tom. 2. q. 52. a. 15. Miran. tom. 2. q. 23. a. 12. Pass. n. 49. citans plures alios.

2. Respondeo secundò: in casu, quo electores in die non concordaverint; unde ex scrutinio nullus nominatus fuerit à majore parte, posse continuari electionem, etiam de nocte, tenent iidem AA. cum aliis apud Pass. n. 54. contrarium sentiente Pirh. loc. cit. n. 253. nimirum electionem inchoatam de die non posse nocte absolvi, sed debere die sequenti perferri, nisi ubi est periculum in mora, Argumento c. in causis. h. t.

3. Respondeo tertio: de cæterò sine causa haberi non posse electionem de nocte, saltem ubi servanda est forma scrutini, tenet communior, ita ut licet ea habita de nocte non sit irrita, rescindi tamen possit & irritari per sententiam Judicis, tanquam facta non canonicè. Laym. in cit. c. in causis. n. 6. Pirh. loc. cit. cui tamen sententiæ se assentiri non posse, ait Pass. n. 50. eò quod neque munita sit lege ullà prohibente eligere de nocte; neque firmà ratione, neque magnopere auctoritate. Non enim primò ex hoc dici posse clandestinam; cum clam fieri verificari nequeat de actu, qui sit coram omnibus interesse habentibus. Felin. in c. consultis. de off. deleg. n. 20. & ita, ut sciri possit ab omnibus, quos lex posse scire decernit. Nec secundò dici posse, requiri solis, & non sufficere lumen candelæ ad eligendum per scrutinium secretum; cum in tali electione nihil fiat, quod ad lumen candelæ commodè perferri nequeat; sufficit enim Electoribus ad cognoscendum se invicem, ad numerandum, num omnes adint, ad schedas à singulis seorsim scribendas, ad eas in urnam mittendas; Scrutatoribus verò ad eas recipiendas, legendas, numerandas, quanquam commodiùs & meliùs hæc fiant ad lumen solis: Ad hæc in aulis Regum & Congregationibus Ecclesiasticis sæpissimè de nocte tractentur & definiantur optimè, etiam per vota secreta, negotia gravissima: Ac denique Abb. Felin. aliique AA. citati in oppositum loquantur ferè de electione clandestina, qualis non est omnis electio nocturna. vide de hoc Pass. n. 52.

PARAGRAPHVS IX.

De constituendis Scrutatoribus, secreto, & modo scrutini.

Quæstio 334. In genere, quas partes, seu actus particulares complectatur forma Electionis per scrutinium?

Respondeo sequentes: Primò scrutinium ipsum seu secretam suffragiorum collectionem, factam per aliquos à Capitulo ad hoc deputatos, qui dicti exinde Scrutatores, quod aliorum vota exquirant & scrutentur. Secundò scrutini publicationem. Tertiò suffragiorum collationem. Quartò decre-

tum capitularis seu communis electionis, ejusque promulgationem. c. quia propter. h. r.

Quaestio 335. An, cum in c. quia propter dicatur: assumantur, qui vota colligant: sit q. haec assumptio de substantia electionis, ut cum communi tenet Pass. c. 16. n. 2. citans Abb. ad c. quia propter. n. 12. Suar. tom. 4. de religione. tr. 8. l. 2. c. 8. n. 4. &c. An inquam repugnet huic textui, & hinc Electio non sit valida, si qui vocalium non assumpti, seipso ingerant muneri scrutatorum, vidente & tacente reliquo Capitulo?

Respondeo: licet de hoc dubitent plures, Suar. loc. cit. Tamb. tom. 1. d. 5. q. 6. n. 4. Lavor. rit. 4. c. 19. n. 45. ed quod redderent se suspectos, & praesumi posset, eos id agere per potentiam aliis invite tacentibus; si tamen id fieret in casa, ubi attentis circumstantiis cessaret haec suspicio & praesumptio non repugnaret dicto textui; cum vel tunc implicitè assumantur ad hoc officium. Abb. l. cit. Pass. loc. cit. n. 4. Barb. de jure Eccles. l. 1. c. 19. n. 189.

Quaestio 336. A quo de cetero scrutatores sint assumendi?

Respondeo primò, fieri posse, ut certa persona ad hoc designata sint ex consuetudine, statuto, vel lege, v. g. seniores ex capitularibus, in tali vel tali officio constituti, vel in tali dignitate. Suar. loc. cit. Pass. n. 6. non obstante cit. c. quia propter, dum id statuendo, ut Electoribus praesentibus assumantur Scrutatores, videtur elegerisse praesentium Electorum industriam & prudentiam ad examinandum, qui fide digni sint, & huic muneri apti, cum examen illud insufficienter sit suppletum à constituentibus talem consuetudinem, vel statutum; merito enim sine haesitatione praesumuntur digni fide & capaces, qui à lege ad hoc munus assumuntur. Sed neque hac ratione excludatur praesentium Electorum tacitus consensus, dum, si justè suspectos habent à lege designatos, possunt contra illos opponere & excipere. Adde, quòd citatus textus non dicat expressè, scrutatores assumendos à Capitulo, sed tantum praesente Capitulo, adeòque non sit contra illum, quòd scrutatores assumantur à Superiore. Suar. loc. cit. Pass. n. 8. qui etiam addit n. 9. quòd, si unus è scrutatoribus à lege designatis habuerit impedimentum aliquod, v. g. sit caecus, vel decumbat infirmus in suo Ordine non subintrare antiquiorem, post illum; sed alium eligendum in ejus locum: uti n. 15. idem admittit, dum is, ad quem spectat, praesens in Capitulo & electione renunciat officio scrutatoris; dum verò is, ad quem spectat ratione senii esse scrutatorem, simpliciter absens est à Capitulo, non esse locum electioni pro novo Scrutatores, sed tunc subintrare in ejus locum seniosem ex praesentibus, ed quòd talis absens non est Elector impeditus à scrutando, sed habendus pro extraneo & non vocali.

2. Respondeo secundò: de cetero scrutatores constituendi sunt saltem (Pass. enim & alii requirunt suffragia majoris partis supra medietatem) per majorem partem Capituli. Castel. de Elect. c. 12. n. 3. tr. 16. n. 7. Pass. n. 8. & Suar. loc. cit. cum communi.

* *
*

Quaestio 337. Qualiter Scrutatores sint assumendi?

Respondeo primò, esse assumendos vià electionis; hoc enim satis declarat textus, etsi in genere dicat assumantur, dum dicit assumendos ab Electoribus omnibus, qui debent, volunt & possunt commodè interesse, collegialiter convenientibus, seu legitime congregatis, sicut ad omnem alium tractatum capitularem requiritur; ubi namque assumentes sunt multi, & assumptio fieri non potest, nisi multis consentientibus, aliter fieri nequit, quam per electionem. Suar. cit. l. 2. c. 5. n. 2.

2. Respondeo secundò: in hac tamen electione necessariò servanda non est forma c. quia propter, cum isti forma subdatur sola electio Praelatorum, & ne, si pro electione scrutatorum assumendi essent scrutatores, detur processus in infinitum. Suar. loc. cit. n. 7. sed poterit fieri per vota publica, vel scrutinium publicum, dum singulorum vota, quos velint esse scrutatores, pateat inquiruntur, vel etiam per compromissum in unum, vel plures, ut illi nomine omnium scrutatores assumant, Pass. cit. c. 16. n. 11. Pirh. de Elect. n. 162.

Quaestio 338. Unde assumendi sint Scrutatores?

Respondeo: ex Collegio Electorum. Abb. in c. quia propter. n. 13. ex Innoc. Host. n. 11. & dicitur signanter ex Collegio Electorum; datur siquidem quandoque, ut videre est apud Regulares, distinctum Collegium Ecclesiae, seu Conventus, in quo omnes professi habent votum ad tractanda negotia Conventus, qui tamen non omnes sunt de Collegio Electorum. Pass. n. 16. Porro hoc ipsum esse de forma electionis, ita ut, si assumptus fuerit in scrutatorem extraneus, electio sit nulla, tenent Innoc. Abb. Host. Imol. Butrio apud Pass. loc. cit. Barb. ad c. quia propter, n. 14. referens plures alios. Suar. loc. cit. n. 8. Sigism. dub. 19. n. 1. contra Gl. in c. quia propter. v. junior. cui faver Pirh. n. 163. ex eo, quòd sicut de communi consensu Electorum admitti possint ad coeligendum extranei non laici, etsi electio de jure communi spectet ad solos, qui sunt de Collegio; ita etiam ad habendum scrutinium. Ubi etiam testatur usu receptum in pluribus Germaniae ecclesiis, quòd assumantur extranei in scrutatores; etsi addat contrarium esse rarius, & posse ex hoc capite irritari electionem. Ubi tamen extraneus consuetudine legitime praescripta obtinisset jus eligendi, posse eum eligi in scrutatorem, tenent Boer. & plures alii apud Pass. loc. cit.

Quaestio 339. Quot assumi debeant & possint scrutatores?

Respondeo primò: non pauciores quam tres, ita expressum cit. c. quia propter. unde id ipsum esse de forma Electionis, pro certo tenent Mirand. p. 2. q. 23. n. 15. Lavor. c. 19. n. 46. & DD. quaest. praeced. cit. ita etiam, ut si contingat aliquem è scrutatoribus impediri, non possint unus vel duo scrutari vota, sed necessariò alius eligi debeat; cum forma praescripta in textu impleri debeat, quantum potest. Innoc. Abb. Bald. in c. quia propter. Biax. p. 3. c. 23. Sigism. dub. 21. n. 2. Pass. n. 20.

2. Nihilominus ubi Electores sunt pauciores, quam quatuor, forma illa cap. quia propter. ita ad amissum servari non potest; uti in hoc casu, ubi

tres

tres tantum sunt Electores, sufficient duo; si duo tantum, sufficit unus scrutator; si unus tantum Elector, opus non sit scrutator, tenent Abb. Innoc. Sylv. v. *electio*, n. 7. quos citat & sequitur Castell. c. 12. n. 6. Donat. tr. 1. q. 17. n. 7. Pass. verò n. 19. dicit, melius esse, ut in isto casu iidem sint scrutatores, & Electores, ita ut, dum electio fit per schedas, quilibet eorum ad presentiam aliorum conjiciat schedam suam in vas ad hoc preparatum, & dein in omnium presentia numerentur, aperiantur, legantur, absque eo, quod opus sit alio Notario, vel testibus facientibus fidem Capitulo de nominatione hujus vel illius; cum Capitulum totum habeat de hoc evidentiam per inspectionem schedularum. Si verò electio fit voce, quilibet eorum aliis duobus, vel alio audiente, si Electores sunt tantum duo, proferat votum suum, absque eo, quod & tunc opus sit alio teste ob eandem rationem. Si verò sit unus tantum elector, is statim nomine Collegii eligat, simul electum nominando, & decretum electionis nomine totius Capituli conficiendo: Et quod, si hoc non fecerit in presentia aliorum (quod melius foret) teneatur statim hanc suam electionem publicare utiliter, non autem de necessitate, adhibito Notario.

3. Respondeo secundò: neque plures quam tres assumendos esse, idque esse de forma electionis. Abb. ad cap. *quia propter*, n. 13. Imol. n. 3. Bald. n. 31. But. n. 22. Host. n. 17. Barb. referens plures alios, Suar. loc. cit. n. 8. Tamb. de jure Abb. t. 1. d. 5. q. 6. n. 5. Castell. c. 4. n. 63. Pass. n. 22. citans plures alios contra Gl. Vincent, Ranered. &c. Concilium enim Lateranense sub Innoc. III. cit. c. *quia propter*. non minus volens prospicere secreto scrutini (cujus violandi majus periculum à pluribus quam paucioribus) quam certitudini & fidelitati (quæ major est, ubi plures quam ubi pauciores attendunt & vident) hunc numerum ternarium determinavit. Pass. loc. cit. unde ad hoc, quod in contrarium obicitur, dicendum, electionem Abbatis Tullensis, in qua adhibiti præter tres scrutatores de Collegio alii tres scrutatores externi, confirmatam à Papa ex speciali gratia. Barb. loc. cit. n. 15. Pass. n. 23. Ad alterum verò, quod dicitur: utile per inutile non vitiari: adeòque, etsi inutilis sit assumptio quarti vel quinti scrutatoris, non tamen per hoc vitiari electionem, dicitur revera istum numerum non tantum pure superfluum, sed damnosum; quia est contra secretum electionis, quod respicit dictum concilium.

4. Nihilominus posse Capitulum generale conjungi; Ordinis, ubi id ei specialiter prohibitum non est, statuere seu lege sancire, ut in electionibus assumantur quatuor scrutatores, fuscè probat Pass. n. 25. citans Suar. loc. cit. n. 10. & ab eo relatas binas de hoc S. Congreg. declarationes, idque citra præjudicium cit. c. *quia propter*. utpote respicientis electores, eisque inhibens augere hunc numerum ternarium; non verò Superiores electorum, quibus auctoritate Apostolica data est potestas gubernandi Ordines, & dirigendi electionem, quò minus ii (salvo tamen sine & intentione illius, qui præter certitudinem & fidelitatem primariò intenta est secretum scrutini, cui longe minus timendum per additionem quarti vel quinti scrutatoris, maxime ubi electio fit per schedas, quam istis per subtractionem unius è tribus scrutatoribus) ex rationabili causa (qualis frequenter occurrere potest scrutatoribus à lege jam designatis fortè minus aptis ad

P. Lenzen. For. Benef. Tom. II.

certitudinem & fidelitatem) augere possint numerum scrutatorum: Similiter ex consuetudine legitime præscripta, saltem immemoriali aut centenaria, posse addi scrutatorem quartum; tenet n. 30. contra Sigism. & Barb. etiam si, ut hi volunt, lex capitis *quia propter*. munita foret decreto irritante, innixus sententia. illi Suar. l. 7. de elect. c. 19. n. 14. docentis, quod consuetudo prævalere possit contra legem canonicam, etiam munitam decreto irritante.

Quæstio 340. Quales esse debeant Scrutatores?

1. Respondeo primò in genere: omnia ea, quæ excludunt à jure vel exercitio eligendi, excludere etià ab officio scrutatoris; cum scrutatores esse debeant de Collegio eligentium; hinc excommunicati, suspensi, interdicti, privati voce, non tolerati, esse non possunt scrutatores: Non tamen sicut cassanda est electio vi præcisè voti alicujus facta à majore parte, dum probatur excommunicatio, quam electorum aliquis ante electionem ei opposuit, ita cassanda ex eo erit electio, quod in ea excommunicatus fuit scrutator, etsi excommunicatio ei ante electionem opposita probetur dein; ac proinde etiam votum illius habeatur pro nullo, cum ad valorem scrutini sufficiat, scrutatores esse de Collegio, de quo sunt omnes, qui quasi possident jus eligendi, & legitime ad eligendum admittuntur. Pass. n. 33.

2. Respondeo secundò; debere esse fide dignos: quam tamen conditionem non esse de substantiâ forma electionis, sed solum de justitia, utpote quam, non tam inducendo substantiale quid, quam admonendo solum, apposuit Concilium cit. c. *quia propter*. Abb. *ibid.* n. 16. & ex eo Sylv. Castell. Donat. l. cit. Pass. n. 32. Pirh. n. 164. unde etiam, si Capitulum consentiat in scrutatores infames infamià puri facti, vel aliunde minus dignos fide, electio ad nullius instantiam cassanda erit. Pass. n. 34. Quin & in tales scrutatores consentiens Capitulum non potest amplius resiliere, juxta Sigism. *dub.* 83. n. 9. Host. Castell. Biax. &c. Porro tamdiu præsumuntur esse fide digni, quamdiu nihil obicitur contra eos canonicè, & probatur, Host. Boer. Castell. cit. à Pass.

3. Respondeo tertio: requiritur, ut scrutator neque sit surdus, neque cæcus, sive electio fiat per scrutinium auriculare, sive fiat per schedas; requiritur enim ab una parte, ut possit tam schedas legere, quam eligentes videre: ab altera parte, ut possit audire publicationem scrutini, aliàs tam ipse, quam Capitulum posset decipi ab aliis scrutatoribus duobus publicantibus majorem vel minorem numerum suffragiorum pro aliquo, quam in veritate fuerit, Camill. de direct. elect. p. 1. c. 15. n. 3. Pass. n. 31. contra Urcean. p. 3. c. 3. putantem, dum scripto proceditur in scrutinio, non posse opponi scrutatori surditatem. Nihilominus electio, in qua scrutator fuit aliquo modo cæcus vel surdus, modò tamen non notabiliter per hoc (idem est de alia infirmitate) impeditus fuerit in actibus scrutini necessariò à singulis scrutatoribus habendis, aut qui sunt de substantia electionis, sustinenda erit.

Pass. loc. cit. citans Camill.

Castell. l. cit.

**

**

M 3

Quæ

Quaestio 341. An ad scrutandum vota Electorum, aliumve actum praestandum circa Scrutinium, (non enim hic quaeritur de conscribendo decreto electionis communis, quod transmittendum est ad confirmatorem) praeter tres Scrutatores adhiberi debeat aut possit Notarius cum testibus, & is qualis esse debeat?

Respondeo ad primum negativè. gl. ad c. quia propter, afferens, vota conscribi vel per scrutatores, vel per tabellionem, Host. *ibid.* dicens id tutius fieri per scrutatores. Jo. And. *ibid.* dicens, perinde esse, an hac scriptura sit publica, an privata. Abb. *ibid.* dicens mentem textus esse, ut Scrutatores per eorum aliquem vota redigere debeant in scriptis privatis, quod ipsum ait & probat Pass. n. 37. ipsi namque scrutatores tanquam fide digni electi constituntur ut testes ex officio, quibus fides praestanda. Abb. *loc. cit.* Verumque hoc ipsum est, dum Electores tantum sunt tres vel duo; cum iidem sint scrutatores & Electores; dum autem est unus, potest is publicè & notoriè eligere, seu nominare aliquem, adeoque absque eò, quòd egeat Notario, qui fidem faciat. Pass. n. 38.

2. Respondeo ad secundum: quamvis admitti posse notarium supponant plerique ex cit. AA. teneantque Peyr. in *subd. q. 1. c. 31.* Lezan. Sigism. à Bon. qui tamen de testibus admittendis tacent; videri tamen id parum conforme textui c. quia propter, & Trid. decernenti, ut electio, in regularibus maxime, sit secreta, ait Pass. n. 39. Cum, si Notarius & testes in scrutinio auriculari audiant Electores nominantes, & vel ipsi vota conscribant, vel à scrutatoribus conscripta videant, jam ad minus sex personis vota eligentium sunt manifesta; dum autem scrutinium fit per schedas complicatas, eorum assistentia sit superflua; cum locus, ubi scrutatores scrutantur, sit apertus, & in conspectu omnium Electorum: Nihilominus in monialium electionibus specialis est ratio adhibendi Notarium; cum non sint in illis Scrutatores electi de capitulo Monialium, sed extranei vota earum redigant in scriptum; neque ista electiones formae capituli Quia propter, sint subjecta Pass. n. 40. Hinc decretum, ut in electione Abbatis Episcopus habeat assistentes duos sacerdotes moribus & aetate graves, qui testimonium reddere possint istius actionis, & ad id Notarium publicum adhibeat. Nicolius. v. *Abbatissa. n. 5.* apud Pass.

3. Respondeo ad tertium: in casu, quo licet adhibere Notarium & testes, possunt tam hi, quam ille, esse saeculares, (quamvis melius esset, uti Notario Ecclesiastico; quin etiam ad hoc creari posse à Superioribus Ordinum ex privilegio Pii V. concessio Prædicatoribus, testatur Pass.) cum nullam exercent jurisdictionem, vel auctoritatem; sed nudum ministerium & officium. Abb. *loc. cit. num. 10.* Peyr. Pass. *ll. cit.*

Quaestio 342. Num Scrutatoribus sit habenda fides?

Respondeo affirmativè: & ita quidem, ut si omnes tres, vel etiam duo ex illis jurati affirmant, aliquem à tot nominatum fuisse, illis sit credendum, etiam si Electores asserant, se talem non nominasse in tanto numero, vel in numero majore eo, qui refertur. c. cum dilectus. de Elect. Abb. ad c. quia propter. n. 9. Host. in *sum. de elect. Biax p. 2. c. 28. num. 3.*

Castel. n. 12. n. 19. Sigism. *dub. 21. in fin.* Idque adhuc verum, etiam si unus Scrutatorum vel Notarius steterit cum Electoribus opposentibus; quia adhuc remanent duo testes contra unum; Electores enim opposentes non sunt nisi testes singulares. Pass. n. 42. & 44. in *fine. ex cit. c. cum dilectus. contra Lavor. c. 19. n. 110.* Quòd si Scrutatores in publicando vota discordarent ab Electoribus, & eorum scriptura, vel etiam à sola eorum scriptura, dubitandum de Electione, dicit Host. *loc. cit. cui consentit Pass. n. 43.* qui tamen ait, planum esse, quòd standum sit Scripturae, ubi saltem unus Scrutatorum concordat cum scriptura & Electoribus. Quòd si scrutatoribus non concordibus inter se, Notarius (ubi hic interfuit) qui vota annotasset, concordaret cum Electoribus omnibus publicato scrutinio negantibus sua vota, sine dubio eis standum, ait Pass. *loc. cit.*

Quaestio 343. An scrutinium fieri debeat secretè?

Respondeo affirmativè, sic expressè habet c. quia propter, comprehendens electiones Prælatorum omnium, tam regularium, quam saecularium, quorum morte sunt viduata Ecclesiæ, & qui jurisdictionem universalem exercent; non verò Abbatissarum, aliarumque Præpositarum monialium. Pass. c. 17. n. 2. Quòd longè strictius Trid. sess. 25. de regular. c. 6. pro regularibus (de Electionibus enim Episcoporum, aliorumque Prælatorum saecularium hic nihil disponitur) decernit his verbis: in electione Superiorum, quorumcunque Abbatum temporalium & aliorum officialium (quo nomine non comprehendit officiales quoscunque, sed solum eos, qui Superiores sunt locorum Conventuum, & c. Sive dicantur Guardiani, sive Rectores, sive Priores. Pass. n. 5.) ac Generalium (quos ideo exprimit, ut comprehendat illos omnes, etiam si in aliquibus Ordinibus non sint temporales, sed perpetui) & Abbatissarum, atque aliarum Præpositarum, quò omnia rectè & sine ulla fraude fiant, Synodus districtè precipit, omnes supradictos eligi debere per vota secreta; ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur, si verò contra hujus decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit.

Quaestio 344. Num igitur, stante hoc Trident. decreto, valida adhuc sit & licita, etiam quoad Regulares, electio per scrutinium auriculare, quo ea aliàs juxta cit. c. poterat, imò, ut Boer. decif. l. n. 35. Cuchus de elect. l. 4. n. 212. fieri debebat?

Respondeo affirmativè: ita contra Mirand. ro. 2. q. 23. a. 15. Donat. p. 3. tr. 1. q. 6. n. 7. censentes, in hoc per Trid. derogatum capituli Quia propter, Barb. ad cit. sess. 25. c. 7. Ricc. in *prax. resol. 637. in 2. edit.* Garc. de *benef. p. 5. c. 6. n. 189.* Tamb. de *jure Abb. ro. 1. d. 5. q. 6. n. 8.* & de *jure Abbatiss. d. 28. q. 4.* Suar. de *refig. ro. 4. tr. 8. l. 2. c. 1. n. 10.* Pass. *cit. c. 17. n. 5. ex Suar. Tamb. & Garc. verbotenus referens plures pro hac sententia declarationes S. Congreg. Quibus non obstat, quòd eadem Congregatio declaravit contrarium in electione Abbatissarum, nimirum vota ore tenus accipi non posse ab earum Superioribus cum duobus testibus; sic enim declaravit specialiter circa eas earum electiones, in quibus præter deputatos adhibentur duo testes, per quos electio publicari possit; ipsum namque Trident. de cætero expressè statuit c. 7. illius sess. 25. de regular. quòd electio Abbatissa possit fieri auriculariter, Episcopo aut Superiore ad tene-*

fenestellam montalium vota auriculariter excipiente. *Garc. n. 191. Pass. n. 6.* Ratio responsionis est, quod Trident. plus non decernat, quam ut dicta electiones fiant secretae, & vota eligentium nunquam publicentur; utrumque habetur, etiam si vota eligentium fiant à Scrutatoribus; Concilium enim Lateran. in dicto *c. quia propter*, censuit, adhuc electionem esse secretam, & vota eligentium minime per hoc publicari; quod autem vota & nomina, à quibus data publicari sic possent per scrutatores, nihil ad rem facit; cum Tridentinum non vetuerit, vota posse publicari, seu non statuerit electionem fieri adeò secretam, ut ne quidem publicari possent, sed ne actu publicarentur; adde, quod, cum Trident. *loc. cit.* loquatur indifferenter de Electoribus Abbatisfarum, & aliorum Prelatorum regularium, adeòque necesse non sit vi dicti Concilii, horum electiones esse magis secretas, quam illarum, quæ, ut dictum, fieri possunt ore tenus & auriculariter. *Pass. n. 7. & 8.*

Questio 345. Quandoam censeantur vota electorum publicari in ipsa electione, seu per revelationem intrinsecam electioni, & num propterea electio reddatur irrita?

Respondeo ad primum, id fieri Primum: si Electores, adhibitis, vel non adhibitis scrutatoribus, publicè altà voce, ut à Capitulo audiantur, darent suffragia; verumque id est, etiam si unus solum eorum det publicè suffragium, modò id fiat consentiente & permittente (etiam si ista permissio & non contradictio oriatur ex ignorantia, quæ ignoratur tale votum datum publicè sive ex ignorantia, sive ex scientia nullum esse, & invalidare electionem; *Barb. ad c. 6. sess. 25. Trid. Pass. n. 15.* vel etiam ex aliqua tantum reverentia & timiditate sine malitia & dolo, & non ex metu cadente in virum consultantem. *Pass. n. 14. contra Raggium p. 2. dub. 197. n. 2.* saltem majore parte capituli (quæ limitatio additur, ne si etiam invitâ majore parte Capituli datum publicè tale suffragium redderet electionem non secretam, & consequenter invalidam, major pars nunquam posset concludere electionem, si pars minor nollet; hæc enim aut unus de ea, posset eligere publicè, & sic electionem reddere nullam) *Garc. loc. cit. n. 195. Barb. de jure Eccl. l. 1. c. 5. num. 205. Peyr. to. 3. de priv. l. c. 9. n. 23. Castel. de elect. c. 5. n. 25. Pass. n. 13.* Secus autem est, & censetur in hoc casu adhuc secreta electio, ubi capitulum, aut Præses ejus, uti debet, id prohiberet, & contradiceret votum tale (utpote revera ipso jure nullum, quippe datum, & contra formam & decretum irritans. *Pass. n. 14.*) non computando inter suffragia, ac si datum esset ab extraneo (qualis meretur haberi ille, qui contra formam nulliter eligit. *Pass. loc. cit.*) vel etiam talem (uti potest. *Garc. n. 195. Castel. num. 26. Peyr. loc. cit.*) si resisteret, privando voce pro illa vice, quæ juxta *Pass.* ipso jure talis privatus non est.

2. Secundò, si scrutatoribus adsint extranei, vel etiam quicumque alii in majore numero, quam requirat forma canonica, qui suffragantes audiant, vel eorum schedas legant.

3. Tertiò: si auditis secretò Electoribus, Scrutatores publicando scrutinium, publicent simul eorum nomina.

4. Quartò: si hæc nomina describantur in decreto electionis transmittendo ad confirmatorem, *Pass. c. 17. n. 12.*

5. Quintò: si confirmator in literis confirmato-

riis eadem nomina publicet; censetur enim adhuc talis publicatio facta in electione, utpote quæ durat, donec confirmata sit. *Barb. ad sess. 25. c. 6. num. 8. Garc. p. 5. n. 197. Suar. cit. l. 2. c. 5. Pass. n. 12.*

6. Sextò: si, ubi electio ex speciali statuto prohibente cum decreto irritante Scrutinium auriculare (de ceterò enim sicuti in Scrutinio auriculari, sic etiam in eo, quod fit per Schedas, nil vetat, eligentium nomina scribi à Scrutatoribus) eò fine, ut ne quidem Scrutatoribus innotescant nomina eligentium, si inquam, in eo casu plures, vel etiam una scheda notata esset speciali aliquo signo, unde Scrutatoribus, vel etiam uni eorum innotesceret nomen eligentis per talem schedam, talis electio foret non secreta, non vi Tridentini; sed vi talis specialis statuti. *Pass. n. 18.* Adhibita tamen iterum priore limitatione, nimirum, ut id fiat sciente & permittente majore parte Capituli, non verò eo id ignorante vel contradicente; licet enim de ceterò defectus formæ munita decreto irritante non recipiat remedium ex ignorantia; non est tamen in præsentem verisimile, statuta utriusque illius Concilii patrocinata fuisse fraudibus, & stravisse viam ad affligendos innocentes, uti fieret, si unum alterumve, vel etiam plura vota publicata irritare possent electionem de ceterò ritè habitam à majore parte; sed dicendum, formam eligendi secretò statutam à dictis Conciliis excludere publicitatem commissam à majore parte, sive dolo, sive per ignorantiam, vel ab ea sciente permissam; non verò commissam à minore parte, majore vel non sciente, vel contradicente, *Pass. n. 19. & 20.*

7. Septimò: si quis alicui ex Electoribus det propriam schedam, plicatam tamen, & tantum mittendam ab eo in urnam: scheda enim talis quam quisque potest legere, si vult, sive id possit licitè, sive illicitè, non est secreta quoad substantiam; & qui schedam propriam modo dicto dar alteri, ex modo eligendi proprium nomen publicat in ipsa electione, adeòque talis recepta & projecta in urnam ab eo, qui scrutator non est, reddit electionem in suo esse, & in seipsa non secretam quoad substantiam (etsi hæc maneat secreta per accidens, dum recipiens schedam illam non legit) cujus tamen contrarium vult Concilium prohibens publicationem secundum substantiam, & non quatenus illicitam, vel injustam. *Pass. n. 27. contra Pasqual. decis. 261.* unde etiam tam porrigentem dicto modo schedam, quam scrutatorem eam respicientem peccare, ait, graviter, utpote agentem contra duorum Conciliorum decreta, etiam si per accidens non lectâ schedâ nomen eligentis nunquam innotescat. Secus tamen est, & non violatur secretum, dum Elector non potens propriâ manu mittere schedam in urnam, accedit ad scrutatores, & ipsis videlicet tradit illam alteri, qui mox videlicet scrutatoribus eam projicit in urnam, *Pass. n. 28.*

8. Respondeo ad secundum, dum nomina Eligentium dictis modis publicantur in ipsa electione, electionem esse nullam, *Pass. n. 12.*

Questio 346. Num igitur etiam irritetur electio per hoc, quod scrutatorum aliquis extra electionem publicet nomina eligentium?

Respondeo primò: tametsi talis Scrutator non solum expressè revelando privatim alicui, quod hic vel ille Elector tali dederit votum suum; sed etiam loquendo taliter, unde id colligi, imò unde de eo dubitari possit, an non hic istum vel illum

elegerit, agat contra fidelitatem & iustitiam officii sui, peccetque graviter aut leviter prout hoc cederet in grave vel leve damnium, & praedictum Electionis, vel Electoris revelati. Pass. num. 29. contra Bonac. de contract. q. 2. n. 3. & Labor. de Elect. c. 19. m. 57. tenentes absolute, talem scrutatorem peccare mortaliter: non tamen per hoc vitatur aut irritatur electio, etiam apud Regulares, etsi de cetero Tridentinum specialiter in electionibus Regularium, etiam cum decreto irritante electionem veruerit unquam publicari nomina eligentium, seu cui quis eorum dederit suffragium, Pass. cit. n. 29 & seq. contra Labor loc. cit. siquidem decretum illud concilii in sensu proprio accipiendum, & ultra hunc poena illa nullitatis electionis, aut onus illud gravissimum de novo eligendi Electoribus impositum extendendum non est: Jam vero manifestatio aliqua privata actus alicujus, aut personae, non est illius publicatio; cum publicare proprie significet idem, quod *evulgare*, vel in notorium deducere, seu facere, ut aliquid transeat in famam publicam loci, quod aliter non fit, quam dum res facta vel verbo propalatur in loco publico, & coram tanta multitudinem, ut illius notitia per se transeat ad majorem partem, v. g. collegii vel conventus, viciniae, civitatis, alteriusve loci, Pass. loc. cit. ex C. Tuscho L. P. conclus. 964. intelligitur namque publicitas facti, seu consistens in facto, quae intelligitur, quoties jus requirit publicitatem actus alicujus in ordine ad hunc effectum, ut praesumatur istius actus notitia apud alios, & valde distinguitur a publicitate juris, seu quae a jure causatur; licet enim, dum iudex in banco coram duobus vel tribus testibus excommunicavit aliquem, non est talis excommunicatus adhuc publice, quia per hoc ejus excommunicatio in facto non est publice nota apud homines, licet sit nota ex jure apud iudicem. Pass. n. 30. juxta gl. sing. in elem. 1. de sepult. v. publice.

1. Respondeo secundò: secus dicendum, ubi scrutatorum aliquis Eligentis nomen publicaret, & divulgaret in sensu proprio jam explicato.

Quaestio 347. Quid dicitur, si manifestatio nominis Electoris alicujus vel Electorum fiat ab uno vel pluribus, vel etiam omnibus Electoribus?

1. Respondeo: manifestationem talem, siue fiat ante (dicente aliquo vel aliquibus, se velle illum determinate eligere) siue post electionem (dicente eorum aliquo, se elegisse illum v. g. Titium) modo fiat extra electionem, & non fiat ab ullo electorum ut scrutatore, siue ex vi notitiae habitae per electionem seu scrutinium, non irritare electionem. Garc. p. 5. c. 4. n. 196. nixus declarationi S. Congregationis ad finem hujus quaest. citandae. Barb. ad c. 6. sess. 25. Trid. n. 14. Cast. de elect. c. 5. n. 26. Castrop. p. 2. tr. 13. d. 3. n. 9. Pass. n. 35. ratio, quae utrumque probatur, haec est; quod Trident. per verba ista: *Concilium districte praecipit omnes supradictos eligi per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur, &c.* per se & determinate non prohibeat manifestationem & publicationem nominum eligentium separatim, aut separatam ab electione (qualis est, quae fit ab ipsis electoribus pure quae talibus ante vel post electionem) sed solum intrinsecam ipsi electioni dum fit, aut connexam illi factae per vota secreta; nam imprimis praecipiendo eligi per vota secreta, tantum id vult, ut Electores, dum actu & formaliter sunt electores, siue dum actu dant suffra-

gium suum, in eo dando servent secretum, seu illud dent secreto. Bassus v. *electio*. n. 6. Pass. n. 37. Jam vero Electores antecederent dicendo palam, etiam cum promissione, & juramento, se determinate electuros Titium, actu per hoc non eligunt, & possunt adhuc in ipsa electione seu scrutinio talem non eligere. Bass. & Pass. d. cit. Quinimo argumento *cum in genesi, de elect.* minime obstante hoc Trident. praepro, liciti sunt, & laudabiliter instituantur, etiam collegialiter, tractatus (quamvis forte attentio sine Concilii Trident. apud Regulares ii melius omittuntur, tanquam minus convenientes) antecedentes electionem, in quibus tractetur de meritis eligendorum, certaue persona eligenda, quia dignior, ita etiam, ut Electores non tantum dicant, se velle talem eligere, sed id ipsum quodque viis licitis circa pacta, minas, & alia hujusmodi cum charitate, & absque iniuria persuadere aliis nitantur. Deum praepro illud nunquam publicandi nomina eligentium respicit solos scrutatores, eosque, qui auctoritate publicae assistunt scrutinio seu electioni, cujus notitiam habent; Electores enim alii aliorum nomina vel nescientes factae nescientes ea publicare nequeunt; neque etiam suas; cum in praedictum electionis, & electi de proprio facto validum testimonium ferre nequeant: Neque quod Elector proprium suum votum publicet post electionem, est contra illius libertatem, quae est finis hujus praepro, liciti a Trident. Quinimo cum licitum sit in variis casibus se opponere electioni, & personae electae, v. g. dum alii scienter eligunt indignum, vel etiam contra aliorum oppositionem petere, & procurare etiam per scripturas, ut a se electus confirmetur, in iis certe verum non erit propalare votum a se datum tali. Pass. n. 39. & seq. Porro in genere loquendo, dum publicatio talis fit etiam a quocunque post confirmatam iam electionem, nunquam eam irritabit; cum electionis valor pendere nequeat a futuro eventu casuali. Suar. to. 4. de relig. tr. 8. l. 2. c. 5. n. 1. Pass. n. 40. unde

2. Respondeo secundò, istiusmodi publicationem, etsi forte absque eo, quod per eam non tollatur secretum ipsius electionis per se mala sit & illicita, ut constare videtur ex istis verbis S. Congreg. quae citat Garc. l. supra cit. ante vel post scrutinium Electoribus nullo modo licet, cui votum dederint, publicare: non tamen ita esse per se malam aut prohibitam per Trident. ut ex necessitate vel iusta causa fieri non possit licita. De quo vide Pass. n. 43.

Quaestio 348. Num ubi scrutinium fit per secretas, & sic fieri est de forma Electionis, etiam sit de forma electionis, eas comburere ante vel post publicationem scrutini?

Respondeo: Praescindendo a statuto speciali (qualiter tanquam de forma Electionis statutum esse in Ordine Prædicatorum, ut facta collatione numeri ad numerum, & eorum, qui nominati sunt, nominibus redactis in scriptum, scheda coram capitulo ante publicationem Scrutinii comburantur, testatur Pass. cit. c. 17. num. 46.) negative, Concilium siquidem id unum vetat, ne nomina eligentium publicentur, quo stante, quidquid fiat de schedis, siue comburantur in praesentia Capituli (licet hic modus sit facilior, & secreto electionis convenientior, ac ita etiam fiat in electione summi Pontificis) siue projiciantur, & sepeliantur, siue quocunque alio modo custodiantur, ut non videantur, substantia hinc nihil interesse. Pass. n. 48. con-

tra Cast. c. 4. n. 62. nixum quodam oraculo vivæ vocis Pii V. de quo, ut ait Pass. non satis constat.

Quæstio 349. Num necesse sit ante inchoationem scrutini Scrutatores astringi juramento, vel præcepto obedientiæ à Præsidente Electionis de munere fideliter exequendo?

Respondeo: non esse id de substantia electionis. Abb. in c. in causis. h. t. n. 2. cum communi. Neque de præcepto juris communis. Pass. c. 18. n. 2. contra Biax. p. 3. c. 24. Sigism. dub. 21. n. 2.

Quæstio 350. Quisnam debeat esse locus, in quo Scrutatores vota eligentium excipiunt?

1. Respondeo primò: debet esse publicus, hoc est, in conspectu omnium Electorum, ita ut hi omnes à longè videri possint, ne fraus aliqua committatur in scrutinio. Pass. c. 18. n. 3.

2. Respondeo secundo: debet esse separatus à loco Electorum, ut hi nè que Electores cum Scrutatoribus, neque Scrutatores inter se loquentes, dum scrutinium est auriculare, audire, neque ubi scrutinium fit per schedas, has apertas, aut etiam vota eligentium à scrutatoribus in scriptum redacta videre & legere possint. Pass. ibid. Biax. p. 3. c. 25. n. 2.

Quæstio 351. Quid in c. quia propter intelligatur per rō singulatum vota exquirant?

Respondeo: quòd Electores accedere non debent ad scrutinium turmatim, aut terni vel bini, sed seorsim & separatim singuli. Abb. in c. c. n. 15. Sylv. v. electio. n. 7. Lavor. c. 19. num. 76. Estque hoc de substantia scrutini auricularis: cum alias electio & scrutinium non esset secretum, Donat. p. 3. tr. 1. q. 17. n. 13. Secus ubi scrutinium fit per schedas complicatas Pass. n. 4.

Quæstio 352. Quid importent verba illa dicti cap. diligenter inquirant?

1. Respondeo primò: in scrutinio per schedas necesse non est, ut quicquam loquantur scrutatores, sed solum attendant, ne Electores deponant in urnam plures schedas, vel aliquam extrahant, vel dent notatam speciali aliquo caractere, aut simile quid faciant in præjudicium electionis. Pass. cit. c. 18. n. 55.

2. Respondeo secundò: in scrutinio auriculari quoque non requiritur, ut scrutatores proprio ore teneantur inquirere vota eligentium, sed sufficit Electores accedentes ipsos sponte sua votum exprimere. Neque etiam facienda est vis in verbo illo exquirant, tum quia substantia talis inquisitionis subsistit in manifestatione voti recepta à scrutatoribus, tum quia scrutatores sufficienter loquuntur, & interrogant ipso facto, quo sedent deputati ad officium audiendi & conscribendi vota eligentium. Pass. n. 56. contra Barb. ad c. quia propter. n. 20. Sigism. dub. 21. n. 4.

3. Respondeo tertio: neque est de substantia, aut etiam de præcepto, ut scrutatores inquirant de zelo & meritis nominatorum, aut quo affectu, quā conscientia eligens talem nominet, Pass. num. 57. contra AA. cit. & alios. Quamvis aliunde quandòque ex præcepto charitatis vel justitiæ teneantur docere, vel corrigere eligentes, si fortè in votando errarent, vel facere vellent aliquid in præjudicium electionis.

4. Respondeo quartò: multò minùs requiri, ut Scrutatores adjurent eligentes, ut nominent, quem coram Deo judicant meliorem. Pass. n. 58. vel etiam, ut Electores de hoc jurent in manibus Scutatorum. Pass. n. 59. & seq. quem vide.

Quæstio 353. Num Electoribus licitum sit consensum suum internum seu votum explicare per sortes?

Respondeo primò: licet per se & ex natura rei illicitum non sit, præsertim in casu necessitatis, ubi humana prudentia deficit, v. g. ubi sunt duo vel tres, qui capitulo omnibus examinatis videntur maximè & omnino à qualiter digni Prælaturâ, sine alicujus injuria implorare Dei indicium per sortes, earumque eventum ab eo (secus si hic expectetur merè à fortuna vel aliunde) expectare. D. August. de doct. Christiana. c. 28. & Ep. 12. ad Honoratum. D. Th. 2. 2. q. 95. n. 8. & ex eo Cajet. ibid. Suar. 20. n. de relig. tr. 3. l. 2. c. 12. n. 8. Sanch. in sum. l. 2. c. 38. n. 7. idque de facto apud regulares aliquos in electionibus quibusdam ex speciali indulto praticetur, ut videre est apud Pass. cit. c. 18. n. 6. Jure tamen positivo, ut constat ex cap. fin. de sortileg. de facto illicita est quacunque electio Ecclesiastica, five ad Prælaturas, five ad beneficia, officia, ministeria Ecclesiastica, quæ fit per sortes, ita etiam, ut illicitum sit hac ratione eligere ipsos compromissarios. D. Th. loc. cit. Suar. l. c. cit. n. 5. Sanch. n. 71. Abb. Felin. in c. capitulum de rescript. Tusc. l. E. concl. 79. Sigism. dub. 26. n. 1. Pass. n. 7. citans quamplures alios: qui etiam n. 9. citans pro se Felin. in c. capitulum. n. 21. Host. Jo. And. Franc. & alios in c. unic. de eo, qui mittitur in possessione, tenet, extra negotium Electionis quòque illicitam esse, & non valere diremptionem litis beneficiariæ, aut quæ est circa res alias spirituales inter clericos, etiam factam de auctoritate Superioris (in quo casu id licere tenent Suar. loc. cit. n. 12. & Sanch. n. 79.) etsi hac accedente, de cæterò removeatur simonia, quæ aliàs committitur ineundo quodcumque pactum circa beneficia; vel etiam dum is conferre potest beneficium, impediretur, ne alter litigantium ingrederetur aliàs beneficium sine titulo, ut aliàs contingere posset, dum fors eum tangeret, qui non haberet à parte rei verum titulum. His tamen non obstantibus licitum est per sortes facere electiones Ecclesiasticas, servatis aliàs servandis, non solum, ubi id expressè concessum est à Pontifice (uti id vi constitutionis Leonis X. quæ incipit: in suprema: praticari in regnis Legionis, Castellæ, Navarræ, ut nimirum, ubi votorum latorum ab Examinatoribus, & ut rectè addit Castrop. p. 3. tr. 13. d. 5. p. 3. n. 10. approbante idem Pass. n. 10. etiam qualitatim omnimoda est paritas, sorte decernatur, cuius sit beneficium, testatur Garc. l. 5. c. 4. n. 208.) verum etiam, ubi id consuetudine inductum est, quâ dictum jus positivum abrogari potest, non solum in electionibus ad officia Ecclesiastica non habentia jurisdictionem, ut vult Sigism. d. 26. n. 5. Sed & universaliter. Pass. cit. n. 10.

Quæstio 354. An de cæterò electiones factæ per sortes sint quoque ipso jure nullæ?

Respondeo affirmativè de iis electionibus, in quibus servanda est forma c. quia propter: item de iis, quæ fiunt servatâ formâ Scrutini juxta decretum Trident. debent namque in iis singuli Electorum votum suum dare secretò pro una perso-

na determinata: item de iis, in quibus requiritur forma aliqua determinata cum decreto irritante. Item de Electionibus ceteris, tenent Abb. in c. Ecclesia. de sortileg. Garc. p. 5. c. 4. n. 205. Sigism. dub. 26. n. 8. Econtra negant Suar. loc. cit. n. 9. Sanch. n. 83. quibus accedit Pass. n. 11. eo quod prohibitiones contenta in aliis iuribus non habeant annexum decretum irritans. Dicunt tamen eas irritandas, quia facta contra iura eas prohibentia. Idem sentiunt hi AA. de electionibus mediatis factis per sortes, dum nimirum per sortes eliguntur compromissarii, eas non esse ipso iure irritas. Quod si verum, ait Pass. n. 12. se non videre discrimen, an non idem dicendum de electione mediata per sortes, dum sorte decernuntur 4. vel 7. ut dein ex iis eligatur unus; cum determinatio eligendorum accidat electioni per ferutinium, idque (adeoque & ipsa electio) tali determinatione per sortes praevia non obtinente haberi potest secretò: Econtra autem nominatio compromissariorum sit pars essentialis electionis per compromissum. De cetero ubi tractatur non de electione personarum, sed de aliquo preparatorio ad illam, v. g. de eligendo loco electionis, & controversia aliter dirimi non posset, si forte dirimeretur, non ita vitari contractum, ut electio esset ipso iure irrita, licet esset irritanda, tenent Sanch. loc. cit. n. 73. Sigism. loc. cit. n. 2. Pass. n. 8.

Questio 355. An electiones ad Pralaturas Ecclesiasticas fieri possint per calculos, fabas, similesve modos, dum nimirum à Superiore Electoribus consentientibus, proponuntur plures, quatuor v. g. vel quinque, ut ex iis eligatur unus, electusque censatur, qui à maiore numero electorum loco schedularum dando calculos coram Scrutatoribus fuerit approbatus?

Respondeo: negare id Sigism. loc. cit. n. 6. Miran. to. 2. q. 23. n. 19. Cuchium de elect. l. 4. n. 222. Samuel. tr. 1. d. 4. contr. 7. n. 1. & alios apud Pass. n. 13. ubi eorum rationes refutat. Econtra hunc modum eligendi per calculos non esse reprobatum vi c. quia propter. imò esse valde conformem Trident. docet Suar. to. 4. de relig. t. 8. l. 2. c. 5. n. 23. Cum tamen consuetudo & praxis obtineat, ut tales electiones fiant vel viva voce, vel per schedas, maiorque sit libertas Electorum, si iis nullus determinetur, quem eligant, sic fieri debere iuxta cuiusque collegii leges & usum, dicit Pass. loc. cit.

Questio 356. Quà igitur verborum formâ, si ve scripto, si ve viva voce id fiat, exprimere debeant in electione votum suum Electores?

Respondeo: id perinde esse, modò consensus eligentis exprimat, neque verborum imperfectio vitiat, si sensus & consensus loquentis colligi possit. Lavor. c. 19. n. 63. magis usitatae sunt hæ formæ, & bonæ. *Eligo talem, consensio in talem: nomino talem.* Abb. in c. quia propter. Lavor. loc. cit. n. 80. Sigism. dub. 27. num. 1. neque de substantia est, ut simul exprimat dignitas, ad quam quis eligitur; hoc enim subintelligitur. Lambert. h. a. q. 3. a. 3. & ex eo. Lavor. loc. cit.

Questio 357. Num valeant vota alternativa, seu expressa disjunctiva, ut si quis dicat: eligo Petrum vel Paulum?

Respondeo negativè. Barb. ad c. 2. de elect. in 6. n. 3. Sigism. loc. cit. n. 4. Boër. decis. 1. n. 2. Pass. n. 17. citans plures alios. Idem dicendum, dum votum datur incertum, ut dum quis dicit: *eligo quem Titius, vel major pars elegerit:* Surd. decis. 53. num. 28. Paris. l. 3. cons. 38. n. 40. Utriusque responsi eadem est ratio; quia electio seu votum est voluntaria, & determinata acceptio, quâ eligens ipse suâ voluntate accipit unum præ alio. Pass. n. 17.

Questio 358. Num valeat votum conditionate datum & expressum?

1. **R**espondeo primò: ubi conditio inest actui, vel ex natura, vel ex iure; dum scilicet actus sine ea vel nullus, vel illicitus est, v. g. *eligo, si Pralatura vacat; si electus habeat requisitam à iure astatem;* vota importantia talem conditionem de præterito vel præsentem sunt valida; cum enim tales conditiones determinate fuerint vel sint, votum determinate verum est, & non suspenditur actus, sed si conditio adest, valet; si abest, non valet. Lamb. de iurep. l. 2. q. 3. a. 9. n. 2. Lavor. loc. cit. n. 64. Sigism. loc. cit. n. 8. Pass. loc. cit. n. 20. De votis quoque conditionatis quâcumque conditione, etsi ea de iure non inest actui (ut si dicatur: *eligo Titium, si novit Geometriam*) de præterito vel præsentem, quod valida sint, si aliud non obstat, tenet Pass. n. 21. citans Corasium contra Garc. p. 2. c. 2. n. 9. Sigism. dub. 27. n. 7. Bassæum v. electio. n. 3. eò quod, quia conditiones tales de facto determinatam veritatem habeant, vota similia æquivalent absolutis, & proprie conditionalia non sunt. Quòd si tamen ante confirmationem non possit sciri, quæ pars contradictionis fuerit vera, seu num adsit vel absit conditio, tale votum habendum erit pro inutili. Pass. loc. cit.

2. Respondeo secundò: vota importantia conditionem contingentem de futuro, v. g. dum dicitur: *eligo Titium, si juramentum solitum præstiterit; si beneficium prius dimiserit;* adeoque impendentem, quò minus consensus sit de præsentem determinatus & certus, ut exigitur (consensus enim datus, non nisi dependenter à futuro contingente tempore electionis æquum est, sed fortè erit, & potest non esse) sunt nulla & invalida. Pass. n. 22. contra Garc. n. 10. & tale votum conditionatum & nullum esse illud: *Eligo Titium, si Papa placuerit;* tenent Ripa. l. 2. respons. c. 32. Sigism. n. 12. Pass. loc. cit.

3. Respondeo tertio: Vota importantia conditionem de futuro necessario, vel de facto impossibili, vel de absurdo, non sunt ex hoc irrita; non enim suspendunt tales conditiones actum, & habent se ac si apposita non essent. Pass. loc. cit.

Questio 359. Num valida sint vota importantia electionem ut futuram, v. g. dum dicitur: volo eligere: vel volo consentire?

Respondeo negativè, voluntas enim faciendi quid, non importat perfectionem actus, ut exigitur ad electionem; & voluntas talis eligendi relinquit electionem probabilis esse, & non esse. Sigism. loc. cit. n. 13. Pass. n. 23.

Quaestio 360. Quid igitur faciendum de votis istiusmodi incertis, adeoque invalidis, aut aliter inutiliter datis, quibus v.g. aliquis notorie ineligibleis eligitur?

Respondeo: esse habenda tanquam renunciatio- nes vocis, adeoque subtrahenda à numero eligentium: ut si v.g. decem sint electores, quorum tres talia vota inutilia dederint, de electione iudican- dum sit, ac si septem tantum Electores fuerint, à quorum quatuor si quis nominatus fuerit, is cen- setur electus à maiore parte capitulij ita expressè c. in electionibus. 2. de elect. in 6. Sigism. dub. 28. n. 2. Lavor. loc. cit. n. 60. Pass. n. 24. cum communi. Dum autem similia vota alba seu inutilia numeranda dicuntur, intelligendum id est, quòd numeranda sint in de- creto electionis, sed ut invalida, & non nume- randa pro habendo valore electionis, sed ut rejici- enda de eorum numero, qui validè suffragati sunt. Pass. loc. cit.

Quaestio 361. Num igitur ex hoc, quòd Electo- rum aliquis det votum istiusmodi inutile, idem capere possit emolumentum, quòd alii, ut nimirum hoc ipso jam diminuto suffra- gantium numero, adeoque paucioribus con- stituentibus majorem partem capituli, pau- ciora ad eius electionem requirantur suffra- gias, v.g. ut si dum praeter ipsum essent novem Electores, ipse, qui dedit votum inutile, nomi- naretur ab eorum quinque, jam evaderet electus (cum interim alias, ipso quoque utili- ter votante, ad sui electionem sex votis ege- ret) non secus ac si id contingeret alteri isto- rum novem?

Respondeo nequaquam, si enim hunc fructum haberet suae inobedientiae, ejus votum non fuit- set vanum & inutile, Pass. n. 25. Quinimo talem in tali casu omnino privari voce passiva tenent Jo- And. Anchar. in cit. c. in electionibus. Sigism. loc. cit. n. 4. Verùm neutrum horum, nimirum neque carentiam istiusmodi fructus, neque privationem vocis passiva locum habere in electionibus regularium, in quibus vota eligentium non publicantur, adeoque sciri nequit, qui tale votum inutile dedit, ait Pass. n. 26. Sed neque locum habet in electore, qui sine praesumpta fraude ex ignorantia & simplicitate dat istiusmodi suffragium inutile. Pass. n. 29. Potest quòque qui fraudulenter, & absque justa ignoran- tia tale votum dedit, fructuosè poenitere, & evade- re poenam istam privationis vocis passivae, etiam pro ista electione, in eo nimirum casu, dum ex ista causa dati inutiliter alicujus suffragii, vel ex alia non sequitur publicatio scrutiniij, sed novum in- stituitur, uti etiam, dum illud iteratur, eò quòd in publicatione scrutiniij nullus inveniat electus à maiore ultra medietatem parte vocalium, varian- do tunc nimirum, & dando schedulam utilem, vel etiam in scrutiniò auriculari, in quo nomina eligentium cognoscuntur, & suffragia voce prolata revo- cari possunt, revocando prius suum suffragium, Jo- And. Anchar. Franc. Innoc. in cit. c. in ele- ctionibus. Pass. n. 27. & 28.

*

Quaestio 362. An igitur, quando eò qualiter vota data mutari possint?

1. **R**espondeo primò: mutare potest Elector da- tum à se votum primò in scrutinio auricu- lari, saltè antequam omnium vota sint redacta in scriptum, ita DD. communiter, ut ait Pass. n. 30. Secundò, etiam post integrè confectum scruti- nium auriculare ante ejus publicationem; cum e- nim c. publicato, prohibeatur variatio, rectè à contra- rio arguitur id licere ante publicationem. Abb. in cit. c. publicato, Sigism. dub. 29. n. 4. Biax. p. 3. c. 30. n. 4. Peyr. in subd. q. 1. c. 31. Pass. n. 31. contra Hofst. Anchar. Cuchum de elect. l. 4. n. 241. Mirand. to. 2. q. 23. n. 24. concl. 2. Rodriq. to. 2. q. 52. n. 7. & alios. Excipe ca- sum, in quo duo saltè scrutatores (unus enim solus testis nihil probat) non recordarentur prioris voti à tali dati, tunc enim, etsi adesset justa causa mutan- di, mutatio non permittitur, eò quòd adesse posset fraus, & committi injustitia, dum is, qui vult muta- re, non variaret, sed eundem, quem prius elegerat iterum, adeoque bis eligeret, & uni ex nominatis votum adimeret, fingendo, se illum prius nominàs- se. Pass. n. 31.

2. Respondeo secundò: mutare non potest Ele- ctor in scrutinio, quòd fit per schedas, etiam eo non- dum completo (excepto primo, qui solus potest schedam suam certo revocare, dum statim, ante- quam per immisionem aliarum schedarum con- fundatur, eam ex vase retraheret) ne fraudibus de- tur locus, dum scheda unius confusa cum aliis di- stingui nequeat: credendum etiam non sit dicenti, hanc esse suam schedam. Peyr. loc. cit. Castell. c. 11. n. 23. Donat. p. 3. r. 4. q. 30. n. 2. Pass. n. 33. Potest tamen completo tali scrutinio quilibet mutare votum suum, dum maiore parte capituli petente, vel ad u- nius petitionem in id consentiente, prius scruti- nium ante factam illius publicationem dissolvitur, quòd fieri potest ex quacunq; causa major pars moveatur, absque eò etiam, quòd teneatur eam ma- nifestare. Pass. n. 34.

3. Respondeo tertio: nulli mutare licet post pu- blicationem scrutiniij, sive auriculare illud fuerit, si- ve per schedas. Sic expressè habetur c. publicato. Si- gism. Cast. Donat. Peyr. in cit. Barb. ad cit. c. publicato. cum communi. Tenetque id ipsum etiam in ele- ctionibus validis, in quibus servata non fuit forma c. quia propriè scum in omni electione Electores, fini- to & publicato scrutinio, perfectè functi sint offi- cio suo publico, eis concessio, & delegato à Papa, a- deoque resilire non possunt. Abb. ad c. publicato, n. 4. Pass. n. 37. contra Jo. And. Secus tamen dicendum, ubi Electores jure proprio & privato, quale v. g. habet communitas aliqua secularis, eligunt, posse eos mutare, quamdiu electio ab electo non est acce- ptata. Pass. n. 36. Item dum post publicationem scruti- niij, etiam in electione Canonica, electio apparet nulla, v. g. quòd deprehendatur à maiore parte no- minatis ineligibleis, ante electionem factam nomi- ne totius collegij revocato priore scrutinio, ad aliud procedere possunt, & in eo singuli variare vo- tum suum, argumento c. perpetuo. de elect. in 6. Jo- And. Innoc. Bald. in c. Ecclesia vestra. b. Lavor. c. 19. n. 112. Sigism. dub. 29. n. 6. Quin etiam tunc unus solus poterit resistere futuræ electioni communi, & impedire, ne fiat, contra illam protestando, quæ protestatione neglecta, si deventum fuerit ad ele- ctionem communem, ii, qui protestati fuerunt, non tantum evadunt poenas latas contra malè eligentes, sed

sed & poterunt iterare scrutinium, eoque ritè peracto eligere, ita etiam, ut, si in priori scrutinio erraverint, habeant jus, & possint errorem hunc corrigere, & habere bonum scrutinium, non expectato iudicio confirmatoris; aliis interim, qui ad malam electionem communem progressi jus suum eligendi pro ista vice amittentibus. Pass. n. 39. qui tamen n. 40. citans pro se Abb. Sigism. Lator hoc ipsum sic limitat: ut quando scrutinium publicatum ipso facto non est nullum; sed cassandum tantum, non possint Electores, utpote jam functi officio suo, illud revocare, sed debeant tunc progredi ad electionem communem, & totum iudicium relinquere iudicis seu confirmatoris, aut superioris arbitrio, utpote qui potest electionem talem cassandam confirmare. Idem dic, dum cassanda est electio ob contemptum alicujus; poterit enim tunc contemptus eam ratificare. Idem ait Pass. n. 41. dicendum, quamdium non est certum & notorium, scrutinium habitum & electionem vi illius habendam esse ipso facto nulla.

Questio 363. à quo, & quo ordine, & qualiter ipsorum Scrutatorum vota exquiri debeant?

1. **R**espondeo primò: ad hoc opus non esse, nec debere assumi quartum scrutatorem aut notarium; cum *c. quia propter*. decernens tres assumendos scrutatores de hoc nihil habeat; habeat autem praxis, ut scrutatores se invicem scrutentur. Barb. ad *c. cum*. n. 23. *ibid.* Host. Abb. Innoc. Butrio. Mirand. *to. 2. q. 21. a. 29* Biax. *p. 3. c. 26. n. 8.* Pass. *cit. c. 18. n. 47.* citans plures alios.

2. Respondeo secundò: in scrutinio per schedas complicatas, utpote in quo nec electorum nomina cognoscuntur, nec schedæ aperiuntur, nisi illis omnibus receptis, & permixtis, parum interesse, num primò vel ultimò conjiciant schedas in urnam; in scrutinio verò auriculari utile valde est & conveniens (non tamen etiam post Trident. necessarium, ut bene ostendit Basl. n. 50. contra Sigism. Samuel. Lator. ut scrutatores prius se ipsos scrutentur, & dent vota, ne dum jam consciis aliorum votorum, ex hoc dirigant sua vota, & sic pro arbitrio suo sæpe concludant, vel non concludant electionem. Quamvis autem per se malum non sit, & inutile aut damnosum electioni, sed sæpe valde utile, dirigere Electores aliquos ex notitia voti aliorum ad ferendum votum suum, possintque ex hoc concludere electionem (cum per hoc quòd Elector videat, jam à collega esse electum digniorem, ab eligendo minùs digno dimoveatur, vel etiam concludere possit electionem magis digni aliàs non concludendam pro hoc: quin & in electione Papæ detur locus accessui, dum postquam collegium jam confectum, Titium nominatum esse in scrutinio, possunt Electores singuli, relicto priore voto suo, ad illum accedere) quia tamen facilius contingere potest, ut ex hac scientia in scrutatoribus oriatur timor aliquis præjudicans libertati, aut motivum inducens ad electionem minùs digni (v. g. & præsertim, ubi innouit jam votum dignioris habentisque primam vocem in capitulo, qui sæpe potens est, & caput unius factionis, malèque tractare solet eos, qui sibi non adherent in electionibus) adeò que potius timendum hoc malum, quam sperandum illud bonum, hinc inquam consultius est, ut scrutatores primo scrutentur se ipsos. Host. *in sum de elect. §. qualiter faciendæ*. Biax. *p. 3. q. 26. n. 6.* Pass. *n. 45. & 52. & c.*

ac specialiter ob datam rationem non scrutentur ante se talem digniorem. Pass. n. 51. contra Cuch. Rodriq. Biax.

Questio 364. An, & qualiter vota data voce, vel etiam per schedas, nimirum postquam Electores omnes schedas suas dederunt, redigenda sint in scriptum?

1. **R**espondeo ad primum affirmative, estque hæc scriptura de substantia electionis, ut patet ex *c. quia propter*. *ibid.* Innoc. Imol. Abb. & c. Pass. n. 66. citans Tamb. Suar. Bass. & c. qualiter tamen non sit de essentia omnis electionis, Pass. n. 68. videndum monet apud Rotam *decis. 289. n. 30. parte 6. & 244. n. 4. p. 8. recent.*

2. Respondeo ad secundum; scribenda esse vota ab ipsis scrutatoribus ex mente textus *c. quia propter*. Pass. n. 67. Et quia facilius unus potest errare, ab omnibus tribus scribenda sunt. Pass. Prius tamen numerandæ sunt schedæ, & earum numerus conferendus cum numero vocalium, ita ut, si non sint hi numeri æquales, schedæ sint comburendæ, & habendum novum scrutinium; iis verò existentibus in æquali numero cum Electoribus, singulatim ab omnibus scrutatoribus sunt legendæ, & sic describendæ. Pass. n. 63. Porro in casu, quo in scrutinio per schedas scripturæ hæc scrutatorum non conveniant inter se, schedæ iterum accuratè legendæ, & verus numerus colligendus: in scrutinio verò auriculari, dum duo conveniunt in scriptura, ei standum est, si omnes dissentiant, & convenire nequeant, iterandum est scrutinium. Pass. n. 67.

Queres 365. An, ubi pauciores sunt Electores quam quatuor, servari possit forma c. quia propter. quoad danda & recipienda vota; & si non sint, quid faciendum in eo casu?

Respondeo præter ea, quæ passim hac de re dicta sunt in antecedentibus,

1. Primò, tunc servari non posse formam; quia tunc iidem sunt scrutatores & collegium, adeò que nequit esse manifesta scrutatoribus, quin hoc ipso sit manifesta toti collegio; imò, ut bene Pass. *cit. c. 18. n. 69.* verè ibi non sunt scrutatores, sed totum collegium sua vota recipit & scrutatur.

2. Secundò, si potestas Capituli redacta est ad unum solum Electorem, opus non est nominatione & electione distinctis; sed poterit is nomine totius capituli eodem actu nominare, eligere, & publicare electionem, dicendo coram testibus (& majoris securitatis gratià adhibito insuper Notario) *vice Collegii eligo Titium*. Cuchus *de elect. l. 4. n. 202.* Donat. *tr. 1. q. 17. n. 7.* Pass. n. 70. Si autem & is solus de collegio habeat vocem passivam; cum se ipsum eligere nequeat, non manet locus electioni, sed vel ille tunc censetur electus à jure, ita ut opus tantum sit, electionem istam factam à jure confirmari à confirmatore, ut Cuch. *loc. cit. n. 3.* vel confirmator ipse dare illum debet in Prælarum Ecclesia, ut Sigism. *lib. 23. n. 8.* ubi eligendus debet esse de Collegio; Superior enim, dum ad eum devolvitur electio, alium promovere nequit, quam habentem requisitas in eligendo per Electores qualitates. Pass. *num. 70.* Quòd si autem adesset voce passivà privati, quos Superior (ubi id posset) habilitaret denuò ad vocem passivam, non jam ipse Superior, sed is, penes quem solum remaneret jus eligendi, unum ex iis nominare posset. Pass. n. 71.

Ter-

3. Tertio, si duo tantum sunt Electores, nec hi habere teneantur, aut possunt scrutiniis leges, sed possunt publice inter se eligere, Tuscus *lit. E. concl. 71. & 78.* LAVOR. *c. 19. n. 58.* Pass. *n. 72.* si enim eligere possunt aliquem extra Collegium, si enim non, scrutinium semper erit inutile; cum quisque eorum legeret alterius schedam, & sciret electionem illius non minus ac si voce facta esset. Porro ubi extraneum eligere non possunt, poterit fieri electio valida. Peyr. *to. 3. c. 13. n. 19.* ubi nimirum unus ex illis renunciat voci suae activae, & sic ab altero nominatur, Pass. *loc. cit. Sigism. dub. 23. n. 5.* Samuel *de elect. tr. 1. d. 3. contr. 8. n. 7.* ubi tamen speciali statuto vel consuetudine statutum, ut quis nequeat vi renunciationis vocis suae evadere electus, devolvitur tunc in dicto casu electio ad Superiorem, qui tamen non nisi unum ex istis duobus promovere poterit. Navar. *de elect. cons. 6. n. 4.* Sigism. & Pass. *loc. cit.*

4. Quarto: si tres tantum sunt Electores, nec hi servare possunt leges scrutiniis, dum extraneum eligere nequeant, quocumque enim modo fiat, vota eligentium toti capitulo erunt manifesta, ut bene ostendit Pass. *n. 73.* contra Sigism. *loc. cit. n. 2.* Idem est in scrutinio auriculari, etsi extraneum eligere possint, ut patet, tunc tamen in scrutinio per schedas (ubi forte ad illud ex speciali statuto teneantur, cum ex vi *c. quia propter.* aut Concilii Trident. ad istum scrutiniis modum non teneantur. Pass. *n. 74.* forma dicti capitis servari potest, ac debet; licet enim & tunc, nisi Electores in scribendo ordinarium suum scribendi stylium seu characterem valde mutant, vel manu aliena scribant schedas suas, impedire nequeant, quin singuli aliis duobus, adeo que toti Capitulo innotescant; quia tamen sic sua nomina occultare possunt; nihilominus tenebuntur ad leges scrutiniis. Pass. *loc. cit. LAVOR. c. 19. n. 59.*

Questio 366. Qualiter terminetur & compleatur Scrutinium?

Respondeo: per hoc, quod scrutatoribus vel omnibus eligentibus auditis, & omnium schedis lectis, vota omnium scripto adnotarint, distincteque scripserint, à quor. unusquisque Electorum nominatus fuerit,

PARAGRAPHVS X.

De publicatione Scrutinii, & Electione communi.

Questio 367. Quid faciendum post completum scrutinium?

Respondeo: illud mox publicandum. *c. quia propter.* Ita ut mox importet exigua moram temporis, vel potius, quod publicatio fieri debeat in continente, nullo actu extraneo interveniente. *gl. inc. quia propter. ibid. Barb. n. 25. LAVOR. loc. cit. n. 82. Miran. to. 2. q. 23. a. 29. Pass. c. 19. n. 2.* De cetero ubi mora illa à jure vel consuetudine (cui aliam standum) determinata non est, verificanda ista dictio mox ad arbitrium iudicis, habito respectu ad circumstantias, LAVOR. *loc. cit. Tusch. l. d. concl. 311. Sigism. d. 36. n. 4.*

Quest. 368. Cui, à quò, qualiter, & quâ necessitate faciendâ hæc publicatio?

1. Respondeo ad Primum: Capitulo congregato; id enim intelligitur per verba illa *cap. quia propter.* vota redacta in scriptis mox publicentur in communi, & c. Sylv. *v. electio 2. n. 9.* ex Archid. Perinde autem est, an ibi tunc etiam simul adfint extranei. Pass. *n. 4.*

2. Respondeo ad secundum: ab uno Scrutatorum Suar. *to. 4. de relig. tr. 8. l. 2. c. 5. num. 15.* cum communi, illo nimirum, qui est inter illos primus, vel qui ex illis à Capitulo ad hoc electus, vel per statuta particularia, aut consuetudinem deputatus fuerit. Pass. *loc. cit.*

3. Respondeo ad Tertium: dicendo v. g. habemus Praelatum: nam cum essemus decem, Titius habuit sex vota, Cajus duo, Sempronius unum, & unum votum fuit album, vel incertum & inutile; sic enim vota determinate describi & distribui debent, ut capitulum sciat, qualiter ad electionem procedere possit. Abb. Pass. & alii passim cum communi.

4. Respondeo ad quartum: publicationem Scrutinii factam in communi esse de substantia & forma electionis. Abb. Host. Jo. And. *ad c. quia propter.* Miran. Suar. LAVOR. *loc. cit. Pass. n. 3.* & apud illum Castel, Donat. Tamb. & c.

Questio 369. An, non obstantibus verbis istis c. quia propter: Vota mox publicentur, nullo prorsus appellationis obstaculo interjecto: possit appellari à scrutinii publicatione?

1. Respondeo primo: antequam, vel etiam postquam vota redacta sunt in scriptum, usque ad illud momentum, quo publicandum scrutinium, locum habet appellatio, & suspendit; dum nimirum volenti intra hoc tempus mutare suum votum, id denegatur, potest is potestari contra istam denegationem, & à futura publicatione scrutiniis appellare, si fiat eo non permisso mutare votum suum. Similiter si Scrutatores ante completum Scrutinium (quale est dum vota finaliter redacta in scriptum, nullo apparente, qui mutare velit votum) vellent illud publicare, merito Electores contradicerent, & à tali publicatione appellarent; & huic appellationi citatus textus non est contrarius; supponit enim Scrutinium finitum, quo finito, vi dicti textus non licet appellare à publicatione Scrutinii, & facta forte appellatio est rejicienda. Pass. *num. 5. Biax. p. 2. c. 29. n. 1.*

2. Respondeo secundo: post publicatum Scrutinium, si Scrutatores omnes, vel etiam duo eorum, concordent in Scriptura; quacunque appellatio contra Scripturam rejicienda, & ad electionem communem procedendum. Pass. *n. 6.* ubi etiam mœnet, nullatenus publicandum Scrutinium dubium, ita etiam, ut si Scrutatores discordes (intelligens omnes) publicent scrutinium, illud tanquam nullum sit iterandum. Adeoque Scrutatores discordantes in scriptura, priusquam publicent scrutinium inter se convenire debere, ut concordent, saltem duo illorum, iterum legendo & conferendo schedas, vel si scrutinium fuit auriculare, revocando ad scrutinium unum vel alterum, de quorum votis forte est dissidium; quod si est implicite nullatenus publicando nominatos in scrutinio; debere illos illud curare iterari.

Questio 370. Qualis collatio, quæ ex causa, à quo, & qualiter habenda, intelligatur per verba illa textus c. quia propter: ut is collatione habitâ eligatur?

Respondeo primò: intelligi collationem numeri votorum, quæ nominatus habuit, ad numerum Electorum, seu eorum, qui in ista electione votum habuerunt. Abb. in c. Ecclesia, n. 3. Barb. n. 27. non habendo rationem illorum, qui à loco electionis recesserunt. Abb. loc. cit. nec eorum, qui dederunt vota alternativa, incerta, aut inutilia. c. in electionibus, h. r. vel schedam albam, quæ est voti renuntiatio, Pass. num. 11. E contra habendo rationem non vocatorum contemptorum juxta dicta in antecedentibus. Pass. loc. cit.

2. Respondeo ad secundum; fieri hanc collationem, ut procedi possit ad electionem communem, Pass. n. 15. dum nimirum instituitur, ut videatur, an numerus ille votorum alicui suffragantium sit æqualis numero eligentium (qualis erit si quis ab omnibus fuerit nominatus) vel habet se ad hunc ut pars major ad minorem, uti se habebit; si quis electus fuerit à pluribus, seu majori parte Electorum; quorum alterutrum, nimirum ut quis nominatus sit, vel ab omnibus, vel saltè à majori parte supra medietatem totius numeri eligentium, necessariò requiritur ad hoc, ut quis sit, & censetur electus. c. Ecclesia vestra, de election. ibi Abb. n. 1. Barb. n. 5. idem in c. cumana, n. 1. ad c. quia propter, n. 27. Tamb. d. 5. q. 6. n. 20. Suar. cit. l. 2. c. 5. n. 22. Pass. n. 10. ubi etiã ait, specialiter in ordine Dominicanorum, si electus est de numero eligentium, requiritur, ut duobus votis excedat medietatem votorum eligentium. Porro censetur quoque ille nominatus à majori parte capituli, qui etiam dimidiã solùm voce excedit medietatem votorum, v. g. Qui, dum vocales sunt novem, nominatus est à quinque. Abb. in c. cumana, h. r. n. 9. ibi. Butrio, n. 15. Sigism. dub. 36. n. 8. Pass. cit. c. 19. n. 18. ubi etiam ait, in suo Ordine, ubi de cæterò, ut paulò ante dictum, requiruntur duo supra medietatem vota, sufficere, dum novem sunt Electores, ut nominatus quis sit à sex, cum tamen numerus senarius medietatem numeri novenarii non excedat, nisi uno & dimidio voto. Quod si autem habitâ hac collatione, nullus inveniatur nominatus à majori parte capituli, repetendum est scrutinium toties, quoties opus fuerit, ut aliquis à majori parte nominatus fuerit: Et si intra terminum juris Electores in majori parte non conveniant in uno, electio devolvitur ad Superiorem, argumento c. cum terra, h. r. Abb. ad c. Ecclesia, 57. h. r. n. 13. ex Jo. And. Pass. n. 18. contra gl. ad c. Ecclesia. & Barb. ad idem c. n. 8. ex Tiracq. censentes, quòd, si post secundum scrutinium iterum Electores in eligendo sint pares in omnibus, posse Superiorem gratificari uni parti Electorum, cui vo-
luerit.

3. Respondeo ad tertium & quartum: hanc collationem faciendam ab eo, cui capitulum commiserit. Abb. vel cui commissa à lege vel consuetudine. De cæterò in electionibus habendis juxta decretum Trident. vel etiam, ubi ad electionem non requiritur, nisi quòd electus sit nominatus à majori parte capituli, & major pars Capituli semper præsumi debeat sanior, sine alia inquisitione & collatione, non fit nisi hæc collatio numeri ad numerum, & ea non distinguitur à publicatione scrutini. pertinere ea ad illam scrutatorem, cujus est publicatio scrutini. Pass. n. 12. qui eam facit dicendo, v. g. habemus scrutinium completum, vel etiam electio-

nem; cum enim sinus triginta, viginti nominarunt Titium, sex Cajum, quatuor Sempronium, &c.

4. Respondeo denique: dictam collationem absolute esse de substantia, & semper fieri debere, etiam si electio sit unanimis. Barb. ad c. quia propter, n. 27. Pass. n. 8. ubi addit, collationem illam, quæ fieri potest inter nominatos in scrutinio, ut appareat, quis eorum à majori parte nominatus sit, non esse de substantia electionis, nisi in casu, in quo plures nominati sunt.

Questio 371. Num præterea opus sit collatione meriti unius partis eligentium ad meritum alterius partis eligentium, zeli ad zelum?

Respondeo primò, opus non esse istâ collatione, dum quis eligitur ab omnibus. Sylv. n. Electio. Castell. c. 12. n. 11.

2. Respondeo secundo: similiter eã opus non esse, ubi ad electionem non requiritur, nisi ut electus quis sit à majori parte Capituli, cum major pars præsumi semper debeat sanior. Pass. n. 17.

3. Respondeo tertio: fieri etiam non posse in istis electionibus, in quibus nomina eligentium publicari non possunt. Pass. n. 7. qui & n. 8. addit, quòd licet juxta jus antiquum in Ordine suo scrutinium auriculare esset in usu, & in publicatione scrutini publicarentur nomina eligentium, adhuc tamen non fuisse solitum fieri, nisi collationem numeri ad numerum.

4. Respondeo quarto: in electionibus habitis per scrutinium auriculare, ubi in publicatione illius juxta morem antiquum publicantur quoq; nomina eligentium, istam formam collationis meritorum ad merita præmittendam electioni communi, ait Pass. n. 8. & 16. & antiquus eum, qui collatione faciebat publicando Electorum alicui faventium nomina, simul capitulo proposuisse eorum merita vel demerita, bonam vel malam intentionem in eligendo, ita tamen, ut putet non allata, nisi quæ notoria, & quæ, si mala, salvâ caritate & justitiâ publicè in capitulo dici poterant, quamvis & hoc ipsum obnoxium esset gravibus rixis & inimicitiis.

5. Respondeo quinto; dum plures electi conferendi sunt ad invicem, & videndum, quis eorum à majori & saniori parte electus, spectabit id ad confirmatorem; quia hujus est judicare de meritis electi, si electio eger confirmationem; vel ad illum Superiorem, ad quem haberi potest recursus, si aliquid contra idoneitatem electi objiciendum venit. Suar. l. 2. c. 5. n. 19. Tamb. cit. d. 5. c. 6. n. 15. vide Pass. n. 12.

6. Respondeo denique, dum plures simul nominati sunt à majori supra medietatem parte Capituli (possunt enim quandoque plures eligi unâ electione) non spectare ad Capitulum, conferre eorum merita ad invicem; tenerur enim illud tunc omnes eligere (intellige electione communi) & præsentare confirmatori, & licet hic attendere debeat ad istorum electorum merita, eaque inter se conferre, poterit nihilominus quemcumque ex his electis confirmare, etiam non attentâ inæqualitate suffragiorum; cum omnes sint electi à toto Capitulo, quotquot nominati sunt à majori supra medietatem parte. Pass. n. 13. quem vide.

* *

Quæ

Questio 372. Quenam electio comprehendatur his verbis c. quia propter: collatione habitâ eligatur, in quem omnes, vel major, & sanior pars capituli consenserit?

Respondeo: non intelligitur electio illa, quæ fit, dum Electores in scrutinio dant votum suum, quæ vulgariter solum dicitur electio, & est potius quid viabile, ut ait Pass. *cit. c. 19. n. 20.* imperfectum, & preparatorium ad electionem, per quod explicatur desiderium, & votum Electorum, & per quod non datur jus electo: sed actus ille solennis, per quem, completo & publicato scrutinio, seu electione illâ quasi privatâ, collegium, ac si esset una persona sententialiter, definitivè, & irrevocabiliter eligit Prælatum, eique jus confert, Suar. *loc. cit. n. 24.* Tamb. *loc. cit. n. 17.* Pass. *loc. cit.*

Questio 373. Quanta sit necessitas huius electionis?

Respondeo: tanta, ut si omittatur, electio sit nulla, & nominatus in scrutinio nequeat confirmari. *c. quia propter. c. in Genesi.* Suar. *l. cit. Biax. p. 3. c. 34. n. 2.* Tamb. *de jure Abb. cit. d. 5. q. 6. n. 7.* Sigism. *dub. 37. n. 1.* Pass. *n. 29.* Cum enim electio sit actus collegii, nunquam est, nisi fiat à Collegio ut à Collegio, hoc est, ab una persona legali representante totum collegium; in scrutinio namque electores nominant, & eligunt, ut singuli. Pass. *ibid.*

Questio 374. De quo habendus hic actus?

Respondeo: habendum esse, & haberi non posse, nisi de illo, vel illis (ubi plures eliguntur, ut ex illis unum seligat confirmator) qui vel à toto capitulo, vel à majore & saniore capituli parte in scrutinio nominati sunt, ita ut nunquam minor pars, etiam si sit sanissima & prudentissima, sufficiat; cum textus requirat copulativè majorem & saniorè partem; & quidè primo loco majorem. Abb. *ad c. quia propter. n. 7. ibid.* Barb. *n. 27.* Biax. *de elect. p. 3. c. 35. n. 2.* Menoch. *de presump. l. 6. presump. 5. n. 4.* Mirand. *to. 2. q. 23. a. 17.* Suar. *loc. cit. n. 22.* Pass. *n. 21.* Modò autem in electionibus, ubi nomina eligentium publicari non possunt, adeoque ignoretur, quæ pars sit sanior, vel minus sana, solus numerus major attenditur, & sic semper habetur sanior, nisi forte persona electa sit indigna. Sigism. *de Bon. de Elect. dub. 38. n. 8.* Lavor. *tit. 4. c. 19. n. 8.* Tamb. *to. 1. d. 5. q. 6. n. 21.* Barb. *cit. n. 27.* Suar. *n. 23.* Pass. *loc. cit.* Estque id ipsum specialiter insuper concessum Ordinibus aliquibus religiosis, aut ab iis specialiter statutum, adeoque in iis locum non habet questio illa de parte saniore, de quo vide Pass. *loc. cit.* Neque contrarium evincitur ex eo, quòd Gregorius IX. ut habetur *c. Ecclesia vestra. h. t.* ex duabus electionibus, quarum una constabat votis 14. altera 16, cassaverit hanc, eò quòd facta licet à majore parte, non tamen à saniore; non enim hoc ipso confirmavit alteram constantem votis 14. uti malè supponit & infert gl. hoc namque in textu non habetur. Pass. *loc. cit.* Unde, dum in tali casu, dum dignoscitur (nimirum ubi nomina eligentium publicantur) quòd minor pars in qualitate sanioris quamvis multum excedat majorem, hæc in numero modicè excedat minorem, neutrius electionem confirmandam docet Suar. *loc. cit. c. 5. n. 2.* idem approbat Pass. *loc. cit.*

Questio 375. A quo habendus hic actus?

Respondeo: solennem hanc electionem faciendam à toto capitulo, hoc est, ab uno, qui totum capitulum in hoc actu representet. *c. sicut cum. h. t. in 6.* Hunc autem deputandum à Capitulo, docent aliqui cum Sigism. *dub. 38. n. 5.* alii cum Suar. *loc. cit. n. 24.* pertinere hoc ad Præsidentem: alii cum Abb. *in c. quia propter. n. 11.* & gl. *in cit. c. sicut cum.* sufficere ad hoc quemlibet de Capitulo hoc assumentem, Capitulo non contradicente imò; posse id facere extraneum nomine Capituli, tenent Biax. *p. 3. c. 33. n. 3.* Cuch. *de elect. n. 270.* Rodriq. *to. 2. q. 52. a. 14.* Verùm omne Collegium habere in hoc suam legem vel consuetudinem, determinantem illum, qui hoc agat, Pass. *n. 25.* ait.

Questio 376. Quâ formâ faciendâ hæc electio?

1. **R**espondeo primò: faciendâ est ore & clarâ voce, nec sufficit factum aliud (nisi forte in electionibus, in quibus servanda non est forma. *c. quia propter.* Biax. *p. 3. c. 36. n. 2.* ex Abb.) quo in communi manifestetur eligentium consensus; ubi enim verba sunt de substantia (uti sunt in præsentè *c. quia propter.* & *c. Ecclesia vestra. h. t.*) non æquivalent iis facta. Abb. *in cit. c. Ecclesia. n. 3.* Biax. *loc. cit.* Cuch. *l. 4. n. 276.*

2. Secundò fieri debet ab uno loquente in persona singulari, & propria dicendo: Ego Titius vice, seu nomine præsentium Electorum eligo Cajum. Abb. *in c. in Genesi. n. 7.* & *in c. quia propter. n. 2.* Biax. *c. 19. num. 6.* Tusc. *l. E. concl. 75. n. 8.* Sigism. *dub. 38. n. 2.* Pass. *n. 25.* Quòd enim sit ab uno nomine plurium, & ut representante unitatem plurium in uno Collegio per modum decreti & sententiæ, melius exprimitur in singulari; cum unus sit, qui facit, & in quo residet facultas capituli. Pass. *loc. cit.* modòque hic loquendi servandus absque differentia, sive electus quis fuerit unanimiter ab omnibus, sive à majore parte tantum; sive ipse faciens hanc communem electionem illum, sive alium elegerit in scrutinio; quòd enim sit à majore parte capituli, censetur factum à toto capitulo; & jura volunt, ut nominatus à majore parte capituli à capitulo eligatur. Pass. *n. 27.* Non tamen videretur hic loquendi modus in singulari esse de substantia Electionis, ita ut si ille, qui nomine communi eligit, dicat: *nos eligimus,* electio sit nulla; ex una enim parte jura nullibi decernunt, ut electionem illam communem faciens loquatur in singulari; ex altera parte non repugnat, quòd plurium consensus & Collegii voluntas exprimat in plurali. Bald. *in c. in Genesi. n. 7.* Pass. *n. 26.* qui nihilominus servandam ait consuetudinem, ut electio communis fiat per verbum *eligo* in singulari numero.

Questio 377. Quando fieri debeat communis hæc electio?

Respondeo: statim post publicationem scrutini & collationem factam. *c. cum post. h. t.* & in continenti, ita ut Capitulum non divertatur ad actus extraneos. Abb. *in cit. c. cum post. n. 2.* Biax. *p. 3. c. 33. n. 18.* Cuch. *l. 4. n. 271.* Sigism. *dub. 37. n. 3.* Pass. *n. 30.* qui interpositam tunc cantationem nullâ de Spiritu Sancto incongruam quidem dicit; eò quòd electio illa communis de jure faciendâ necessariò est in personam illius, qui nominatus est à majore parte in scrutinio, non tamen vitiaturum electionem; multò minus hanc vitiabit mora impensa in tra-

tractanda concordia inter electores, ut minor pars accedat ad majorem, quod fieri potest. *Biax. c. 34. n. 2.* De cetero, quanta mora vitiet electionem, pertinebit ad æquum judicem arbitrari. *Pass. loc. cit.* Porro, tunc dilatione electionis æquo longiore eandem irritandam, ita ut si post talem moram ea sequatur, nulla sit, ubi hæc dilatio facta ex ignorantia vel negligentia & ignavia eligentium; ait *Pass. n. 31.* citans *Gemin. in cap. si confirmationem, h. r. in c. n. 4.* Abb. Jo. And. *in c. publicato.* Tolosan. *de elect. c. 17. n. 17. &c.* ubi verò facta hæc dilatio ob justam causam, vel etiam ex malitia & dolo in fraudem electi, compellendi sunt electores (nimirum à confirmatore; eo ipso enim, quòd spectet ad eum confirmare, spectant etiam ad eum præambula ad confirmationem, eorumque cognitio. *Abb. loc. cit. Biax. c. 34. n. 4. Pass. n. 32.*) ad eam faciendam, & valebit ea tunc secuta post tale decretum Superioris. Potuit ipse quoque nominatus in scrutinio (absque omni etiam nota ambitionis. *Biax. & Pass. loc. cit.*) implorare ad hoc officium dicti confirmatoris, ut is compellat electores ad electionem communem faciendam & publicandam; ad hoc enim jus habet, quo nullius dolo aut malitiâ privari potest, etsi ad ipsam confirmationem jus plenum non habeat. *c. publicato. Pass. n. 31.*

Quæstio 378. Num igitur ommissio, dilatio, vel quisunque defectus electionis communis reddens illam irritam, irritet etiam omnia antecedentia, ita ut scrutinium ritè habitum & validum per hoc quoque invalideatur, & de novo repetendum?

R Espond. affirmativè *Abb. in c. publicato. n. 9. Cuch. l. 4. n. 246. Sigism. dub. 38. n. 7. Pass. cir. c. 19. n. 33.* contra *Innoc. Archid. &c.* falsò supponentes, ex scrutinio publicato nasci nominato jus ad confirmationem; dum enim valor actûs aut negotii in indivisibilitate formæ consistit (uti contingit in negotio electionis) hæc vel tota inest, aut nihil de ea est, adeoque totum corrumpit, & nihil in eo est validum, & sic nullitas actûs posterioris, qui est de forma & substantia electionis, omnes actus præcedentes reddit nullos & iterandos. *AA. iidem.*

Quæstio 379. An, & qualiter electio communis publicanda?

1. **R** Espondeo ad primum affirmativè. *c. quia propter.*

2. Respondeo ad secundum: per actum distinctum ab actu, quo ea fit coram Capitulo; hæc enim publicatio electionis communis est illa, de qua loquitur *c. quia propter*; proinde opus est aliâ, per quam ea publicetur populo, vel Conventui toti, *Pass. n. 34.* Potest nihilominus uno eodemque actu fieri hæc communis electio, & simul publicari hæc posteriore publicatione propriè dictâ; dum nimirum electio communis fit publicè coram populo, vel Conventu toto ad hoc convocato, *Sigism. d. 38. n. 9. Pass. loc. cit.*

Quæstio 380. Num igitur, si distincta illa solennis publicatio electionis faciendâ coram populo extra Capitulum, omittatur, vitietur, & irritetur electio?

1. **R** Espondeo primò: si omittatur in fraudem & odium electi, non vitiare electionem; jura

enim non favent fraudibus, æquumque est, ut innocens electus non patiatur ex eo, quòd in odium illius aliqua solennitas electionis malitiosè omittatur. *Hofst. Abb. Castell. &c.* quos citat sequiturque *Pass. n. 35.*

2. Respondeo secundò absolute, præscindendo etiam à tali odio & fraude, per occultationem electionis communis (etsi ea sit contra justitiam, utpote contra jus, quòd habet populus seu universitas, de cujus Prælato agitur, habendi ab ipsis electoribus notitiam illius, ut possit contra electum excipere apud confirmatorem. *Pass. n. 37.*) non vitiant electionem. *Abb. in c. quia propter. Biax. p. 3. c. 37. n. 4. Sigism. d. 38. n. 9.* & alii docentes, eam non esse de substantia electionis (qualis foret, si electio non fiat collegialiter, si scrutinium non publicetur primò coram Capitulo, sed in occulto reveletur aliquibus tantum; Si electio communis non fiat publicè coram toto Capitulo &c.) Estque adhuc ex eo simpliciter publica, quòd publicè in Capitulo facta & publicata. *Pass. loc. cit.*

3. Respondeo tertio: sed neque propterea satisfanda est electio, etiam ad instantiam populi; cum non sit de forma, sed accidentarium quid, consequens ad electionem ritè factam. *Pass. ibid.*

4. Respondeo quartò; peccatè tamèn graviter electores dictam publicationem sine justa causa omittendo; tum quia, ut dictû, sit contra justitiam; tum quia eam præcipit *Concil. Lateran. cit. c. quia propter. Pass. ibid.* citans *Abb. Hofst. Jo. And. &c.* hinc corrigendi electores ob eam omisam, eaque non publicatâ publicanda ab electoribus, vel à confirmatore. *Pass. ibid.*

Quæstio 381. Num ipse quoque ordo actuum, qui sunt partes electionis, prout expressus in c. quia propter, nimirum, ut prius assumantur scrutatores, dein fiat scrutinium, & hoc publicetur, ac demique collatione factâ, fiat electio communis, sit de substantia electionis, ita ut hæc sit nulla, si ordo hic non servetur, sed præponatur actus, qui loco posteriore faciendus exprimitur?

R Espond. affirmativè *Abb. in cap. quia propter, n. 16. Biax. p. 3. c. 38. n. 1. Donat. tr. 1. q. 18. n. 23. Pass. n. 38.*

PARAGRAPHVS XI.

De Electi consensu, & instrumento, seu scriptura Electionis.

Quæstio 382. Num Electores teneantur postulare consensum nominati à majore parte Capituli?

R Espondeo affirmativè, quantum est de jure communi. *c. cupientes, h. r. in c.* quamvis hunc canonem non nisi in electionibus ad Ecclesias Cathedrales & Regulares locum habere dicant *Gl. ibid. v. electiones.* & *Franc. n. 2. Pass. cap. 20. n. 1.* Dixi jure communi; nam ex statuto speciali, vel consuetudine quorundam Ordinum (ut de Dominicis testatur *Pass. n. 10.*) est, quòd electi etiam si prætens sit, consensus non requiratur, eò quòd

Reli.

Religiosus, ut dicitur, non habeat in hoc velle, aut nolle.

Questio 383. Num Electores consensum nominati in scrutinio ante factam electionem communem, etiam post publicationem scrutinii, inquirere, & nominatus eum prestare possint?

R Espondeo negativè. Quin & si id fiat, electionem ipso jure esse nullam. Abb. Innoc. Butr. in c. cum post. h. r. ibid. Barb. n. 2. Lamb. de jure p. 1. 1. p. 1. q. 9. a. 13. n. 2. Tamb. de jure Abb. tom. 1. d. 5. q. 22. n. 4. Sigism. d. 39. n. 1. Peyr. in subd. q. 1. c. 37. pass. v. electio. n. 12. Pass. loc. cit. n. 3. Porro cassandæ in dicto casu electionis ratio non est ambitio nominati, ut volunt Barb. & Sylv. (etsi enim ambitiosum præsumatur & sit, consentire propria electioni ante publicationem scrutinii, seu antequam constet, Electores sibi suffragatos esse; non est tamen ambitiosum aliquem postquam ei aperto scrutinio constat, se à majore parte nominatum, adeoque judicatum idoneum Prælaturæ, consentire electioni suæ; cum talis jam non consentiat, nisi vocatus à DEO & fratribus. Abb. in c. cum jure. h. r. Pass. n. 5.) sed quia id ipsum est contra formam cap. quia propter. utpote quod præcipiendo, ut habita collatione, mox nominatus à majore parte eligatur, ventat, ullo actu interposito (qualis est tam inquisitio consensûs facta ab electoribus, quam consensûs præstitus à nominato) collationem & electionem communem interrumpi, & differri. Abb. in c. cum post. petram. n. 4. Miran. tom. 2. q. 23. a. 29. Sigism. loc. cit. n. 3. Pass. loc. cit. Unde sequitur, etiam si nominatus requisitus non consentiat, ex eo solum electionem esse nullam, quod prius electores exquisiverint consensum nominati. Argumento c. cum post. ubi nulla fit mentio præstiti à nominato consensûs, sed solum consensûs requisiti, & cassatur ibi electio ob inordinatum in ea servatum processum, consistente hac inordinatione in eo, quod non fuerit servatum in ea ordo statutus in c. quia propter, ut nimirum sine actu intermedio mox post collationem fiat electio. Pass. n. 7. contra Sigism. dub. 39. n. 4. Tamen igitur quandoque sit utile, ante electionem explorare consensum eligendi (intellige per requisitionem privatam non factam à Capitulo) ne in vanum fiat electio communis (qualiter intelligendus est Abb. in cit. c. cum post. & alii DD.) non licet tamen id facere velut ex officio & per publicam requisitionem Capituli, divertendo per actum istum intermedium ab electione; cum immediatè ad eam est procedendum. Pass. loc. cit.

Questio 384. Quando nam igitur, & qualiter (ubi consensus hic requirendus est) electores teneantur illum requirere?

R Espondeo: intra octo dies à completa electione communi. cit. c. cupientes, & ibi DD. communiter. Si tamen hoc commodè facere possunt, de quo judicare erit judicis. Barb. ad cit. c. cupientes, n. 10. Pass. n. 11. Qui in præsentem est confirmator, etiam si is non sit ordinarius Superior, sed delegatus. Abb. in c. publicato.

2. Octo diebus illis elapsis, si Electores omiserint consensum illum exquirere, præsumuntur id fecisse ex dolo vel negligentia culpabili, Barb. loc. cit. puniuntur autem penâ duplici, exclusionem nimirum à prosecutione processûs, & suspensione

P. Leuten. Fori Benef. Tom. II.

per tres annos continuos, ab omnibus beneficiis, quæ habent in ea Ecclesia, pro qua fit electio. Barba. loc. cit. Tamb. de jure Abb. tom. 1. d. 5. q. 7. n. 50. Mirand. tom. 2. q. 23. a. 10. Pass. n. 12. Porro lapsus temporis inducit præsumptionem culpæ contra omnes, unde nullus liberabitur à dicta pœna, nisi qui probaverit se innocentem ab ista negligentia. Gl. v. culpabiles. Pass. n. 14. Quin etiâ negligentia missi ad præsentandum electionem electo redundat in mitiores, nempe Electores, si miserunt talem, qui non videbatur diligens. Gl. cit. & Gemin. in cit. c. cupientes. n. 5. Pass. n. 15.

Questio 385. An sufficit Electores præsentare electionem Procuratori generali ipsius Electi?

R Espondeo negativè, nisi ubi Electus ipse infra tempus ratam habeat præsentationem; sufficit tamen, si præsentarint illam Procuratori ad hoc specialiter instituto.

Questio 386. Qualiter Electus prestare debeat consensum suum, ne vitietur electio?

R Espondeo primò: si ante electionem communem requiratur ejus consensûs, ita se gerere debet, ut non exprimat determinatè consensum suum in electionem; quamvis necesse non sit dicere: Nolo eligi; sed sufficiat dicere, v. g. Obsequar voluntati DEI, & Superiorum: opto me esse dignum, ut eligar. &c. Abb. ad c. cum post. n. 5. Biach. p. 3. c. 42. n. 3. Sigism. dub. 39. n. 5. Pass. n. 16.

2. Respondeo secundò: dum post electionem requiritur consensûs, statim determinatè consentire poterit, etsi honestum, ut id non nisi cum matura deliberatione faciat. Quod si autem ex honestate & urbanitate dicat, se nolle consentire, non per hoc censendus est renunciare. Abb. Pass. II. cit. Rota decis. 636. recent. imò postquam semel verè dissentit, potest murare voluntatem, & electionem acceptare, electoribus persistentibus in priorè voluntate. Sigism. & Pass. II. cit. Sanch. de matrim. l. 5. d. 32. n. 2. Moner. de commut. ult. vol. c. 8. n. 845. uti etiam renunciatione subsistente, & admittà potest renunciare reeligi, Paris. de resignat. l. 15. q. 1. n. 24. Pass. n. 25.

Questio 387. Num electus sine licentia Superioris possit ante confirmationem renunciare electioni in manibus eligentium?

R Espondeo: id eum posse, etiam postquam consensit electioni, re adhuc integrâ, hoc est, antequam confirmator receperit instrumentum seu decretum electionis missum ad confirmatorem; posseque tunc Electores alium eligere, nullâ aliâ licentiâ vel decreto confirmatoris expectato. Abb. in c. quia propter. n. 5. Sigism. loc. cit. n. 8. Paris. de resignat. l. 1. q. 1. n. 78. Pass. n. 17. citans plures alios. Re verò non amplius integrâ, eò quod decretum dictum & negotium jam delatum ad confirmatorem, si electus renunciet, non possunt Electores absque confirmatoris licentiâ procedere ad novam electionem. AA. iidem. Verùmque id est sive aliquid opponatur electioni, quod eam vitiet, sive non. Pass. n. 18. contra Sigism.

loc. cit. n. 10.

* *

N 3

Qua-

Questio 388. Num idem teneat in Religiosis?

Respondeo affirmative, nisi obster speciale statutum; potest enim quilibet renunciare juri suo, nisi oppositum sit illi injunctum à Superiore suo. Pass. n. 19. tantumque Religiosus non habet velle vel nolle contra vel ultra voluntatem Superioris; ubi autem contrarium non constat, Superior præsumitur velle, quod volunt jura, ac se conformare cum eorum dispositione. Gonz. ad reg. 8. cancell. Gl. 4. n. 166. Adeoque ad hoc, ut Religiosus electioni intra Monasterium possit renunciare, sufficit, quod Superior id facere non vetet. Suar. tom. 4. d. 46. c. 1. n. 12. Sigism. loc. cit. n. 14.

Questio 389. Intra quantum tempus Electus consentire debeat electioni?

Respondeo: intra mensem à die electionis sibi præsentata, quo elapso, si non consenserit, amittit jus quæsitum ex electione, & vacat Prælatura. Barb. ad c. quàm sit. h. t. in 6. n. 3. Gonz. loc. cit. gl. 15. n. 50. Castel. c. 14. n. 40. Pass. n. 23. Quod tamen locum non habet, ubi Electus consentire nequit absque licentia Superioris; necesse enim est tunc, electum vel Electores quam citius hanc licentiam petere, determinandumque est tempus licentiæ hujus obtinendæ arbitrio judicis, spectatâ distantia loci, in quo moratur Superior. Et si in congruo tempore non obtineatur licentia, vacat Ecclesia, possuntque Electores alium eligere. Pass. loc. cit. Porro competit Electo adhuc integer mensis ab obrenta licentia ad consentiendum. Biax. p. 3. c. 24. Peyr. tom. 3. c. 9. n. 21. Pass. loc. cit. citans Boër.

Questio 390. Quid sit decretum seu instrumentum Electionis?

Respondeo: esse scripturam continentem ab initio ad finem totam electionis seriem; seu esse scripturam dispositionem & ordinationem totius electionis principaliter consistentis in eo actu, quo unus Electorum per modum decernentis, desinientis, & sententialiter eligentis nominatum in scrutinio à majore parte Capituli nomine ejusdem eligit. Gl. in c. innotuit. v. decreto. ibid. Abb. n. 13. Hanc scripturam in suo Ordine ait Pass. c. 21. n. 1. dici scrutinium, quia continet totum ordinem scrutini.

Questio 391. Num hoc decretum scriptum sit de substantia Electionis?

Respondeo negativè; tamen enim de substantia Electionis sit, ut ipsa innotescat confirmatori, quantum opus est, ut de ea judicet, & illam aut confirmare, vel cassare valeat; per accidens tamen est, quod confirmator accipiat hanc notitiam per scripturam potius quàm per relationem oretenus factam à testibus, scrutatoribus, vel Electoribus, facientibus fidem de processu electionis. Barb. ad c. innotuit. n. 17. ibid. Abb. n. 16. Host. Imol. Castel. c. 12. n. 25. & 30. Sigism. dub. 41. n. 2. Pass. n. 2. cum communi contra Gl. in c. innotuit. Sed neque necesse est, ut simul cum decreto electionis mittantur ad confirmatorem personæ aliqua ex iis, quæ electioni interfuerunt, ut Superior per eas de persona electi, forma electionis, & studiis eligentium informetur: etsi enim id fundamentum habere videretur in c. cupientes; rectius tamen dicitur, id solum innui ob majorem cautelam,

Abb. ad cit. c. innotuit. n. 14. Quin & in cit. textu non esse sermonem, nisi de electionibus confirmandis à summo Pontifice. Pass. n. 3.

Questio 392. A quibus necesse sit scriptum esse hoc decretum?

Respondeo primò: in electionibus non regularium ordinarium quidem esse, non tamen necessarium, ut omnes Electores subscribant, hæc v. g. formâ: Ego Titius Canonicus S. Petri interfui huic electioni, consensi, & propria manu subscripsi: docet Innoc. in c. innotuit. h. t. n. 3. contra Sigism. loc. cit. n. 7. & Lavor. c. 19. n. 102. apud Pass. n. 4. docentes, id esse necessarium.

2. Respondeo secundò: ut hoc decretum plenam fidem faciat, præscindendo à speciali statuto vel consuetudine, non est necessarium, ut sit scriptum à Notario publico coram testibus; uti vult Sigism. dub. 4. n. 9. ita etiam, ut hi interfuerint procellui electionis, omniâque in eo acta viderint; sed sufficit, scriptum esse à Scrutatoribus, ubi hi à lege assumuntur, & deputantur ut Tabelliones ad describendum processum electionis; sunt enim hoc ipso personæ publicæ, scribes ex officio, adeoque ex hac auctoritate publica plenam fidem facientes, absque eo etiam, quod opus tunc sit testibus; majorem enim fidem merentur tres personæ ex publico officio Scribentes, quàm unus Notarius & duo testes; quin & hoc ipso Scrutatores Argumento c. cum dilectus, habent officium testium; siquidem & Notarii testes sunt, sed publici, Cast. de elect. c. 1. n. 30. Pass. n. 6. & 7. qui tamen etiam n. 9. addit, in eo casu nimirum, dum Scrutatores ex lege conscribunt decretum electionis; necessarium esse, ut apponatur Sigillum Collegii vel Conventus; dum autem Notarius alius publicus conscripsit hoc decretum, & apposuit Sigillum sui Tabellionatus, opus non esse, ut insuper apponatur Sigillum Collegii.

3. Respondeo tertio in genere; ut instrumentum electionis plenam fidem faciat, debere esse confectum juxta leges cujusunque Collegii, auctoritate apostolicâ approbatas; ita ut, ubi ex lege, aut stylo assumendus est Tabellio, hoc servandum sit; ubi autem Scrutatores ipsi hoc munere funguntur, per eos, & non per alium Notarium confici debere instrumentum hoc, Pass. n. 11. de cætero assumi quoque potest in Notarium laicum, Abb. in c. innotuit. n. 15.

PARAGRAPHVS XII.

De Electione per compromissum, & communem inspirationem.

Questio 393. Num Electio per compromissum sit licita?

Respondeo primò negativè quoad Regulares; pro his enim hic modus eligendi reprobat per Trident. sess. 25. de Regul. c. 6. Pass. c. 22. n. 2.

2. Respondeo secundò: quoad Clericos alios affirmative; pro his enim approbatur hæc forma eligendi in c. quia propter. his verbis: Vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur (nimirum

mirum ab Electoribus) qui vice omnium Ecclesie viduata proficiant de Pastore &c. melius autem committitur hæc potestas aliquibus in numero impari. c. in causis. c. cum dilectus. c. cum in iure. h. r. Potest etiam committi uni. Abb. in c. in causis. n. 2. Butrio in c. cum dilectus. n. 2. quin & melius committitur uni. Pass. n. 3. Qui etiam esse potest non Prælatus; etiam ipse confirmator. Pass. loc. cit. Etiam mas respectu monialium. c. causam. h. r. Pass. n. 3. Poterit quoque Capitulum aliquos eligere, per quos eligantur compromissarii, electuri vice Capituli. Laym. l. 4. tr. 2. c. 12. n. 6. Sigifm. dub. 20. n. 2. Miran. tom. 2. q. 23. a. 34. Pass. loc. cit. Porro dum tres electi seu constituti compromissarii sub hac verborum forma: dantes eis, & cuilibet eorum, potestatem eligendi &c. illorum quilibet censetur institutus in solidum, Gemin. ad c. cum expediat. h. r. in 6. n. 7. primoque electus ab uno illorum est confirmandus. Gemin. loc. cit. Pass. n. 4.

Questio 394. An Compromissarii debeant esse Clerici, & de Capitulo?

1. **R**espondeo ad primum affirmative, Gl. in c. quia propter.

2. Respondeo ad secundum negative. c. causam. h. r. ibidem. Abb. & Butrio, Biac. p. 3. c. 17. Sigifm. loc. cit. n. 1. Pass. n. 3.

Questio 395. Quotuplex sit compromissum?

Respondeo duplex: aliud absolutum, dum Electores absolute & sine limitatione compromittunt in aliquos, ut eligant, quem voluerint. c. in causis. c. causam. h. r. Aliud limitatum, quo compromittitur limitate, ut, scilicet compromissarii, auditis omnibus vocalibus, eligant illum, in quem major pars Electorum convenerit, de hoc compromisso sermo est in c. cum dilectus. c. si cui, & cap. cum expediat. h. r. nullumque est hoc compromissum, ut decernitur c. si cui. Dum electores facultatem dant Compromissariis eligendi illum, qui fuerit à pluribus Electorum, non tamen constituentibus maiorem partem Capituli nominatus. Laym. de Elect. q. 87. Pass. n. 5. Porro hoc compromissum limitatum est forma quadam electionis mixta, nimirum ex scrutinio & compromisso, etsi principaliter dicatur forma compromissi. Gl. in c. cum expediat. v. exquisitis. Gemin. ibid. n. 7. Adeoque electores in nominando compromissarii illo, quem eligi volunt, accuratè servare debent leges scrutini statutas cap. quia propter. Pass. n. 7. (non tamen ipsa nominatio compromissariorum subiecta est scrutini legibus, sed potest fieri viva voce, ubi id specialiter prohibetur non est, vel per fabas aliòve modo. Pass. n. 18.) erit enim aliàs forma eligendi distincta ab illis tribus statutis in c. quia propter. adeoque reprobata & nulla, juxta cap. si cui. Unde, si compromissarii unum de Collegio ab omnibus nominatum elegerunt, non exquisito illius voto, & hic electus consensit electioni, electio erit nulla, quia de ratione scrutini est, ut vota omnium Electorum inquirantur. Pass. n. 10. Item nulla est electio, si compromittant Electores, ut determinatè eligatur talis; talis enim nominatur extra scrutinium, quod non valet; secus tamen est, dum à se nominatum in scrutinio determinatè compromittunt eligendum. Item nulla est electio, si statuatur compromissarii, limitando eis electionem, ita v. g. ut eligant unum ex tribus, quos tres de Capitalo

nominabunt, quia hæc est forma non expressa in c. quia propter. omnis autem forma ibi non expressa est nulla. c. si cui. Econtra autem si dictæ leges scrutini serventur, non tam erit forma distincta ab illis tribus, quam integrata ex earum duabus & minime contraria illis species. Gemin. in c. cum expediat. h. r. in 6. Pass. n. 7. Qui etiam n. 15. & 16. rectè observat, in hoc compromisso limitato non committi nisi electionem communem, vel ad summum publicationem scrutini, & collationem, siquidem nominare in scrutinio eligendum sibi servant Electores, & compromissario non conceditur facultas, nisi eligendi nominatum à maiore & saniore parte; distingui nihilominus adhuc à forma scrutini pura per hoc, quod in electione per scrutinium is, cui committitur electio communis eligat vice presentium electorum, in dicto autem compromisso eligat vice propria, & aliorum compromissariorum; si eorum sint plures, cum facultas talis electionis à Capitulo transferatur in compromissarios, Unde etiam licet, ubi in forma scrutini pura à lege determinatus est, qui faciat electionem communem, non possit ea committi alteri, possit tamen per viam compromissi deferri alteri, dum compromissum non est quoque prohibitum. Observandum etiam quod ad hoc compromissum limitatum, quod ubi singulorum electorum vota exquiri debent per ipsos compromissarios, plures necessario constitui debent, & tot, quot ex jure necessarii sunt scrutatores: nam tunc hi compromissarii sunt ipsi Scrutatores electionis; Si verò compromittitur sola electio illius, qui ex scrutinio factò ab aliis & publicato inventus fuerit nominatus à maiore & saniore parte, unus solus constitui possit compromissarius, quin &, ut Pass. n. 17. ad hunc effectum ineptè statuuntur plures. Observandum denique in hoc compromisso non habere locum accessum, adeoque à Compromissario eligi non poteritis, qui cum in scrutinio nominatus non esset à maiore parte, tot tamen post scrutinium ad eum accedunt, ut jam evadat nominatus à maiore parte; cum vota data extra scrutinium non valeant. Vide de hoc Pass. n. 9.

Questio 396. Num valeat compromissum aliquo Electorum contradicente?

1. **R**espondeo primò: negative de compromisso absoluto; nullus enim tenetur cedere jure suo; quilibet autem electorum habet jus eligendi. Abb. in cap. scriptum. h. r. n. 3. & in c. in causis. n. 30. Franc. & Butrio in cap. quia propter. Biac. p. 3. c. 18. n. 1. Lamb. de jure p. 1. 2. p. 2. q. 2. a. 17. Sigifm. dub. 10. n. 31. Pass. n. 19.

2. Resp. secundò: de compromisso limitato sufficere, quod in electione compromissariorum consentiat major pars; cum in isto modo electionis nulli fiat injuria, dum unusquisque nominare potest personam, quam vult, & compromissarii nequeant eligere, nisi nominatum à maiore parte Capituli. Gemin. & Franc. in c. cum expediat. & plures alii, quos citat Pass. & sequitur n. 20.

Questio 397. Quæ sint substantialia electionis per compromissum?

1. **R**espondeo primò in genere, ea omnino necessaria esse, quæ necessaria sunt ad electionem in genere; quod enim est necessarium generi, necessarium etiam est speciei. Pass. n. 21.

N 4

2. Re.

2. Respondeo secundò in specie, necessarium esse Primò, ut compromissum in genere compromissi sit validum. Secundò, ut compromissarii non excedant formam compromissi, & potestatis sibi commissæ. Tertiò, ut electio communis fiat ab eorum uno, dum plures sunt. *cap. sicut. h. t. in c. idque per verba numeri singularis, sicut & in electione per scrutinium. Pass. n. 22.* Quartò, ut in decreto electionis unus ex compromissariis dicat: *Ego Titius vice mea & sociorum compromissariorum* (si sunt plures) *virtute compromissi eligo Cajum.* *Pass. n. 24.* Quintò ut compromissarii non eligantur, nisi collegialiter unitis presentibus scilicet, qui debent, volunt, & possunt commodè interesse. *Pass. loc. cit.* Sextò, ut eligantur compromissarii (subintellige in compromisso absoluto) ab omnibus, nemine electorum contradicente. *Pass. n. 22.*

Quæstio 398. *An Electores possint revocare commissionem datam Compromissariis?*

Respondeo: id eos posse, re adhuc integrâ; *secus re non amplius integrâ. Sigism. c. in causis, ibid. Abb. n. 11. Barb. n. 4. Mirand. r. 2. q. 23. a. 34. concl. 3. Sigism. dub. 20. n. 7. Pass. n. 25. cum communi contra Gl. in c. in causis. tum autem res in præsentem materiam adhuc est integrâ, cum compromissarii nondum attigerunt substantialia negotii, nimirum dum necdum ceperunt tractare de persona eligenda, licet inceperint actus quosdam alios, qui tantum sunt de solennitate, v. g. cantare missam de Spiritu sancto. Barb. Sigism. ll. cit. Pass. n. 26.* Porro etiam re adhuc integrâ revocari non potest data potestas compromissariorum, nisi à majore parte Capituli. *Abb. in c. in causis. n. 16. Felin. in c. de major. & obed. Sigism. l. cit. Pass. n. 27.* remanente semper apud minorem partem facultate rationabiliter opponendi contra defectus compromissariorum. *Pass. loc. cit.* qui tamen etiam præcisè ob infamiam puri facti rejici non poterunt; cum hæc infamia non vitiet electionem. *Sigism. loc. cit. n. 11. Pass. n. 28.* Sed neque re adhuc integrâ, etiam à majore parte revocari potest compromissum, dum data est compromissariis facultas ista gratiâ & favore ipsorum, nimirum ut electores illos hac ratione honorent (in dubio autem non censetur illis hoc modo donata hæc potestas. *Lavor. c. 19. n. 23*) habet se enim tunc hæc collatio per modum donationis irrevocabilis. *Abb. & Gl. in cap. in causis. Biax. p. 3. c. 19. n. 2. Pass. num. 30.*

2. De cetero, ut potestas hæc re integrâ adimatur compromissariis, requiritur revocatio expressa, intimata compromissariis. *Abb. in c. in causis. Biax. loc. cit. n. 3. Pass. n. 31.* nec sufficit revocatio tacita, nisi in hoc casu, dum Capitulum re adhuc integrâ prius eligeret, quàm compromissarii inceperint tractare de electione; cum re integrâ potestas adhuc remaneat apud Capitulum; unde dum illud tunc eligendo utitur potestate suâ, locum non habet electio subsecuta compromissariorum, licet hi electionem à Capitulo factam ignorassent. *Biax. & Pass. ll. cit.*

Quæstio 399. *An compromissum sit validum, si compromissarii eligantur à Superioribus, vel ab uno aliquo Capitulari, reliquis tacentibus, & non repugnantibus?*

Respondeo negativè: in rebus enim arduis magna que importantia debent omnes singulatim

interrogari, & expressè consentire, & in re onerosâ & gravi taciturnitas non habetur pro consensu. *Abb. in c. in causis. n. 3. Biax. p. 2. c. 19. n. 2. Lambert. loc. cit. a. 17. Sigism. dub. 22. n. 1. Pass. n. 32.* Verùmque idipsum est, etiam si singuli de Capitulo vocarentur, sed non daretur eis intervallum, in quo nedum possent respondere, sed commodè & prudenter deliberare & contradicere; quia taciturnitas post responsionem non statim habetur pro consensu. *Innoc. in c. cum in cunctis. h. t. Gonz. ad reg. 8. cancell. gl. 46. n. 40. Sigism. dub. 22. n. 4. Pass. n. 35.* citans quamplurimos alios. Neque obstat, quòd ubi in Capitulo tractatur aliquid illicitum & damnabile, qui sunt in Capitulo, teneantur illud expressè contradicere; nam hoc ad summum verum est, quantum ad vitandam culpam: sed nec hæc incurritur, aut tacens haberi potest pro consentiente, dum Capitularis tacet, quia videt se loquendo nihil profecturum, vel à numero sufficiente vocalium negotium illicitum jam esse conclusum. *Abb. in c. in causis. Pass. n. 37. citans Biax.*

Quæstio 400. *An ubi unus solus est compromissarius, is possit se ipsum eligere?*

Respond. negativè. *Gl. in c. cum in iure. h. t. Pass. n. 38.* cum communi. Verùmque idipsum est, etiam si compromissarius jurasset se electurum digniorem, & ipse esset evidenter melior; censetur enim adhuc ambitiosus, & hinc repellendus. *c. in Scripturis. 8. q. 1. Pass. n. 39.* neque ipse cadit sub isto juramento, sed intelligitur exceptus, *Pass. ibi.* quia in generali sermone loquens non comprehenditur *c. petrio. de jurepar. Gl. in c. cum in iure.*

Quæstio 401. *Num ubi compromissarii sunt plures, possint eligere unum ex suis, seu ex seipsis?*

Respondeo primò: si compromissum sub hac forma, ut compromissariorum unus possit eligi, valebit ista electio. *c. cum in iure. h. t.* Imò sufficit, quòd sit electus à medietate aliorum compromissariorum, & ipse consentiat electioni; consentiendo namque augebit numerum suffragiorum, ita ut jam evadat Electus à majore parte supra medietatem. *cit. c. cum in iure.* Verùm intelligendum hoc de electione, in qua servanda non est forma *cap. quia propter.* nam tunc, si electio fiat per vota publica, is qui se videt electum à medietate eligentium, potest suo consensu augere numerum, absque eo, quòd ex hoc ambitiosus censetur; si autem fiat per vota secreta, poterit adhuc publicatis votis, mutato voto suo, consentiendo suæ nominationi, accedere ad medietatem, & sic augere numerum. *Sylv. v. Electio. n. 20. Pass. n. 42.*

2. Respondeo secundò: si forma compromissi est exclusiva, nimirum ut nullus compromissariorum eligatur, non valebit talis electio. *Pass. n. 43.*

3. Respondeo tertio: si compromittendo nec expressè datur facultas eligendi unum ex compromissariis, nec illa facultas expressè adimitur, valere adhuc talem electionem. *Lavor. cap. 19. n. 36. Pass. n. 43. citans Abb. Archid. Innoc. Hoff. contra Sylv. Tancred. &c.*

Quæstio 402. *Num. si major pars compromissariorum eligat se inter indignum, minor vero pars vel etiam unus solus dignum, valeat*

valeat huius minoris partis electio; an vero cesset compromissum, & electio redeat ad Electores?

Respondeo: non valere tunc electionem, eamque tunc redire ad Capitulum, Sylv. v. electio. q. 2. n. 25. Lavor, de elect. c. 21. n. 51. Pass. n. 46. contra Abb. in c. cum in iure. n. 7. Tabienam, v. electio. q. 2. n. 6. & alios censentes in isto casu maiore parte compromissariorum privatam voce (nam & hi eligentes scienter indignum privantur potestate eligendi. c. si compromissarius. h. t. in 6. electionem factam à minore parte dici posse factam ab omnibus, neque delictum maioris partis debere nocere minori parti, ita ut potestas data redeat ad Capitulum; Verum ratio responsionis est, quod cum electores ideo elegerint tres v. g. compromissarios, quia noluerunt ligari ad unum, seu considerere iudicio unius solius, electio digni facta ab uno non est secundum formam compromissi; adeoque etiam isti uni, vel minori parti non fit iniuria, quia jam non admittitur illi, quod ei datum fuerat; quippe non compromiserunt electores stare illius solius iudicio. Pass. l. cit.

2. Porro redire quoque potestatem eligendi ad Capitulum, dum compromissarii ignoranter elegerunt indignum, tenet Sylv. loc. cit. Barb. & c. ad c. si compromissarius. n. 2. Cuch. l. 4. c. 38. & quod hinc infert Pass. n. 47. in genere; quotiescumque electio facta à compromissariis, est ipso iure nulla, si eam potestatem Capitulum non ratificet; reditque ea iterum ad Capitulum, & potest hoc iterum eligere, non expectato confirmatoris iudicio; si tamen necdum exspiraverit tempus datum electoribus ad eligendum. Pass. loc. cit. si enim compromissarii non eligant intra tempus statutum, electio devolvitur ad Superiorem. c. si compromissarius. h. t. in 6. Lavor, loc. cit. Pass. n. 48. Ad hac compromissarii eligentes indignum puniuntur suspensione per triennium ab omnibus beneficiis, quae obtinent in ecclesia, quam eligendo indignum offenderunt, quae tamen poenae locum non habet, nisi in electione Episcopi, vel Episcopo Superioris, neque etiam in alia electione, si compromissarius sit Episcopus, cit. c. si compromissarius. h. t. in 6. ibidem Barb. n. 7. Pass. n. 49.

Questio 403. Num si Electus per compromissum, non consentiat electioni, redeat ad Electores?

Respondeo affirmativè. cap. si compromissarius. Cuch. Sigism. Barb. apud Pass. n. 50.

Questio 404. Num compromissarii possint eligere extraneum?

Respondeo: etsi melius sit ceteris paribus eligere de gremio. c. quod sicut. h. t. absolute tamen possunt eligere personam de quocunque loco, si nec à lege aut consuetudine, nec ex forma compromissi (quae lex vel forma aliàs servanda est) sint ligati. Sylv. loc. cit. n. 26. Pass. n. 51.

Questio 405. Num si ipse confirmator sit compromissarius, possit uno eodemque actu eligere, & confirmare?

Respondeo: negat Abb. in c. causam. h. t. n. 6. Jo. And. Butrio. Sylv. eo quod eligere & confirmare conveniat tunc confirmatori ex diverso iure. Affirmat contra Pass. n. 52. eo quod ex di-

stinctis virtutibus possit procedere idem actus, habens ab utroque valorem, & institutio simul sit electio, fiatque frustra per plura, quod potest fieri per pauciora; sic itaque posse Episcopum compromissarium uno actu simul eligere, & instituire, v. g. Abbatissam.

Questio 406. Num Regulares possint compromittere in Superiorem?

Respondeo affirmativè Peyr. tom. 3. c. 3. n. 8. citans Abb. & alios: Respondet negativè Pass. n. 53. eo quod sustineat & probet Regulares vi concilii Trid. non posse eligere per formam compromissi.

Questio 407. Quanam sint de substantia electionis per communem inspirationem?

Respondeo: primò fieri debet ab omnibus electoribus nemine non consentiente in eandem personam. Abb. in c. quia propter. Biax. p. 3. c. 16. n. 3. Pass. c. 23. n. 1. Secundò sine ullo prævio tractatu. AA. iidem. Quamvis non obstat tractatus generalis de persona idonea eligenda; sed neque tractatus particularis de hac vel illa persona eligenda, dum postmodum repente excitati omnes, nullo dissentiente, alium eligunt, de quo nulla fuit facta mentio in praevidente tractatu. Sigism. dub. 2. n. 6. Pass. v. electio. n. 5. Pass. l. cit. Tertio, multòq; magis sine prævio ullius nominatione; dum enim quis proponitur à præsidente vel alio, electio censetur ex inspiratione humana; adeòq; requiritur, ut vel tutatim ab omnibus per verbum *eligo*, vel ab uno aliquo incipiente, què mox omnes subsequantur, fiat. Sigism. Bass. Pass. l. cit. Quarto, quod commune est huic electioni cum aliis, ut ex commissione vel determinatione legis aut Capituli unus vice omnium eligat, & electionem perficiat, iidem AA. l. cit. Biax. p. 3. c. 16. Mirand. tom. 2. q. 23. a. 42.

Questio 408. An sit Electio per communem inspirationem, si unus Elector sit absens & contemptus?

Respondeo negativè Biax. p. 3. c. 16. Butr. in c. quia propter. n. 1. Tusc. lit. E. concl. 74. n. 2. Sigism. dub. 2. n. 6. talis enim absens est de numero eligentium, & si raram habet alterius electionem, praesumitur hoc facere persuasus à facto aliorum, & non ex DEI instinctu. Pass. n. 2.

Questio 409. An sit electio per communem inspirationem, si qui consensit ex primo impulsu motus, dum adhuc potest variare votum, peniteat, & votum revocet?

Respondeo negativè; jam enim non est electio uniformis, seu unanimes. Pass. n. 3. Potèitque id ipsum contingere etiam in scrutinio secreto per schedas, dum nimirum postquam dedit schedam, dicat Capitulo, se non persistere in voto dato, etsi id dicat ante publicationem scrutini, nihil refert, quod sciri non possit, quae fuerit ejus scheda. Pass. n. 16.

* * *

Qua-

Questio 410. Num eligi possit per hanc electionem vocalis præsens electioni?

Respondeo affirmative, dum electio fit publicâ voce, & ipse videns se ab aliis electum consentiat suæ electioni. Pass. n. 5. citans Tabien. v. electio. n. 3. Quin & si repugnet, non quidem tali formæ electionis per quasi inspirationem, sed electioni suæ, non pertinaciter, sed humiliter se excusando, ac tandem acquiescendo. Pass. n. 16. Sed neque, dum electio fit secretò, ex quo præsens acquievit formæ eligendi per inspirationem, obstat valori electionis, quòd electus ab aliis non eligens se ipsum sed

alium, modò postmodum sciens se electum ab aliis, acquiescat. Pass.

Questio 411. An electio per communem inspirationem egeat confirmatione?

Respondeo non, dum constat eam factam inspirante Deo, ut constabat in electione SS. Nicolai, & Ambrosii. Sylv. v. electio. 2. n. 28. Pass. n. 4. Verum de cætero spectat ad Superiores videre, an hic & nunc adsit divina inspiratio. Biax. loc. cit. n. 4. & non debet electus administrare sine Superiorum scientia & permissione. Pass. loc. cit. Verum de hoc pluribus cap. seq.

CAPUT TERTIUM. DE CONFIRMATIONE ELECTIONIS.

PARAGRAPHVS I.

De natura & necessitate confirmationis.

Questio 412. An, & qualiter confirmatio quandoque cum institutione, collatione & ipsa electione confundatur?

Respondeo primò, confirmationem, & institutionem terminos promiscuè sæpè sumi, unumque pro altero poni. Lott. l. 2. q. 1. n. 16. cum gl. in c. hoc tam. 18. q. 2. juxta dicta à nobis sub initium partis hujus 2. Quod ipsum tamen sine imprudentiâ nota minimè licere in foro beneficiâ, ait Lott. loc. cit. n. 17.

2. Respondeo secundò venire quoque quandoque confirmationem nomine collationis, satis à nobis ostensum est alias loc. cit. quin & confundi cum ipsa electione, præsertim, dum & quandoque dicitur habere simul vim confirmationis juxta dicenda quest. seq. De cætero, etiam loquendo propriè, venit confirmatio electi, non secus ac institutio præsentati nomine collationis non libera, seu distincta ab ea collatione independente ab alterius voluntate, quæ propriè nomen collationis sine addito retinet. Lott. loc. cit. n. 8. sic etiam actum confirmationis dici actum electionis perfectissimæ, ait Lott. l. 2. q. 18. n. 41.

Questio 413. An & qualiter confirmatio distinguatur ab electione?

Respondeo: propriè loquendo, sicut institutio correlativum est præsentationis, ita confirmatio electionis. Lott. l. 2. q. 1. n. 23. cum Abb. in c. auctoritate. de institut. n. 5. Estque confirmatio accessorium quoddam ad electionis actum, & ideo ejus naturam sequitur. Lott. l. 2. q. 21. n. 113. citans Gemin. in c. cum in illis. de præb. in 6. §. cum autem. n. 3. Unde & hæc supponit, & ab ea distinguitur, & separatur. Lott. l. 2. q. 21. n. 110. ubi electio: & confirmatio ne-

dum inter se dividi actus reputantur, sed penitus diversi ac separati. Idque non tam in personæ confirmantis diversitate; quàm ex diversitate causæ, nempe ut ipsam electionem perficiat ac consummet. Lott. l. 2. q. 18. n. 39. adeò, ut uno eodemque actu expediri nequeat electio & confirmatio, dum fortè in eadem persona concurrerent amba facultates, nempe eligendi & confirmandi. v. g. dum canonici electuri Episcopum compromitterent in Metropolitanum, qui jam ante ex privilegio sedis apostolicæ haberet potestatem confirmandi Episcopos suffraganeos suos: ita ut dictus Metropolitanus prius eligere seu nominare deberet Episcopum secundum formam compromissi, ac dein eundem confirmare. Laym. in c. cum inter univers. de elect. num. 4. citans Abb. in c. ne pro defectu. de elect. n. 4. gl. & Innoc. in c. cum inter. Sic etiam, si fortè ex indulto apostolico aliòve jure singulari inductum esset, ut electus à Capitulo per idem Capitulum installeretur, jam illum actum installationis habiturum vim confirmationis, per quam præcedens actus electionis perfectissimum sortitur effectum, qui nimirum consumitur in potestate administrandi, ait Lott. l. 2. q. 18. n. 39. ex Oldr. conf. 148. n. 5. Ubi etiam notandum illud, quod ex eodem Oldr. addit Lott. num. 41. nempe quòd, si præter hunc actum (intellige electionis) aliquid aut de jure, aut ex consuetudine fiat, quod implicet jus administrandi, dicitur actus confirmationis, & sic electionis perfectissimæ. Ita etiam in quibusdam locis Abbates & Præpositos non solere aliter confirmari per Episcopos, quàm ut ipsis canonicè electis benedictionem solemnem impendant, in quo casu ista benedictio sit loco confirmationis, ait Laym. in c. cum inter. num. 4. dicens in hoc sensu intelligendum Innoc. in c. 1. de suppl. negl. ubi significat, quòd Abbas ante acceptam ab Episcopo benedictionem non debeat administrare.

2. De cæterò hæc non obstat, quòd dicatur electio quandoque habere vim confirmationis; nempe, dum Capitulum simul eligit & confirmat, nullà alià expectatâ Superioris approbatione. Tond. qq. benef. p. 2. c. 4. §. 6. n. 2. cum Tusch. lit. E. concl. 90. n. 3. siquidem hic actus non tam rationem confirmationis, quàm libera collationis factæ per suffragia plurium repræsentantium totum Capitulum habet; cum

eam neque procedat ab habente superioritatem in eligentes seu potius suffragantes, neque supponat actum ab altero positum, debitum confirmari; quorum tamen utrumque ad confirmationem requiritur, ut patet in *respons. ad quæst. seq.* Unde etiam Tond. *loc. cit. n. 3.* inquit, beneficia alia dici electiva collativa alia electiva confirmativa. Et Lott. *l. 2. q. 18. n. 40.* ex Abb. in *c. publicato. de elect. num. 9.* suffragium & collatio (intellige in hoc casu, dum penes Capitulum est eligere & simul conferre) ordinantur ad actum electionis, ideòque eo subsecuto, non reputantur plures, sed unus actus, in quo consumitur electio.

Quæstio 414. Quid sit, seu qualiter definiatur confirmatio proprie talis, seu prout est correlativum electionis.

Respondeo: tametsi Pass. de *elect. c. 33. n. 1.* dicat, describi confirmationem optimè à gl. in *c. no. sti. de elect. v. confirmata*, dum inquit: per confirmationem acquirit electus plenam administrationem & vinculum conjugale, quod contractum est: minus tamen aptè id pro descriptione admitti potest, ut liquet ex eo, dum vel sic, non tam quid sit, quam potè solum, quid operetur confirmatio, exprimitur. Melius verò describitur, quòd sit approbatio electionis canonica ad prælaturam vel beneficium facta per Superiorem habentem ad id potestatem.

2. Dicitur autem primò, *approbatio*; non quidem merè speculativa, seu nudum iudicium de electione legitime gesta; sed practica, in quantum nimirum approbatione hac gestorum ab Electoribus eorundem desiderio ac voluntati, quæ personam talem cupiunt esse prælatum, aliumve beneficiatum aut officialem, satisfiat, causa cùrque in persona illa electa, ac conferretur titulus canonicus, seu jus ipsum Prælatum vel beneficii, actuque illam & illud administrandi.

3. Dicitur secundò: *facta per Superiorem*. Confirmatio enim cum sit actus jurisdictionis. Lott. *l. 2. q. 18. n. 28.* citans Butrio in *c. 1. de translat. prælator. n. 9.* & Seraph. *decis. 637. n. 1.* supponit subjectionem confirmandi seu electi respectu confirmatoris. Lott. *ibid. n. 27.* citans Holt. in *sum. de elect. n. 27.* Quin & respectu eligentium videtur importare hanc superioritatem & jurisdictionem, secus ac fortè accidit in institutione, quæ, etsi denotet subjectionem præsentati ad institutorem, Lott. *cit. n. 27.* citans *c. decernimus. & ibi notat. a. 16. q. 7.* non tamen necessariò denotat subjectionem præsentantis; cum quandoque præsentator seu patronus esse possit Episcopus, & institutus prælatus aliquis inferior eidem Episcopo subiectus, quamvis & quò ad hunc actum institutionis petendum dici posset talis Episcopus patronus inferior instituentis, & subiectus illi.

4. Dicitur tertio: *electionis canonice*; dicitur enim infra, electionem contra canones, seu non canonicè gestam confirmari non posse.

5. Dicitur quartò: *ad prælaturam vel beneficium*; tam enim in beneficiis inferioribus quam in Episcopatu (idem est de aliis prælaturis) locum habet electio & confirmatio. Lott. *l. 1. q. 15. n. 40.* citans gl. in *Clem. 1. v. de dignitate. de præb. Felin. in c. nostra. de rescript. n. 26. & 27.* Rotam *decis. 1. de præb. in antiq.*

Quæstio 415. Quotplex sit confirmatio?

Respondeo: aliam esse in forma communi, quæ jus aut valorem actui non tribuit, sed supponit,

ideòque approbat actum quatenus de jure validus est, juxta *c. 1. & 2. de confirm. utili vel inutil.* Aliam esse ex certa scientia, dum nimirum Princeps actum approbans seu confirmans, ejus plenam cognitionem se habere significat, & hæc confirmatio jus & valorem tribuit actui, defectu aliàs aliquo laboranti; juxta limitationes tamen paulò infra dandas. Laym. in *c. scut. grave. de transactionib. n. 2.* citans Tabien. *v. confirmatio. in fine.* Tusch. *ead. v. conclus. 17.* Quæ divisio, tametsi sit generica, seu confirmationis respectu cujuscuque actus confirmandi; in specie tamen actui electionis canonice applicari potest, ut patet ex infra dicendis, ubi an electio defectuosa aut aliàs invalida confirmari valeat, & ejus defectus suppleri seu sanari per confirmationem.

Quæstio 416. Virum electus petere teneatur confirmationem?

Respondeo affirmativè. Laym. in *qq. de elect. q. 108.* de quo plura inferius, ubi, intra quod tempus petenda; item ubi, per quem petenda confirmatio.

Quæstio 417. An valeat consuetudo, ut Prælati electus nullam teneatur petere confirmationem?

Respondeo negativè. Laym. in *c. cum venerabilis. de consuetud. n. 2.* citans Jo. Andr. in *cit. c. n. 8. abb. in c. transmissam. n. 3. & in c. qualiter. n. 2. de elect.* Addeque rationem Laym., quia talis consuetudo est contra bonum ordinem Ecclesiasticæ Hierarchiæ, secundum quem inferiores ministri ac Prælati Ecclesiæ à Superioribus dependere, & in sua institutione jus & auctoritatem accipere debent; eò quòd, cum consuetudo sit instar juris ac legis, adeòque rationalis & justa esse debeatur, alioquin nullam ex principum voluntate & constitutionibus assistentiam vigoremque habeat, ac proinde ait, consuetudines, præsertim speciales Ecclesiarum quarundam, si bono universalis Ecclesiæ & jusque fini, quæ est salus animarum, & vita æterna nullà temporis diuturnitate robur acquirere posse, ideòque abolendas: quales sunt, quæ bene constitutum ordinem ac dependentiam tollunt, disciplinam ecclesiasticam enervant, cultum divinum imminuendi, divina negligendi, occasionem vagandi, luxus & otii licentiam clericis præbent. Neque his obstat, quòd quidquid per privilegium, idem per consuetudinem obtineri possit, dum in usucapiente non est incapacitas. Jam verò pluribus religionibus indultum à summis Pontificibus, ut eorum electi Prælati necesse non habeant petere ulteriorem confirmationem, sed mox à legitima sua electione plenam jurisdictionem & administrationem consequantur, de quo plura & expressè *seq.* Nam respondet idem Laym. *loc. cit.* quòd, cum omnis jurisdictio & potestas ecclesiastica in inferioribus Prælatibus non nisi à Papa profluat, possint aliqui capaces reddi dictæ exemptionis à necessitate petendi confirmationem per concessionem Papalem (cum vel sic adhuc dependentia illa & ordo Hierarchicus in Ecclesia non turbetur) non verò per meram consuetudinem.

2. Tradit nihilominus Pirh. *ad tit. de elect. n. 304.* posse per consuetudinem induci, ut electi ad dignitates inferiores, v. g. Decanatum, sine Superioris confirmatione statim post consensum ab iis electioni prælitum jus omne seu plenum acquirant, modò

modò tamen electio concorditer facta fuerit, & talis consuetudo non cedat in damnum Ecclesiæ, ita ut indigni promoveantur.

Questio 418. An igitur omnis electio egeat confirmari, & in specie de hoc quid dicendum de electione Papæ, electione factâ unanimiter, vel per divinam inspirationem?

1. **R**espondeo ad primum: omnis electio propriè talis ad prælaturam inferiorem Papatu eget confirmatione, cum enim electio fiat in ordine ad consequendum jus in beneficio vel prælatura, eamque administrandi tanquam finem ultimum; finis autem hic obtineri nequit sine confirmatione, electio ex natura sua exigit confirmari. Laym. *Th. mor. l. 4. tr. 2. c. 12. q. 1. Azor. p. 2. in stir. mor. l. 6. c. 14. q. 3. Lott. l. 2. q. 27. num. 14.* ubi constituendum ante omnia, eam duntaxat dici electionem, quæ confirmatione Superioris eget; ea autem quæ tali confirmatione non eget, electionem minimè fore. Et *n. 15.* Hinc, si illico secutâ electione supponamus sine aliqua confirmatione jus quæri electo, eam verius collationem dici, tradit Rota *decis. 1. de elect. in an. rig.* Et *n. 20.* fateri ergo oportet, eam tantum dici electionem, cui reciprocatur confirmatio Superioris. Sic quoque ait *l. 2. q. 44. num. 49.* in casu quo electio non spectat confirmationem, resolvitur in simplicem provisionem, ut Rebuff. *in pr. tit. de elect. n. 4.* & dicitur electio æquivoce, ut *gl. in c. cum dilectus §. dictus. v. electio. de consuetud.* Unde etiam, ut idem *Lott. cit. q. 27. n. 16. & 17.* citans Felin. *in c. in nostra. n. 25. de rescrip.* dispositio generalis loquens de beneficiis electivis, v. g. quæ dicit, beneficia electiva speciali notâ digna, non comprehendit beneficia electiva hac electione anomala, seu non egente confirmatione.

2. Respondeo ad secundum: electus legitime in Papam non eget aliâ confirmatione. Barbof. *juris eccles. l. 1. c. 2. n. 112.* citans Campanil. *in divers. juris rubric. Lavor. & c. Laym. ad c. licet. de elect. n. 7.* confirmatio enim fieri debet à Superiore, qualem non habet Papa. Barbof. *loc. cit.* citans Paris. *de resign. l. 7. q. 5. n. 1. & 2.* sed neque potestas illius est ex homine, sed à solo Deo. *c. novit. de judic.* eaque mox à canonica ejus electione ei confertur à Christo. Laym. *loc. cit. & Th. mor. l. 1. tr. 9. c. 6. n. 6.* ubi, quod Papalis potestas ac jurisdicctio non confertur à Cardinalibus per electionem (quomodo enim eam conferrent, quâ ipsi carent; cum nemo potest plus juris transferre in alium, quàm sibi competere dignoscatur. *reg. 79. in 6.*) sed tantum illi designant personam, cui ex vi promissionis institutionisque à Christo factæ Petro ejusque successoribus suprema jurisdicctio confertur. Advertit tamen Laym. *in c. licet. loc. cit.* Pontificem nihilominus post electionem, tempore antecedente consecrationem & coronationem, non appellare se absolute Episcopum in Bullis, sed episcopum electum, & tempus illud intermedium non vocare tempus apostolatûs sui, sed suscepti apostolatûs officii, ut *gl. in reg. juris. super data. v. pontificatus.*

3. Respondeo ad tertium: electio facta unanimi consensu, vel etiam per quasi inspirationem Spiritus S. eget adhuc confirmatione. Donat. *p. 2. tr. 1. q. 13. n. 4. Lott. l. 2. q. 19. n. 57. & 61. 63.* cum Host. *in c. quia propter. de elect. n. 50. & 51. Olir. cons. 115. num. 2.* quos citat. Subjacet enim talis electio adhuc legibus humanis, nempe *c. quia propter. Donat. l. cit. Id.* que propter dubium, ut inquit Hostienf, nempe

an verè sit à DEO. Unde & non nisi præsumptâ inspiratio dicitur hac quasi inspiratio, ut *Lott. cit. n. 63.* Particula etiam illa quasi in natura sua, ut Donat. *loc. cit.* ex Barbof. *de distionib. dist. 261.* impropriè, fictionem & diminutionem sonat.

4. Econtra electio facta per inspirationem nullâ eget ulteriore confirmatione. Barbof. *Juris Eccl. l. 1. c. 9. n. 7. Donat. loc. cit. n. 3. Lott. loc. cit. n. 56. & 57.* ex eodem Host. *loc. cit.* quippe quæ manifestè DEUM, qui est super omnes, nec falli nec fallere potest, habet auctorem; ideoque non eget adminiculo aliquo, ut Host. *loc. cit.* nec legi humana subjacet; quippe quæ spiritu DEI aguntur, humanis legibus non debent, nec possunt subesse; juxta Apost. *ad Galat. 5. & 1. ad Corinth. 3. & can. duo sunt. 19. q. 2.* Donat. *loc. cit. n. 1.* ut constat ex electione S. Ambrosii, S. Nicolai, & c.

5. Verumtamen, quæ dicenda sit electio per inspirationem, & quæ per quasi inspirationem, AA. planè non conveniunt; plures enim, ut Donat. *loc. cit. n. 2. & 3. Sigism. à Bonon. de elect. dub. 2. n. 4. & 5.* hanc ex Host. (quem tamen longè diverfium & secum sensisse ostendit *Lott. n. 50. & 51.* recitatis ejusdem verbis) dant differentiam inter electionem per divinam inspirationem, & electionem per quasi inspirationem; quòd prior sit ea, quæ fit nullo ordine servato, nullòque habito tractatu inter eligentes, dum ii quasi inebriati spiritu, uno ore repente eligunt & proclamant eundem. Posterior illa, quando subitò quidem, aliquo tamen servato ordine inter eligentes unus post alterum sine intervallo unanimiter eligunt eundem. Alii verò, ut *Lott. cit. n. 51. & seq.* citans pro hoc Abb. *n. 3. Bellam. n. 5. Burrio. n. 48. Card. ante n. 1. sub. q. 3.* ac præcipuè *Imol. n. 10. in §. nisi. c. quia propter. de elect.* hanc solam dicunt electionem per inspirationem divinam, quæ habet DEUM auctorem immediatum, & super hoc certum signum aliquod extrinsecum, unde ipsa dicatur certa, quale fuit in inspirata electione S. Ambrosii loquela infantis pronunciantis eum episcopum; in electione S. Nicolai præcedens monitum divinum, ut quem in Ecclesiæ foribus deprehenderent Nicolaum nomine, assumerent in Episcopum; non secus ac in electione Aaronis ejus virga miraculosè floruit: ubi verò electio & inspiratio non est insignita simili miraculo, & deficit tale signum externum, removens illam dubietatem, an sit electio facta à DEO, tanquam illius immediato auctore, quantumcunque alias electio fiat uniformiter, conspirantibus omnibus in unum absque ordine, tractatu & intervallo, per quasi inebriationem (cum hæc omnia adhuc habere possint causam naturalem sui) adhuc non dicatur electio per inspirationem sine addito; sed ad summum electio per quasi inspirationem, utpote in inspiratione hac divinâ non nisi præsumptâ ex isto subitaneo & unanimi consensu (cui ipsi etiam præsumptioni locum non esse, ait *Lott. n. 63.* ubicumque adest vel unius contradictio, etiam si ille postea consentiat) & hinc adhuc dubiâ, adeoque egente confirmatione. *Lott. loc. cit. n. 58.* qui etiam *n. 62.* hæc ipsa diligentissimè observanda monet, ne quandoque prætextu inspiratæ electionis à DEO, omittatur electionis confirmatio.

* *

Questio 419. An, & qualiter confirmatio sit actus necessarius, seu debitus canonice electo?

1. Respondeo: canonicè electum præsentatum, ut confirmetur, tenetur Superior confirmare, dum is est persona habilis, & non est vitium in electione, & in hoc sensu confirmatio est actus necessarius ac debitus. Donat. p. 2. tr. 1. q. 1. n. 11. citans Host. in sum. de postul. pralat. n. 1. & Gl. in c. unic. eod. tit. in 6. Pass. de elect. n. 304. Laym. in qq. de elect. q. 106. Card. de Luca de Regular. d. 13. n. 7. ubi: electo per legitimam benèque conclusam electionem acquiritur jus, adeo, ut Superior, ad quem confirmatio pertinet, sine iusta causa eam denegare non possit, atque in causa denegationis concedatur electo appellatio, vel recursus ad Papam, aliòsve Superiores, Lott. l. 3. q. 17. n. 74. (ubi: confirmatio electo denegari nequit, nisi manifestè appareat de electi indignitate; citat pro hoc Decian. conf. 18. q. 2. l. 4.) & l. 1. q. 27. n. 2. ubi ait, confirmationem esse actum necessitatis, juxta notata per Abb. in c. postquam, de elect. n. 1. ponderantem verbum *impleantur*, conceptum modo imperativo, quo utitur citatus textus: *per confirmationem petentium desideria, si nihil obstat, quod electionem impediatur, impleantur*. Atque ita confirmatio in dicto casu, nimirum electionis & electi non patientis defectum, non est liberalitatis & gratiæ, uti est collatio beneficii, sed necessitatis, juxta commune axioma Juristarum: *Eligere est libertatis, confirmare necessitatis*. Pass. l. cit. num. 58. juncto n. 61. & Justitia. Pass. ibid. Lott. l. 3. q. 17. n. 74. citans Bald. conf. 101. in fine. l. 5. & Rotam apud Gregor. decis. 240. n. 11. Unde, qui confirmat, non donat, sed exercet actum Justitiæ. Lott. l. 2. q. 2. n. 19. citans Anchar. Jo. And. & Imol. Et, qui petit confirmari non petit gratiam, sed Justitiam. Pass. cit. n. 58. Quod ipsum tamen in Ordine Prædicatorum non habere locum, ubi ex speciali ejus statuto non acquiritur jus electo ad prælaturam, constabit ex dicendis paulò post, idque tam respectu electi, quam electorum. Laym. loc. cit. & ex eo Pith. loc. cit. ubi: electum ex officio Superior confirmare tenetur, alioquin injuriam facit tam eligentibus quam electo, posteaquam electionem accepit, ita ut is electionem suam prosequi, & confirmationem tanquam sibi debitam petere possit; quod idem etiam electores facere possunt; cum ipsorum quoque & Ecclesiæ suæ intersit, ut legitimè electus confirmetur.

2. Ampliatur responsio primò, ita ut, citò, Capitulum totum electorum, vel Ecclesia tota eorum, qui tempore electionis erant in Collegio vel Monasterio, perierit, dum alii eorum loco sunt subrogati, adhuc electio sit necessariò confirmanda; quia semper manet Ecclesia, licet individua materialia sint mutata. Pass. loc. cit. n. 57. citans Biax. in divestor. election. p. 3. c. 44. n. 5. Cuch. tit. de confirm. n. 7. Sigism. de Bonon. de elect. dab. 43. n. 5. Samuel. d. 8. contrav. l. n. 1. ubi etiam is idem dicendum putet de electione communi habenda à Capitulo subrogato, si post publicatum scrutinium Capitulum deficeret ante electionem illam communem.

3. Ampliatur secundò, ita ut Superior teneatur confirmare talem electionem non patientem defectum, etiam si regularis electus procuraret favoribus apud Superiorem, ut ejus electio in prælatum confirmetur; neque enim incidit per hoc in poenas constitutas à pontificibus contra mendicantes fa-

vores; eò quòd Bulla illa prohibeant mendicare favores pro obtinendo officio, non verò pro consequenda confirmatione debita electionis ad tale officium. Pass. cit. n. 58. citans Portel. v. officium. n. 41. Bordon. contrav. 31. n. 31. Limitat tamen hoc ipsum Pass. in fine cit. n. 58. nisi confirmatio (uti id contingit in multis casibus apud Regulares) esset liberalitatis; tunc enim non liceret eam procurare favoribus, quin incideret talis in dictas poenas, Econtra

4. Limitanda responsio primò, ita ut princeps seu Papa ex plenitudine potestatis rejicere possit legitimè electum, denegatà ipsi (inrellige de cetero habili) confirmatione, si id gravis cautè seu publica utilitas exigat, ut persona multò dignior & magis idonea promoveatur, ut patet ex Concordatis Germaniæ. §. *Item placet*, ubi Nicolaus V. ait: *Electioes, si canonice fuerint, confirmabimus, nisi ex rationabili & evidente causa de digniore & utiliore persona duxerimus providendum &c.* Laym. Pirh. ll. cit.

5. Limitanda secundò; nisi ex speciali jure & statutis quorundam Ordinum contrarium servetur; quemadmodum, ut testatur de Ordine Prædicatorum Donat. p. 2. tr. 6. q. 16. n. 4. ubi, quòd electus in hoc suo Ordine ex tali electione nihil juris acquirit; quin & quòd, quamvis ab omnibus eligatur Prior alicujus Conventus, in potestate Prælati sit eum confirmare; & quamvis eum non confirmet, non tamen restet tali loci appellandi, vel aliqua causa prosequendi, sive aliquid in foro contentioso repetendi; quia per dictam electionem jus nullum acquisivit. Item Card. de Luca de Regular. d. 13. n. 7. juncto n. 8. ubi, quòd in Ordine Dominicanorum ex speciali ejus instituto ac legibus per electionem jus nullum formatum acquiritur, per quod Generalis cessante iustà causà ex lege Justitiæ dicatur obligatus illum confirmare, sed in ejus libera potestate sit, etiam nullà assignatà causà confirmationem denegare, mandando, ut ad aliam electionem procedatur, seu aliter providendo; ita ut inter electionem & postulationem, quò ad hoc punctum in hac religione nulla dignosci videatur differentia; cum ad instar postulationis electio jus nullum tribuat, neque facultatem appellandi, vel recursum habendi adversus denegatam confirmationem concedat.

6. Verum de hoc ipso fusè agit Passerinus & ipse Dominicanus. cit. c. 33. n. 54. atq; n. 62. quòd neque in hoc suo Ordine per se cassari possit à Provinciali Priori, à Generali Provincialis electio undequaque tam ex parte sua quam electi valida; eò quòd clausula illa: *si bene visum fuerit* quà utitur in hoc puncto confirmationis dicti Ordinis constitutio, non tribuat facultatem omnino liberam, sed arbitrium boni viri, quòd jure communi regulari debet, ut Paris. conf. 8. n. 4. Bartol. in l. fin. §. sed & ff. c. de legat. peregrin. decis. 239. in fine. l. 2. & Roma apud eundem Pass. n. 60. ita ut, si quid commissum ad arbitrium boni viri, is teneatur servare omnes regulas juris communis, ut Menoch. conf. 69. n. 4. & 5. Tusch. lit. A. conclus. 470. n. 2. Barbof. axiom. 32. n. 2. Cravet. conf. 612. n. 11. apud Pass. loc. cit. jus autem commune sit, ut electio ex nulla parte deficiens canonicè confirmetur, cui juri communi derogare non voluerit constitutio illa Ordinis Dominicanorum, neque poterat sine speciali auctoritate Apostolica; sed, ut Pass. n. 63. electio undecunque valida possit per accidens cassari, & non confirmari à Superiore. Idque ex duplici capite, nempe vel ob circumstantias extrinsecas per acci-

dens contingentes, ut dum electus per intrinseca dignissimus veluti ab extrinseco redditur non idoneus ex eo, quod v.g. non sit acceptus Principi vel patrono loci, ubi est conventus, & vel hinc timeantur gravia incommoda aut scandala; in quo casu seu ob quam causam non esse confirmandam electionem, docent Donat. tom. 2. p. 1. rr. 7. q. 9. n. 4. citans Turrecrem. in c. si forte, d. 63. Felin. in c. 2. de rescript. n. 2. Peyr. in subd. tom. 1. q. 1. c. 7. concl. 4. vel propter votum obedientiæ, dum nempe ob bonum commune Religionis, videret prælato conveniens non confirmare electionem aliàs maximè legitimam, & electo ad prælaturam uti vult ad ministerium aliud incompatibile cum ea prælatura; & generaliter ob quamcunque causam, quæ est juxta regulam, ex qua præcipere potest electo, ut electioni & prælaturæ renunciaret, cassare potest electionem quantumcunque validam; adeoque clausula illa: *si ei visum fuerit*: ut habet Pass. n. 64. denotet arbitrium, quod habet confirmator ad decernendum, an condiciones illæ adsint, quæ electionem reddant validam vel invalidam, & vel sic arbitrari, an sit confirmanda nec ne; aut etiam denotet facultatem illam, quam habet ordinandi electionem ad bonum commune; vel denique denotet arbitrium seu potestatem illam, quam habet ex voto obedientiæ subditi talis Superior ad præcipiendum electo, ut non sit prælatus, & vel sic ad non confirmandum illum, & cassandam electionem. Verumtamen nec sic adhuc afferri aliquid, ait Pass. n. 65. quod sit speciale in suo Ordine; cum & alii seu omnes confirmatores possint per accidens cassare electionem aliàs validam, si sit in grave damnum boni communis; & quilibet Prælatus regularis possit ex vi voti obedientiæ in casu, in quo id sit secundum regulam, præcipere subdito, ut non sit prælatus. Sed neque importari quicquam per clausulam illam: *si ei videbitur*. ut ea non sit superflua; cum vel sic per illam nihil magis exprimat, quam si diceretur, quod Superior debeat confirmare; quia id semper & non aliter intelligitur esse verum, quam per se loquendo, & absque præjudicio boni universalis Ecclesiæ, vel Religionis, vel voti obedientiæ.

7. Negat insuper Pass. n. 66. & 67. quod tradit Sanch. l. 2. opus. c. 1. dub. 6. n. 4. citato Salon. 2. 2. q. 63. a. 2. contr. 4. ad quos accedit Donat. tom. 2. p. 1. rr. 7. q. 8. n. 4. (limitans tamen id ipsum cum Lezana. p. 2. c. 12. n. 39. ad casum, in quo constaret evidenter relictum, seu non electum esse digniorem) nempe quod in Ordine Dominicanorum possit Superior cassare electionem digni ex eo, quod videret omissum digniorem, seu non teneatur confirmare electionem digni in concursu dignioris, & sic nedum cassare electionem per accidens ratione alicujus damni emergentis, sed per se ex hoc solum capite, quod sit minus utilis bono communi, & quod possit dari melius, & bono communi utilior electio (quod ipsum est contrarium juri communi præcipienti, non cassari electionem digni, seu non negari confirmationem digno; etiam in hoc casu concurrentiæ cum digniore; Idque in favorem electi, & ne hoc prætextu oriantur multæ lites & contentiones) etiam his non obstante, quod in hoc Ordine, ut admittit Pass. non acquiratur electo jus ad prælaturam, ratione cujus ille agere possit ad sui confirmationem, aut non confirmatus queri de injuria sibi facta; utpote cui favori renunciavit hic Ordo. Consequenter & negat hanc facultatem,

seu arbitrii non confirmandi in hoc casu digni, signari per clausulam illam: *si ei videbitur*; seu ad arbitrium suum: Idque etiam ex hoc capite, quod, dum dicitur arbitrium boni viri regulandum secundum jus, intelligatur id solum de jure naturali (contra quod non faceret ob majus bonum sui Ordinis, negando confirmationem tali electo; utpote per electionem non acquirenti jus, quod laderetur) sed etiam de jure scripto, pro quo quamplurimas citat Rotæ decisiones, & AA. Quapropter ipse Pass. n. 67. concludit ex eo, quod in Ordine Prædicatorum confirmatio est commissæ arbitrio Provincialis, non sequi, quod is possit contra jus commune & doctrinam S. Thomæ & DD. non confirmare electionem digni; esto, quod electio in hoc Ordine electo non conferat jus: sed id solum, quod in confirmatione possit aliquantulum temperare rigorem juris, ubi id ratio & rationabilis causa postulabit, & relicto altero rigoroso, servare æquitatem. Idque ipsum denotetur, & non plus, per dictam clausulam: *si ei videbitur*: vel ad arbitrium, utpote quæ clausula, non obstante, quod arbitrium etiam secundum leges & jus commune regulandum sit, id efficit, quod det facultatem relaxandi aliquid de jure, ut Rota decis. 224. n. 5. decis. 450. n. 1. decis. 578. p. 2. adeoque ex hoc capite adhuc dicta clausula non sit superflua. Verum id ipsum, nempe in quo puncto relaxandi rigorem facultatem habeat talis Superior, non explicat Pass.

Quæstio 420. Quid faciendum, ubi is, qui habet confirmare, non vult confirmare?

1. R Espondeo primò: si denegat injustè confirmationem, recurrendum est ad Superiorem confirmatoris, qui potest ac debet eum compellere, præfigendo illi tempus, intra quod confirmet; vel aliter ipse Superior jure ad eum devoluto (etiam, ut addit Pass. sine intimatione ulteriore) confirmet. Tamb. de jure Abb. tom. 1. d. 6. q. 2. n. 10. Pass. cit. c. 33. n. 56. citans Gl. in rubric. de postul. in 6. Abb. in c. nullus. de jurepat. Cucham. tit. de confirm. n. 37. Lavor. de elect. c. 25. n. 44. Castellin. de elect. c. 14. n. 15. & 16. Et si enim tempus ad confirmandum à jure determinatum non sit (de quo infra) in casu tamen denegatæ injustè confirmationis illud ipsum præfigere potest Superior illius. Pass. loc. cit. citans Lavor. de elect. c. 25. n. 44. Abb. in c. postquam. de elect. n. 8. Rotam in Legionens. confirm. 23. Jan. 1617. Et quidem tempus illud assignandum breve esse debet, & non excedere sex menses, ait ibid. Pass. ex Lavor. loc. cit.

2. Porro, an liceat confirmatori dare pecuniam, ad hoc, ut desistat ab injusta vexatione, non convenit inter omnes. Sorus de just. l. 9. q. 6. n. 1. apud Donat. tom. 2. p. 1. rr. 7. q. 16. n. 1. censet id esse simoniacum, eo quod confirmare sit quid spirituale, adeoque vendi non possit; quod ipsum confirmat Donat. ex eo, quod talis datio pecuniæ non tantum tenderet ad tollendam iniquam vexam, sed & ad sternendam sibi viam ad confirmationem; & non daturus pecuniam, nisi intenderet hanc viam consequi confirmationem; adeoque ex intentione obtinendi spirituale det temporale, quod est simoniacum. E contra admittit Pasquil. decis. 235. n. 3. apud eundem Donat. loc. cit. n. 3. posse dari pecuniam purè ad redimendam vexam; eo quod tale pretium non ordinetur ad confirmationem, nec detur ex intentione confirmationis obtinendæ, et si talis intentio adsit, sed purè ad hoc, ut confirmator desistat à duri-

à duritie, & se constituat in debita æquitate, unde talis actus non nisi dictam æquitatem habeat pro objecto. Quam opinionem Pasquilig. Donat. ait, posse esse veram de jure naturæ, & in foro poli, scilicet in foro fori, seu de jure canonico, in quo, quod fit, & non quod intenditur, examinatur, ac remittitur ad Suar. tom. 1. de relig. l. 4. c. 50. n. 59. Peyr. tom. 1. de subd. q. 1. c. 31. §. 11. Verum de hoc statues accuratius & ex fundamento, ubi legeris, quæ dicta sunt à nobis part. 3. ubi de resignatione simoniaca.

Quæstio 421. An Superior potens non confirmare, etiam electionem legitime factam, de persona aliis habili, urgente ad id bono communi, dum negat confirmationem, teneatur edicere & probare causam negatam à se confirmationis?

Respondeo primò: quidquid sit de eo, num causa rationabilis intercedere debeat, quæ juridicè probari possit, si fuerit necesse, ut tenent Donat. loc. cit. q. 9. n. 7. cum Castel. de elect. c. 14. n. 56. Lavor. de elect. tit. 4. c. 25. Item Pass. de elect. c. 33. n. 148. ubi expressè, quod ratio hæc seu causa, ob quam cassata est electio, debeat esse visibilis, & talis, quæ deduci possit ad forum publicum, etiam judiciale, si opus sit, inde probatur, quod in confirmatione & cassatione electionum agitur de maximo interesse, non solum eligentium & electorum, sed & Religionum & Ecclesiæ; si autem confirmatores, cum extrajudicialiter procedunt, non teneantur reddere rationem, quare confirmarint, vel cassarint electionem, esset res in Ecclesia summi præjudicii, & explanata via latissima passionibus & privatis affectibus istiusmodi Superiorum, qui homines sunt, ad fovendas impune factiones, & promovendos suos, sive dignos, sive indignos, & deprimendos dignissimos cum summo præjudicio Religionum & Ecclesiæ, si electionum confirmatio & cassatio ita remissa illorum Superiorum arbitrio & conscientia, ut nulli teneantur reddere rationem facti sui; sed sufficeret illos dicere, se ex causa rationabili cassasse vel confirmasse, & super hoc nullius moveri posset quæstio. Quidquid enim sit, ut ait idem Pass. n. 149. de quæstione illa communi, an dum aliquid commissum est conscientia alicujus, ejus dicto sit standum, & non possit contra illum dari querela (de quo videri possit Sanch. de matrim. l. 3. d. 10. n. 12.) ubi tamen agitur de re præjudiciali tertio & bono communi, idèoque de re summè egente discretione Superiorum, seu dum sumus in materia justitiæ & juris naturalis, ac divini præcipientis, ut nulli inferatur injustum damnum, & nemo damnetur sine culpa, dicitur, quod & contra factum ab eo, qui agit secundum arbitrium boni viri, seu secundum conscientiam, potest haberi recursus, & quod non est necessitas credendi, quod illud sit factum ex conscientia recta & rationabili arbitrio, & quod Superioris officium est emendare, quod male gestum ab inferiore. Unde concludit Pass. certissimum est, quod Provinciales (idem est de aliis confirmatoribus regularibus) solum ex causa rationabili, deducibili, si opus sit, ad forum externum, cassare possunt electiones.

2. Loquendo tamen ordinariè seu regulariter non tenetur confirmator juridicè probare justam causam, quam præten dit, non confirmandi; sed sufficit, eam probatam habere extrajudicialiter. Donat. loc. cit. n. 8. & q. 14. n. 11. Idèque præcipuè in con-

P. Leuren. Feri Bevesf. Tom. II.

firmatione electionum regularium; cum, ut Gl. in clem. Exivi. de verbor. signif. §. demum, apud Donat. cit. q. 9. n. 9. in confirmatione Provincialium non procedatur judicialiter.

3. Sed neque tenetur in decreto cassationis electionis exprimere causam, quæ motus fuit ad cassandam electionem; quia Judex regulariter, ut notatur in c. sicut. de rejudicari. & per Bald. in l. si quis, ff. de peren. hered. non tenetur in sententia exprimere causam, adeòque sufficit, confirmatorè dicere, se ex causis bene visis cassare electionem, Pass. n. 149.

4. Neque etiam tenetur hanc justam causam, quam præten dit, ei, cui denegat confirmationem, edicere, sed sufficit, ut eam ostendat Superiori suo, si necesse fuerit, Pass. cit. n. 149. Donat. cit. q. 14. n. 11. verum loquatur ii de electione, per quam, etsi legitima sit, ut est in Ordine Prædicatorum, non acquiritur electo jus ad Prælaturam, & ubi non fuit appellatum à non confirmatione.

Quæstio 422. An, & qualiter confirmatio sit actus jurisdictionis & judicialis?

Resp. ad primum, esse actum jurisdictionis, sed quod potestas confirmandi sit potestas jurisdictionis. Lott. l. 2. q. 18. n. 28. citans Butrio. in c. 1. n. 9. de translat. Prælator. Seraph. decis. 637. n. 1. Pass. cit. c. 33. n. 139. ubi: evidens est, non convenire alicui, ut privata personæ, quod ei convenit ratione publici officii & administrationis publicæ jurisdictionis; at verò potestas confirmandi est potestas publica, & non nisi ratione publici officii habet, ut sit Judex, ad quem pertineat vel confirmare, vel cassare electiones: unde & confirmatio subjectionem in persona electi respectu confirmatoris supponit; cum fieri debeat per Superiorem. Lott. loc. cit. num. 27. citans Host. in sum. de elect. n. 27.

2. Respondeo ad secundum: tunc duntaxat confirmationem dici actum, seu confirmationem judicalem, quando fuit in formali judicio obrenta. Lott. l. 3. q. 17. n. 313.

PARAGRAPHVS II. De virtute confirmationis, deque eo, quid possit, vel non possit electus ante & post confirmationem.

Quæstio 423. Quæ sit virtus confirmationis in ordine ad supplendos & sanandos defectus commissos in electione?

Respondeo primò: electio ipso jure nulla ob defectum juris naturæ vel divini (intellige etiam positivi) nullà potestate potest confirmari validè. Siquidem Princeps supplere nequit & sanare defectus, in quibus dispensare nequit; tales autem defectus naturales, seu juris naturæ aut divini sunt absolutè indispensabiles respectu cujuscunque potestatis humanæ. Pass. de elect. c. 33. n. 167. in fine, citans Lavor. de elect. c. 25. n. 72. Laym. in c. sicut grave. n. 3. (exemplificans hoc in contractu usurario, qui ex nullius Principis confirmatione, etsi edicatur facta ex certa scientia, potest validari, ut Imol. in cit. c. sicut grave. in fine. Abb. n. 5.) Donat. tom. 2. p. 1. tit. 7. q. 13. n. 2. ubi etiam ponit pro exem-

o 2

ple

plo electionem, in qua desideratur consensus majoris partis, quem dicit esse de forma & naturali substantia electionis, pro quo citat Castell. *de elect.* c. 4. n. 45. & DD. communiter in c. quod sicut. de elect. Hoc verum, posse taliter electum confirmari in hoc sensu, quod non obstante tali electione possit à Superiore, qui aliàs independenter ab electione eidem de illo beneficio aut Prælaturâ providere potest, promoveri ad illam; non tamen per hoc, ut patet, convalidatur illa electio, aut electus, ne quidem partialiter, vi illius promoveretur; sed & dicitur absolutè provifus à tali Superiore, v. g. Apostolicus, si à Papa.

2. Respondeo secundò: electio ipso jure nulla ob defectus juris positivi humani confirmatur validè ab eo confirmatore, qui potest ac vult defectus illos supplere, seu sanare. Laym. Donat. Pass. LAVOR. *ll. cit.* Et si autem hi AA. in terminis non loquantur de electione ipso jure nulla, patet tamen & hanc ab illis comprehendi ob rationem ab iis datam; nempe ut Laym. quia Princeps approbans seu confirmans actum ex certa scientia (intellige de invaliditate illius) hâc confirmatione suâ tribuit illi jus & valorem, quem de se non habebat; habetque se jam actus illo, ac si ab initio defectibus illis caruisset. De cetero electio ob tales defectus ipso jure nulla omninò invalidè seu nullatenus confirmatur aut sanatur ab eo, qui super illis defectibus dispensare nequit; accessorium enim (quale quid est confirmatio respectu electionis) sequitur naturam sui principalis. *reg. 42. in c. inter defectos. de fide instrum.* Et sic, ubi electio est ipso jure nulla, superveniens quoque ei confirmatio à tali est ipso jure nulla; quod enim jus ipsum irritat, si confirmetur (intellige ab eo, qui in illo jure dispensare nequit) eodem jure est, & semper manet invalidum, irritum, inane. Pass. *loc. cit.* Donat. *loc. cit. q. 12. à n. 1.* cum communi. Atque ita in hoc sensu valet commune dictum AA. ubi electio vitiosa est, & non tenet, confirmatio non prodest, pro quo Pass. citat. *Gl. in c. 1. v. irritum. de postul. in c. 6. Abb. in c. ad probandam. n. 19. de rejudicari. n. 5. Tamb. de jure Abb. tom. 1. d. 6. q. 1. n. 24. LAVOR. ubi ante. &c.*

3. Respondeo tertio, ut talis electio ipso jure nulla validè confirmetur à tali potente super illis defectibus dispensare, necesse est, ut confirmatio illa procedat ex certa illius confirmatoris scientia de illis defectibus. Donat. *cit. q. 13. n. 4.* Laym. Pass. *ll. cit.* Unde si confirmatio repente & sine cognitione causæ & electionis à parte rei invalidæ facta, etiam à tali, qui aliàs posset super illis defectibus dispensare, non supplentur illi defectus. Pass. *loc. cit.* Idque in defectu intentionis; cum confirmator non inquirens de validitate electionis non censetur (ubi aliud non exprimit) voluisse confirmare electionem aliam quàm validam; jam autem, ut Lott. *l. 2. q. 56. n. 38.* natura confirmationis est, ut id, quod confirmat, saltem in intentione agentis sit validum; quippe confirmatio dicitur quasi cum alii firmatio. Porro ut confirmatio censetur valida in hoc casu, necesse est, ut hoc ipsum, nempe quod procedat ex certa scientia & plenitudine cognitionis, significet & exprimat Princeps. Laym. *loc. cit.* Donat. *cit. q. 13. n. 3.* ubi: quia jus positivum canonicum non potest abrogari, nisi de expressâ scientia Papæ, quæ non præsumitur, sed debet expressè constare; confirmatio enim, quæ datur citra expressionem certæ illius scientiæ, & hinc dicitur confirmatio in forma communi, jus aut valorem actui

non tribuit, sed supponit, idèoque approbat actum, quatenus de jure validus est, juxta c. 1. & 2. de confirm. *uril. vel inuril.* Laym. *loc. cit.*

4. Respondeo quartò: dum verò fit in casu hoc confirmatio ex certa scientia, idque exprimitur, videndum adhuc est, qualiter id ipsum exprimitur; nam si in specie exprimantur istiusmodi defectus substantiales dispensabiles, seu dicat confirmator, supplere se hunc vel illum defectum, dubium non est, quin validè confirmetur talis electio. Pass. *ll. cit.* Item si adhibeat clausulam generalem: *supplentes ex plenitudine potestatis omnem defectum*: si talis confirmatio ex certa scientia fiat à Papa, vel ejus Legato, electionem aliàs invalidam fieri validam, asserit Pass. *loc. cit.* ex Abb. *in c. 1. de confirm. n. 6. & 7. Biax. de elect. p. 3. c. 43. n. 11.* Peyr. *in formular. lit. c. 28. n. 4.* quamvis ipse Pass. addat, adhuc per illam clausulam non supplendos defectus substantiales (hoc est, ut Donat. *cit. q. 13. n. 1.* qui cadunt formam, redduntque electionem ipso jure nullam) sed solum accidentales (hoc est, ut idem Donat. dum neglecta fuit solennitas aliqua juris positivi, ex quo reddatur electio solum annullanda) supplendos verò & illos, si in genere dicitur: *supplentes omnem defectum, etiam substantialem.* Pass. Biax. Peyr. *ll. cit.* Quod ipsum verum ait Pass. etiam, ubi inferior Papâ confirmat quò ad defectus, super quibus is dispensare potest. Sic etiam, dum dicitur in genere: *Confirmamus ex certa scientia, vel per plenitudinem potestatis, ut vires habeat perfectissime notionis &c.* non censeri adhuc supplere defectus, qui specialem dispensationis expressionem desiderant, cujusmodi est personæ inhabilitas; vel si confirmatio cedat in præjudicium aliorum, tradit Laym. *loc. cit.* exemplificans id confirmationem electionis factæ de intruso, quam, etiam si fieri dicitur ex certa scientia, ait, censeri subreptitiam, nisi mentio fiat intrusionis. Similiter si alicui possessiones per violentiam acquisitæ confirmentur ex certa scientia, confirmationem subreptitiam censendam ait, nisi fiat mentio violentæ occupationis, vel nisi aliunde constet, Principem ejus notitiam habuisse, pro quo citat Bertach. *in repertor. v. confirmatio privilegio.* Tusch. *ead. v. concl. 710. n. 22.* Tabien. *ead. v. n. 15. &c.*

5. Respondeo quinto, electionem de jure cassandam non licet confirmare: non enim licet facere contra juris prohibitionem; adeoque cum lex velit, electionem annullandam, haberi & judicari nullam, seu annullari, non licebit facere contrarium, & illam habere validam, seu confirmare. Pass. *cit. n. 167.* ad initium. Sed neque electionem jure solum annullandam ulla recipere vires per talem confirmationem (intellige factam per inferiorem, qui in lege canonica dispensare nequit) tradit Donat. *cit. q. 13. n. 4.* citans c. quod sicut. de elect. §. etiam confirmata, quia vim ab inferiore habere non potest, quod Superior præcipit infirmari. Pass. *loc. cit.* quamvis is dicat, talem confirmationem non esse nullam ipso jure, sicut nec electio est irrita ipso jure; cum factum contra legem non sit statim irritum ipso jure, nisi lex id ipsum præcipiat; esse tamen cassandam talem confirmationem non fecit ac ipsam electionem. Ex quibus tamen illud sequi videtur, quod sicut electio talis cassanda, si non cassatur à Superiore seu confirmatore, tenet mero jure; sic quoque supervenientem illi confirmationem tenere mero jure, quamdiu illa non cassatur à Superiore confirmatoris talis perperam confirmantis.

6. Respondeo sexto: quod attinet ad stylum sanandi electionis nullitatem, illum esse antiquum Sedis Apostolicae stylum, & de praesente adhuc continuari solitum, ait Card. de Luca de regular. d. 3. n. 5. quod ubi electionis nullitas non provenit ex culpa inexcusabili de facto, adeo, ut tam in eligentibus quam in electo mala fides non dignoscatur, & eorum, quae gesta sunt, retractatio aliquod scandalum, vel grave praesudicium parere potest, tunc nullitatem sanare solet, sive electum cassata electione ex sua auctoritate eidem muneri praeficere. Eundemque etiam frequenter dicit stylum esse S. Congregationis proposita negotiis Episcop. & Regular. in electionibus Provincialium vel Superiorum localium; nempe quod, ubi etiam electio de stricta juris censura sit nulla; adhuc tamen rescribere solet, ut electus (praesertim, ubi electio non est integra) in suo munere continuet, tanquam ab ipsa Congregatione deputatus, ut etiam dicit practicasio saepe in electione Vicarii capitularis. Eadem ferè habet loc. cit. d. 12. & d. 53. n. 4.

Questio 424. Quid operetur, seu quid juris ultra id, quod electo per electionem quasi- sum, tribuat confirmatio?

R. Respondeo: in hoc pacto valde inter se differere AA. Nam primò jus ipsum Praelaturae, & jus eandem administrandi tribui electo vi electionis; & per confirmationem nihil juris, sed solum exercitium juris quaesiti tribui, tenet Gl. in 6. quanto Apostolica. d. 63. apud Pass. l. cit. n. 6. Item tenuit Rota apud eundem ibid. coram Gregor. XV. decis. 240. n. 17. p. 5. recent. & decis. 444. n. 15. dum dicit, electionem esse potentiorē confirmatione; quia per electionem plenum jus acquiritur; per confirmationem vero nihil novi, sed tantum exercitium, ut Oldr. conf. 146. n. 4. Item Selva de benef. p. 3. q. 1. n. 11. asserens, per electionem acquiri jus in re, per confirmationem vero acquiri solum hujus juris corroborationem & exercitium; citatur quoque pro hac sententia à Pass. Lambert. de jur. ep. l. 2. q. 1. n. 4. n. 2. & p. 2. l. 2. q. 5. n. 8. n. 1. Eandem tenet Donat. in pr. resolut. rer. Reg. rom. 2. tr. 6. q. 19. n. 3. hinc expressis: quamvis sola electio faciat Praelatum, & quærat jus electo, & per confirmationem nihil novi juris illi quærat, sed solum exercitium juris per electionem quaesiti. Et tr. 7. q. 12. n. 1. confirmatio est juris prius habiti per electionem (pro quo ibidem citat Castel. de elect. c. 14. n. 5. Peyr. in subd. q. 1. c. 21. §. 11. in probat. 2. concl. 8.) Item Rom. 3. tr. 2. q. 11. ubi ait: confirmare electum, in rigore non est dare officium. Sequi quoque illam doctrinam videtur Lot. l. 2. q. 21. n. 10. ubi confirmatio nihil juris addit confirmato; quamvis q. 18. n. 18. & l. 1. q. 27. n. 1. teneat contrarium hinc expressis: ex sola electione, qua expectat adhuc confirmationem, non est dubium, vix quæri jus ad rem. Parum aut nihil in substantia ab hac sententia discrepant, qui docent electionem dare jus & potestatem administrandi in habitu, non in actu; atque ita electionem dare potestatem, sed velut ligatam, & non expeditam, & à confirmatione dependentem, quantum ad exercitium agendi, ut Abb. in cap. postquam. num. 2. cap. transmissam. num. 3. cap. sacrosanctam. n. 4. de elect. apud Pass. loc. cit. Et ne sibi contradicere videatur Abbas, dum in c. cum in jure. n. 3. & cap. nihil. n. 10. de elect. faceret, electionem non tribuat jus plenum, id ita explicat, ut eatenus

non tribuat jus plenum, quatenus non dat administrandi exercitium. Cui Abbatis doctrina in hoc sensu inhaerent Lavor. de elect. c. 25. n. 3. Sigism. à Bonon. de elect. dub. 42. n. 2.

2. E contra electionem non dare jus in re, nempe in praelatura vel beneficio, seu potestatem ipsam administrandi, sive temporaliter sive spiritualiter, sed solum jus ad rem, nempe ad Praelaturam, & ad dictam potestatem habendam & exigendam, tenet Pass. loc. cit. num. 7. dicens communionem & veram. Item num. 8. ubi: electus vi electionis, neque est Praelatus, neque spirituale matrimonium contraxit cum Ecclesia; adeoque nec habet potestatem, quæ officii sunt, ad quod eligitur, sed habet solum jus ad rem revocabile vel confirmabile per Superiorem, citat pro hoc Gl. ordinari. in c. nostri. in c. qualiter. in c. transmissam, de elect. Rotam. decis. ult. de elect. in novis. Felin. in c. cum Bertoldus. de accusat. num. 2. 3. 4. Nav. in c. si quando. de rescript. excep. 10. num. 13. Staphil. de lit. grat. tit. de modis provision. num. 5. Rebuff. in pr. tit. ad regulam. de non tollendo jure quaesito. Gl. num. 46. Coral. de benef. p. 4. c. 1. n. 14. Paris. de resign. l. 2. q. 28. num. 8. Garc. p. 4. c. 3. num. 3. Tambur. de jure Abb. To. 1. d. 6. q. 1. num. 2. & 20. & plurimos alios, quibuscum sentit Pirh. ad tit. de elect. num. 304. Lot. loc. cit. Azor. p. 2. l. 6. c. 14. q. 4. Laym. ad c. nihil. de elect. num. 11. ubi: per electionem non acquiritur beneficii titulus, aut quasi dominium ejus, sed per sequentem confirmationem Superioris. citat is se ipsum Theol. moral. l. 4. tr. 2. c. 12. q. 1.

3. Probat hanc sententia efficaciter ex eo, quod, dum electus ante confirmationem moritur, non videtur de novo Ecclesia sponso suo, neque vacat Praelatura per talis electi non confirmati mortem, sed pergit vacare eadem vacatione, quæ vacabat ante illam electionem per mortem prioris Praelati, ut cum communi juxta dicta à nobis saepe alias tenet Pass. cit. num. 8. citans Rotam ubi ante Felin. & c. Laym. Th. mor. l. 4. tr. 2. c. 12. num. 2. Donat. cit. q. 19. num. 4. juxta c. quam sit. de elect. in 6. Quod nequaquam dici posset, si electus non confirmatus in eadem Praelatura jus habuisset, ac vi electionis sponso illius Ecclesiae fuisset. Unde non capio, quod Donat. loc. cit. num. 2. 3. 4. ait: quamvis vinculum spirituale matrimonii contrahatur per solum consensum eligentium & electi; & quamvis sola electio faciat Praelatum, & quærat jus electo, & per confirmationem nihil novi juris quærat, nihilominus ante confirmationem Ecclesia dicitur vacare, & durat prima vacatio usque ad confirmationem, & per confirmationem vacare desinit &c. eum ex communi Beneficialistarum per mortem illius verè vacet beneficium, qui in eo intulatus, verum in eo jus ac quasi dominium illius habuit, etiam si nunquam possessionem illius accepisset; quin & ab exercitio Praelaturæ vel officii fuisset suspensus, etiam censurâ ecclesiasticâ. Item probatur ex eo, quod, ut habetur c. inter corporalia. de translac. Episcopus confirmatus ex vi juris divini non potest cedere Episcopatu sine licentia Papæ; possit autem electus Episcopus ante confirmationem cedere sine licentia Papæ, & quidem in manibus non Superioris, sed Electorum juri quaesito per electionem, ut cum Gl. in c. 2. de Resit. in integ. v. renunciarit. in c. inter corporalia. de translac. v. confirmatus. in c. cum inter. de elect. v. conjugale AA. passim, ut videre est apud Pass. quod argumentum est manifestum,

conjugium illud spirituale non contrahi electione solâ & electi consensu: Pass. loc. cit. n. 8.

4. Probatum & aliâ ratione à priori à Pass. loc. cit. n. 7. electum ad Prælatum, quæ est cum jurisdictione (idem est de officijs alijs ecclesiasticis, quæ sunt cû solâ administratione) vi solius electionis non habere jurisdictionem (adeo que jurisdictione uti non posse, non quia habet eam ligatam & impeditâ, sed quia nullatenus eam habet) neque eam habere posse vi electionis ab Electoribus; siquidem nemo dat, quod non habet; at Electores ad ecclesiastica ministeria non habent potestatem jurisdictionis ecclesiasticæ, utpote quam Christus soli Petro ejusque successoribus commendavit, ita ut Ecclesia ut distincta à suo capite summo pontifice nullam habeat jurisdictionis seu, spiritualis gubernationis potestatem, sed illius sit, pacisci & gubernari (uti etiam id tradit Laym. in c. cum venerabilis, de consuetud. n. 3, ubi; quod Ecclesiæ ministri & prælati non sunt capaces jurisdictionis consequendæ & exercendæ, nisi cum ordine ad Papam, à quo tanquam capite omnis ecclesiastica potestas in inferiores ministros conveniente ordine descendit, pro quo citat seipsum, Theol. mor. l. 1, tr. 4, c. 7, §. 2.) unde illâ suâ electione non dat potestatem hanc jurisdictionis, sed solum id, quod Christus & summi Pontifices concessere, ut daret; potestatem enim eligendi ad officia Papatu inferiora non habet, nisi ex summorum pontificum auctoritate, qui concedentes Electoribus electionem puram, & reservantes sibi vel alijs Prælati confirmationem vel institutionem, sibi quoque vel alijs reservarunt facultatem largiendi potestatem officiorum ecclesiasticorum, quam tamen legitime electis promiserunt. Unde jam ex eo, quod detur potestas absque eo, quod detur illius exercitium (ut videre est in ordinato in sacerdotem, cui vi ordinationis datur potestas remittendi peccata, negato illi ejusdem potestatis exercitio, usque dum subiciatur ei populus, in quem illam exerceat. Item in consecrato in Episcopum nullâ assignatâ ei diocesi) pessime infertur, sic contingere in electione. Quinimo, cum per electionem electo determinetur materia seu populus exercendæ potestatis; quia eligitur præsul determinatæ Ecclesiæ, si revera per electionem acciperet hanc potestatem, ex hac saltem parte nihil deesset, quod minus etiam simul per eam haberet hujus potestatis exercitium. Pass. loc. cit. n. 9.

Quæstio 425. An, & qualiter legitime electus ante confirmationem habeat jurisdictionem seu potestatem administrandi ea, quæ sunt beneficii seu Prælatuæ, saltem in habitu, seu quo ad actum primum?

Respondeo: non convenire in hoc AA. nam quidam cum Gloss. in c. quanto. d. 63, v. relatio. vers. si queras. tenent, habere illum eam in habitu, seu quò ad actum primum, non item quò ad actum secundum, seu quò ad exercitium. sic docet Lott. l. 3, g. 17, n. 76. ubi: secutâ in tempore acceptatione electi, simulque peritâ electionis confirmatione (in quibus duobus consistit officium electi) censetur electo jus prælatuæ acquisitum in habitu, non tamen etiam in actu & exercitio. citat pro hoc Abbatem in c. nosti. de elect. n. 2. Felin. in c. cum Bertoldus. n. 2, de sent. & re judicat. Sigism. de Bonon. de elect. p. 1, c. 6 dub. 44 n. 1. &c. Et ne censeri possit loqui de jure Prælatuæ acquisitum in habitu seu tan-

tum in actu primo proximo, addit Lott. n. 77, & 78. quod enim dicitur, electum ante confirmationem non habere plenitudinem officii, à quo pendet administrandi potestas, juxta c. nihil. de elect. intelligitur de exercitio, non de jure ipso administrandi, ut Præpos. in c. 1. d. 23, n. 23. Econtra probabilius & conformius iis, quæ dicta sunt à nobis quæst. præced. tradunt alii, per electionem ab Episcopo aliòve Prælato acceptatam (seclusâ speciali concessione Sedis Apolliticæ) non acquiri jurisdictionem & potestatem illam, ne quidem in actu primo, sed purè solum jus petendi illam à Superiore seu confirmatore conferendam; eò quòd jurisdictionis illa & potestas non detur, nec dari possit, ut dictum, ab Electoribus; ita docent Laym. ad c. nosti. de elect. n. 1. citans seipsum Theol. mor. l. 1, tr. 4, c. 7, §. 2. & ex eo Pirh. ad tit. de elect. n. 228. Verùm supponendo etiam tantisper primam sententiam, seu quòd revera jus ipsum seu ipsam jurisdictionem & administrationis potestatem habeat, est

Quæstio 426. An, & qualiter legitime electus, postquam electioni consensit, administrare actu possit, seu habeat exercitium administrationis ante confirmationem tanquam principalis?

Respondeo in genere: veritum est electis, ne se ingerant administrationi ante confirmationem, siue omnis illis interdicta est administratio, c. nosti. & c. qualiter. de elect. Azor. p. 2, l. 3, c. 17, g. 14. Lott. l. 3, g. 17, n. 289. & l. 1, g. 27, n. 3. Pass. de elect. c. 33, n. 2. Tamb. de jure Abb. tom. 1, d. 6, g. 2, n. 3. Prohibeturque administrare tam in temporalibus quam spiritualibus; tam in partem quam in totum, tam per se quam per alios, & quovis alio colore quaesito, ut expresse constituitur c. avaritia. de elect. in 6. quòd enim ibi dicitur de administratione facta ab electo sub titulo economi aut simili, idem censendum de administratione, quam electus exerceat ut principalis. Pass. loc. cit. Quin etiam tam directe quam indirectè, ut Tamb. Exstat quoque constitutio 86. Pii IV. in qua specialiter circa Abbatis, Præposituras aliisque Dignitates conventuales interdictur hæc administratio. Pass. & Tamb. l. cit.

2. Talis actus administrationis prohibitus ante confirmationem, ut constat ex c. qualiter. est, si electus à subditis, siue laicis, siue Clericis, ex gat & recipiat juramentum fidelitatis, vel promissionem obedientiæ. Pass. loc. cit. n. 3. citans Abb. in c. qualiter. n. 1. Barbof. ad cap. avaritia. n. 9. & de off. Episc. ab leg. 57, n. 204. Per hoc verò, quòd permittat neoelectus se installari, seu poni in thallo, seu sede Prælati, non censetur immiscere se administrationi Prælatuæ; quia hæc installatio non est administratio officii, seu Prælatuæ, sed signum quoddam, ut Pass. vel etiam inmissio aliqua in possessionem, ut Pirh. eamque generalis consuetudo excusat. Pass. loc. cit. n. 3. Pirh. de elect. n. 290. citans Abb. in cap. qualiter. n. 1. Innoc. ibid. v. immiscuit.

3. Ratio autem, cur electus jura Ecclesiæ & Prælatuæ administrare non debeat ante confirmationem, est; quia alias confirmatio nihil, aut vix aliquid operaretur, si ante illam competere potestas actu administrandi, neque is multum sollicitus foret de obtinenda confirmatione, ne se periculo callationis electionis exponeret; & si quando contingeret callari electionem, non ita facile à Præla-

tura, quam jam administrare cepit, removeri posset. Azor. loc. cit. Pirh. ad tit. de elect. n. 287. citans Host. in c. qualiter. de elect. ad inirium. & Gl. in cap. avaritia. v. confirmetur. Porro hæc intelligenda, quantum est ex vi electionis, & quantum est de jure communi, sub limitationibus tamen etiam, de quibus paulò post.

Quæstio 427. An saltem ut œconomus, vel ut Procurator, similivè titulo non principali administrare possit?

1. Respond. negativè Lott. lib. 1. q. 27. n. 4. & 5. Pass. loc. cit. n. 4. Pirh. ad tit. de elect. n. 29. cum communi, juxta expressum textum cap. avaritia. de elect. in 6. qui canon emanavit à Gregor. X. in generali Concilio Lugdun. ad obviandum fraudibus, quas quidam consueverant facere legibus veterantibus neo-electis administrationem ante confirmationem, dum hi avaritiâ & ambitione eos impellentè procurabant interim, usque dum confirmarentur, committi sibi tanquam œconomis vel procuratoribus, similivè titulo prælaturam, seu beneficium. Hinc statutum in dicto cap. ne quis administrationem dignitatis, ad quam electus sub titulo œconomi aut procuratoris aliòve qualito colore (v. g. vicarie aut commendæ, vel ut Canonicus ejusdem Ecclesiæ, ut Pirh. loc. cit. juncta Gl. hic. v. colore) in spiritualibus (quale est infligere censuras, dispensare &c.) vel temporalibus (ut est recipere census, debita, habere curam colligendi & conservandi fructus, ut Pirh. cum eadem Gl. v. in spiritualibus) per se, vel per alium, in toto vel in parte (sive in judicio, sive extra illud, ut Gl. v. gerere) recipere, vel illi se ingerere præsumat, & qui secus faxit, jure electionis, si quod per illam ei quæsitum, ipso jure sit privatus.

2. Unde jam etiã licet non solum à Papa ex certa scientia & causâ cognita soleat quandoq; deputari tantisper Ecclesiæ vacanti œconomus, etiam ipse electus, cum libera tam in spiritualibus quam temporalibus administrandi facultate. Laym. in c. cum nobis. de elect. n. 8. Lott. l. 3. q. 27. n. 295. Pirh. ad tit. de elect. n. 292. Pass. cit. n. 4. ut coulat ex cit. c. cum nobis. Quamvis etiam respectu dignitatum inferiorum à Cathedrali (de qua aliàs solum loquitur cap. cum nobis.) inferioribus Papâ sit permilla deputatio œconomi, ut Lott. l. 3. q. 27. n. 296. ex Abb. in cit. c. cum nobis. in 6. nullatenus tamen iis concessa est potestas deputandi pro œconomis eundemmet electum; quia lex, nimirum cap. avaritia. illum ad hoc inhabilitat, in qua lege inferior dispensare nequit. Lott. loc. cit. n. 297. & 298.

3. Sic etiam, etsi penes Capitulum sit administrator, tam in spiritualibus quam temporalibus, possitque eam alteri committere, nunquam tamen potest eam committere ipsi electo; quia alioqui feret adhuc fraus ipsi legi prohibenti, ne is administret. Pirh. loc. cit. Quin etiam, si contingeret, quòd Ecclesiæ procurator aut œconomus (intelligitur constitutus ad liberum alicujus arbitrium; v. g. à Capitulo sede vacante, vel, si sermo est de prælato Ecclesiæ inferioris, ab Episcopo; secus enim esset de eo, qui ex consuetudine Ecclesiæ aliòve jure speciali debebat deputari œconomus, ut Lott. l. 3. q. 17. n. 10. juxta mox dicenda) eligeretur in prælatum, illum debere itatim cessare ab administratione œconomia, tradit Bass. cit. n. 4. ad inirium, citans Jo. And. & Gemin. in c. avaritia. n. 4. Ve-

rall. qui dicit se habuisse à compositoribus in Concilio Lugdun. unde desumptus iste canon avaritia, & hoc fuisse de eorum mente.

4. Neque obstat his, quòd dicitur S. Congregatio anno 1593. ad interrogatum illud: num dignior (intellige ex concursu) ante confirmationem possit gaudere fructibus parochialis sub prætextu Rectoris, Commendatarii, seu Vicarii: respondisse, ut refert Garc. de benef. p. 9. c. 2. n. 21. apud Pass. cit. n. 4. illum ante collationem non posse percipere fructus, nisi ut administratorem. Nam, ut ait Garc. loc. cit. n. 25. id obiter fuit dictum, & non principaliter; vel, ut melius Pass. non satis constat de illa declaratione, seu non sit authentica. Ad hæc in dicta declaratione est sermo de parochiali; cum tamen c. avaritia. loquatur tantum de beneficiis sonantibus in dignitatem. Adde, quòd cit. cap. loquatur de electo canonicè, seu ab electoribus confirmando; non verò de electo digniore ex pluribus dignis ab Episcopo, dein providendo per collationem.

5. Possè nihilominus aliquem, cui ex privilegio vel consuetudine competeret administratio episcopatus vel prælaturæ vacantis, si eligeretur ad eam, eandem administrare ante confirmationem, tradit Pirh. cit. n. 292. in fine. citans Franc. in cit. c. avaritia. n. 1. Item Lott. l. 3. q. 17. n. 310. dicens, in eo casu cessare commentum fraudis, & hinc talem posse impunè continuare administrationem ante confirmationem; citat pro hoc Gemin. in c. avaritia. n. 4. Anchar. n. 3. Butrio. n. 3. Quin etiam posse administrare, etiam sub nomine œconomi, etiam si hoc procurasset, ubi ageretur de electo ultra montes, quippe cui aliàs, ut per se administrare possit ante confirmationem, conceditur vi c. nihil. de elect. tradit Lott. loc. cit. num. 308. & 309. citans Jo. Mo-nach. Gemin.

Quæstio 428. An solum lege positivâ humanâ, an verò etiam ex lege divina verita sit administratio ante confirmationem, & opus illâ ad administrandum?

Respond. resolutionem hujus quæstionis ex eo pendere, num potestas administrandi & agendi, quæ spectant ad dignitatem, officium, beneficium, ad quod quis eligitur, habeatur per ipsam electionem; an verò ea potestas prius conferatur per ipsam confirmationem. In qua secunda sententia, quam nos amplexi sumus, ubi quod electo per electionem non conferatur jus in re, seu jus ipsum & titulus prælaturæ, sed solum jus ad illam, indubitato verita est ex lege, etiam divina connaturali institutioni electionis canonicæ ad officia ecclesiastica, præcipue ad prælaturas habentes potestatem Ordinis & jurisdictionis, administratio ante confirmationem: Et sic de jure naturæ actus exercitus à non habente potestatem illum exercendi est nullus, & illum agere illicitum. Pass. cit. c. 33. n. 5. juncto n. 10. & 11. Addit tamen Pass. n. 10. quòd confirmatio jure divino sit necessaria, id intelligendum de confirmatione necessaria sub conjunctione; nempe vel in se, vel in alio æquivalente; eò quòd Papa concedere possit, ut electio sit simul confirmatio, & quòd electus ex vi electionis habeat potestatem jurisdictionis.

Questio 429. An igitur per legitime electum gesta ante confirmationem sint nulla?

1. **R** Espondeo: omnia, quæ talis ingerens se administrationi ante confirmationem ratione officii vel jurisdictionis usurpata in vim electionis à se acceptata gessit, sunt revocanda & rescindenda (intellige tanquam irrita & nulliter facta) Laym. ad c. qualiter. de elect. n. 3. Pirh. ad tit. de elect. n. 290. Pass. cit. c. 33. n. 3. quia ea, quæ ex tali, vel ob talem electionem non confirmatam gesta sunt, & expressè Papa in cit. c. qualiter. 17. de elect. pronunciat penitus non tenere. Idque ex defectu potestatis in operante non ligata solum, sed nullatenus existentis, juxta dicta quæst. præced. & supra. Secus ac accidit in Episcopo, aliòve prælato legitimâ Superioris auctoritate instituto vel confirmato, licet invalide ob occultum vitium; eò quòd cum titulo colorato, & cum errore communi, seu defectu publicè ignorato administravit, quæ erant muneris & officii, ad quod institutus vel confirmatus. Laym. Pirh. ll. cit. Argumento l. Barbarius. ff. de off. Prætor.

2. Hinc jam electus in Episcopum ante confirmationem non potest solenniter benedicere. Pass. cit. n. 3. citans Gemin. in c. avaritia. n. 5. & Franc. n. 4. Non potest conferre beneficia suæ diocesis. Pass. loc. cit. citans Selv. de benef. p. 2. q. 15. ad initium. Rebuff. de pacif. poss. n. 251. Barbof. ad cap. nosti. de elect. n. 2. Pirh. l. cit. n. 288. Quòd intelligendum de beneficiis spectantibus ad collationem Episcopi, quæ talis, seu quæ Ordinarii, seu jure ordinario. Vide de hoc dicta alibi, ubi de collatoribus beneficiorum. Quòd autem dicitur in sine c. nosti. de elect. ut Episcopus electus non confirmatus collationes beneficiorum à se factas revocare studeat, id ita intelligendum; quòd de facto solum revocare debeat, non de jure; cum de jure fuerint invalida: & sicut Episcopus ante confirmationem non habuit potestatem ea conferendi, sic nec habet eam ad illa auferenda. Pirh. cit. n. 288. qui etiam addit ex Laym. quòd Papa per hoc aliud nihil significare voluerit, quam ut significetur, Episcopo electo insinuandum esse, ut collationes à se facta revocentur; non quidem suâ auctoritate eas rescindendo; sed ut intimeretur provisus, collationes ipsas factas esse ipso jure manifestè irritas. Quòd si autem provisus ab eo beneficia illa dimittere nollent, cogendi forent; non quidem ab Episcopo electo, sed à Capitulo, penes quod ante confirmationem Episcopi residet interim jurisdictio episcopalis. Pirh. l. cit.

3. Sic quoque nulliter administrat bona temporalia, & contractus ab eo initi sunt nulli. Pass. loc. cit. ubi etiam addit, hinc colligi ab AA. quòd debitores Prælaturæ, si solvant illi electo non confirmato, non liberari à debito, quòd minus rectè ait limitari ab Abbate, ut tales debitores solvendo evadant liberi à debito, ubi obligati fuissent in contractu cum eodem electo inito, etsi super bonis Ecclesiæ; eò quòd Ecclesia debeat fervari indemnis, & tales debitores etiam ratione rei, quam acceperunt, tenentur reddere; quia res est & manet Ecclesiæ, eiq; ubi fructifera est, fructificat, & quia talis contractus cum tali initus fuit, injustus & nullus.

Questio 430. Num igitur lex illa de non administrando ante confirmationem, præcipue contenta in decretalibus illis Nosti. 9. qualiter. 17. de elect. & Avaritia. 5. de elect.

in. 6. sit universalis, extendens se ad omnia beneficia & omnes dignitates?

1. **R** Espondeo primò, legem illam naturalem, ut nullus purè electus administret aut ministrare valeat, universalem esse, extendentem se ad omnia officia & beneficia ecclesiastica, ad quæ quis eligitur, dubium non est, ob rationis identitatem respectu omnium, nempe defectum potestatis. Pass. cit. c. 33. de elect. n. 11.

2. Resp. secundò, legem etiam illam humanam contentam in c. nosti. & in c. qualiter. universalem esse, & comprehendere beneficia omnia electiva. Pass. loc. cit. citans Bald. Butrio, & Rotam coram Crescent. decis. 6. de jur. n. 14. eò quòd his decretalibus non tam lex imponitur, quam lex universalis supposita declaretur; dum in utraque hac decretali assignetur ratio de se universalis & absoluta, ac formalis non administrandi ante confirmationem, nempe defectus potestatis: supponunt enim hi canones, electionem non dare potestatem administrandi; adeòque cum non habeamus expressam legem anteriorem positivam veterantem illam administrationem, lex illa, quam hi canones supponunt, est lex illa divina universalis.

3. Respondeo tertio, similiter, quòd canon ille avaritia (licet lex sit penal. Pirh. ad tit. de elect. n. 291. notando 3. Pass. loc. cit. n. 12. citans Barbof. ad c. avaritia. n. 8.) universalis sit, & extendat se ad omnia beneficia, tradunt Pirh. loc. cit. & quos citat Pass. nempe Mandos. de sign. grat. in de primæ. vers. dubitabatur. Franc. in c. avaritia. n. 2. Gabr. conf. 199. l. 1. Garc. p. 11. c. 10. n. 216. & Rota in Eugubini. Canon. an. 1561. Item Lott. l. 2. q. 13. n. 4. Tum quia in hac decretali fit mentio de electo ad regimen cujus vis Ecclesiæ. Pirh. loc. cit. tum quia constitutio, etiam penal. emanans ad coadjuvandum jus antiquum (qualiter hæc decretalis emanavit ad confirmandum jus antiquum contentum in illis decretalibus. nosti. & qualiter) est late interpretanda, ut comprehendat omnia illa in veteri illo jure contenta. Pirh. loc. cit.

4. Contrarium tamen tenet ipse Pass. loc. cit. n. 13. citans pro hoc Less. de iust. l. 2. c. 34. n. 17. Gemin. in c. avaritia. n. fin. nempe decretalem illam non comprehendere alia beneficia, quæ habent (intellige ad summum) administrationem sine jurisdictione, sed comprehendere solum dignitates, utpote quæ solæ habent administrationem rerum ecclesiasticarum cum jurisdictione, ac ideo specialis in eis reperitur ratio, ut ad vitanda majora damna Ecclesiarum speciali pœna coercerentur electi, dignitates non administrare ante confirmationem. Neque ob stare ait, quòd dicto canone dicatur nullus. &c. cum statim seipsum explicet & restringat, dicens: nullus administrationem dignitatis, ad quam electus est, priusquam electio confirmetur, gerere presumat. Sed & illud principium, quòd dicitur in confirmationem prioris sententiæ: constitutio penal. emanans ad jus vetus coadjuvandum debet extendi ad omnia in veteri jure contenta: negat, dicens non esse doctorum, regulas constituere agendorum contra regulas juris communis certas, qualis sit illa regula canonica; ut odia restringantur, non amplentur, regul. odia. 15. & quòd in pen. benignior fiat interpretatio. reg. in pen. 49. de reg. juris. in 6. Hinc non magis ex eo, quòd cujuscunque beneficii administratio ante confirmationem

rem sit vetita iure divino, aut lege aliquâ humanâ, sequi, quod lex pœnalis prohibens administrationem beneficii, quod est cum jurisdictione, extendat se ad omnia beneficia, etiam quæ sunt sine jurisdictione, quam ex eo, quod omne mendacium sit iure prohibitum, sequatur, quod lex pœnalis prohibens mendacium in iudicio extendat se ad omnia mendacia. Ex hoc eodem principio negabit utique Pass. nomine dignitatis in *cit. c. avaritia*. venire Episcopatum; quod ipsum admittit Pith. *loc. cit.* ex eodem suo principio, nempe quod licet in materia ambiciosa, odiosa & pœnalis nomine dignitatis non veniant Episcopatus, ut Gl. communiter recepta in *c. 2. v. dignitatem de prob. in 6.* comprehendatur tamen nomine dignitatis in constitutione pœnali confirmante, & extendente jus antiquum.

5. Similiter postulatum (quem certum est ante admissionem postulationis administrare non posse; cum postulatio ne quidem det jus ad rem; quin & iura id ita veterint, ut si is administrat ante receptam postulationem, non solum administratio sit irrita ipso iure, sed & Electores postulatum recipientes sint ipso iure privati potestate postulandi & eligendi. *c. bona. 23. de elect.*) administrantem ante receptionem postulationis non comprehendit *cit. c. avaritia*, tenet Pass. *loc. cit. n. 14.* eod quod privatio juris quaerit, de qua *citatus can.* non cadat in postulatum; & cum speciales canones specialem suam pœnam statuerint tali postulato, non fit, cur dicamus, eum comprehendit *c. avaritia*. Contrarium iterum sentiantibus (nempe & illum comprehendit) Pith. *loc. cit.* & quos citat Pass. Gemin. in *c. avaritia. n. 4.* Franc. *n. 2.* Barbof. *n. 6.* Roman. *conf. 330. n. 21.* ad quos accedit Tamb. *de iure Abb. tom. 1. d. 6. q. 1.* citatis plurib. Lott. *l. 2. q. 13. n. 3.*

6. Item comprehendit quoque præsentatum ante institutionem administrantem, tenent ferè iidem, ac præcipuè Tamb. citans Marefhot. *var. resol. l. 2. c. 35. n. 45.* Mantic. & alios plures. Lott. *cit. n. 3.* Et si Pith. *loc. cit.* Gemin. *loc. cit.* apud Pass. id limitent ad præsentatum ad dignitatem. Contrarium de quocunque præsentato tenente Pass. ac dicente, sic tenere omnes, qui tenent in pœnalibus legibus non fieri extensionem de casu ad casum.

Questio 431. An ergo lex illa vetans administrare ante confirmationem nullas patiatur exceptiones seu limitationes; sive an nulli electi id possint; & si qui id possunt, quinam illi sint?

Respondeo: legem illam multiplices pati exceptiones seu limitationes. Pass. *cit. c. 33. n. 34.* Ac quidem

2. Primè generalis limitatio est; ut possit electus non confirmatus administrare, ubi ita suadet necessitas. Lott. *l. 3. q. 17. n. 289.* necadest, qui confirmare posset; si enim talis adesset; v. g. adesset in provincia Legatus Apostolicus, qui talem electum confirmare posset, cessaret exinde necessitas administrandi ante confirmationem; cum ab eo peti deberet. Lott. *loc. cit. n. 293.* citans Archid. & Præpositi.

3. Secunda limitatio est, ut ubi est legitime præscripta consuetudo administrandi ante confirmationem, interim, dum ea petitur & expectatur (quod longè quid diversum est ab eo, num valeat consuetudo administrandi sine confirmatione etiam expectatâ, seu non petendi unquam confirma-

tionem, quam consuetudinem supra rejecimus tanquam irrationabilem) ea valeat, & sustineri possit. Pass. *loc. cit. n. 36.* citans Anchar. *conf. 51.* Imol. in *c. nosti. de elect.* Decium in *c. postquam. eod. tit. n. 21.* Tusch. *lit. E. concl. 90.* Sigism. de Bonon. *de elect. dub. 42. & c.* contra Abb. in *c. transmissam. de elect. n. 3.* Franc. in *c. avaritia. de elect. in 6.* Cuchum. *l. 4. de confirm. n. 13.* Lavor. *de elect. c. 25. n. 5.* ad quos accedit Pith. *de elect. n. 290.* nisi fortè velit id de consuetudine, quâ dicitur posse induci, ut electus absolute non egeat confirmatione. Rationem limitationis hujus duplicem dat Pass. Primam, quia si habens confirmare sciat ac toleret electum administrare ante confirmationem, concedat isti hoc ipso (seu potius interpretemur & præsumamus illam concedere) jurisdictionem & potestatem sic faciendi; quia consuetudo tolerata à Superiore sciente & potente dare jurisdictionem sit signum concessæ ab eo jurisdictionis; pro quo citat Bartol. in *l. 1. ff. de aqua pluvia arcenda.* Abb. in *cap. cum contingat. de foro compet. n. 10.* Suar. *tom. 4. in 3. p. d. 27. f. 3. n. 3.* Sigism. de Bonon. *de elect. du. 42. n. 4.* Alteram, quod consuetudo legitime præscripta det jurisdictionem; eod quod deroget legi positæ, juxta *c. fin. de consuetud.* pro quo citat Nav. in *can. nullam. 18. q. 2. n. 52.* Suar. *de LL. l. 6. c. 14. n. 12.* Sigism. de Bonon. *ubi ante.* Addit etiam Pass. quod Abb. in *cap. cum de jure. n. 3. de elect.* admittat in minoribus dignitatibus, ut in Decanatu, consuetudinem facere, ut electio valeat, & det jus plenum, ut electus valeat administrare sine confirmatione. & in *c. nihil. de elect. n. 44. n. 10.* quod etiam in dignitatibus habentibus curam animarum consuetudo facere possit, ut electio det electo jus plenum sine confirmatione, & quod electus non egeat confirmatione; etsi neget de cetero, valere consuetudinem, ut qui eget confirmatione, administrare possit ante illam.

4. Tertia: dum mox, ut electus quis legitime in Papam consensit suæ electioni, habet auctoritatem actu regendi Ecclesiam, etiam ante coronationem & consecrationem. Barbof. *juris Eccles. l. 1. c. 2. n. 112.* Pass. *cit. n. 34.* citans *c. in nomine Domini. d. 24.* Abb. in *cap. nihil. de elect. n. 10.* Sylv. *v. confirmatio. n. 2.* juxta dicta à nobis supra.

5. Quarta: dum hodie dum Generales ferè omnium Ordinum Religiosorum per specialia privilegia eis concessa statim, ac electi sunt, censentur confirmati, seu ipso iure sunt confirmati; adeoque absque alia Papæ (intellige, & alterius, si forte non exempti sint) confirmatione administrare possunt ac solent. Pass. *cit. n. 34.* Donat. *tom. 2. tr. 7. q. 2. n. 6.* & 7. Et sic de Generali Minorum videre est apud Rodriq. *tom. 2. q. 52. n. 2.* Mirand. *tom. 2. man. prælat. q. 23. a. 32. concl. 3.* de Generali Dominicanorum apud Donat. *loc. cit.* de Generali Minimorum apud Peyr. *tom. 1. de subd. q. 1. c. 3. d. 11.*

6. Quinta, ut Abbatissa vel Priorissa electa quidem à majore parte, quæ tamen neque in scrutinio, neque post illud apertum habuit duas partes votorum, interim, dum Superior, ad quem confirmatio spectat, cognoscit de hac electione, auditque objectiones illarum, quæ electioni contradicunt, factâ inquisitione plenâ sine strepitu iudicii, administrare potest tam in spiritualibus, quam temporalibus; ita tamen, ut nihil de rebus monasterii alienet, (& ut Laym. monialem nullam etiam recipiat) Pass. *cit. n. 34.* Donat. *loc. cit.* ex Sylv. in *sum. v. confirmatio. q. 1. n. 2.* Laym. in *c. indemnitate. n. 7.* Pith. *de elect. n. 298.* uti id expressè statuitur in *cit. c. indemnitate.*

demeritis. n. 7. Pirh. de elect. n. 298. uti id expresse statuitur in cit. c. indemeritis. de elect. in 6. nisi forte, ut dicitur ibidem, pars opponentium extiterit duplo major; tunc enim administrare non debet, sed eventum litis expectare.

7 Sexta, ut Episcopi alique prelati (non enim decretalis illa nihil. de qua paulo post, obtinet in solis cathedralibus, sed etiam in alijs inferioribus Ecclesijs, ut expresse Lott l. 3. q. 17. n. 291. citans Archid. & Praepos.) Papa immediate subiecti, dum valde remoti sunt ab Urbe, videlicet extra Italiam constituti, & in concordia electi, dispensative propter necessitates & utilitates Ecclesiarum (ne illa interim, dum confirmatio a sede Apostolica advenit damnum patiantur) administrationem in spiritualibus & temporalibus capere non prohibentur, ita tamen, ut de rebus Ecclesiasticis nihil penitus alienent, sic expresse dicit textus c. nihil. de elect. Pass. Donat. loc. cit. Laym. in cit. c. nihil. n. 4. Pirh. ad tit. de elect. n. 295.

8 Porro per prelatos immediate Papa subiectos intelliguntur hic ii omnes, qui ratione Ecclesiae suae, ad quam eliguntur, immediate spectant ad Papam, & ab eo confirmationem accipere debent ac solent; sive sint Archiepiscopi sive Episcopi, Abbates, Praepositi &c. Laym loc. cit. n. 5. Pirh. n. 296. juxta Gl. hic v. ad Romanam.

9 Per remotos valde ab Urbe non solum intelliguntur illi qui existunt extra Italiam, ut litera textus sonat; verum omnes Ecclesiae, ubicunque ea sunt, quae tantum distant a curia Pontificis, quantum Urbs Romana a finibus Italiae. eod quod verba legis seu dispositionis adaptari debeant menti & intentioni legislatoris, praesertim ubi ea in ipsa lege est expressa; principalis autem intentio & ratio hujus constitutionis fuerit, ne Ecclesiae, dum diu expectatur confirmatio, patiantur detrimentum in spiritualibus aut temporalibus. Unde verba illa: videlicet extra Italiam constituti; potius exempli gratia fuisse adjecta censentur; exempla autem non restringant legem, aut ejus rationem universalem, quod minus ad similia, in quibus illa locum habet, extendi possit. Neque obstat, quod constitutio illa sit correctiva juris antiqui; quia etiam lex correctiva juris antiqui extendenda est ob rationem universalem expressam in ea, utpote quae est anima legis, & cui verba illius deservire debent. Quin & ubi eadem omnino ratio locum habet, non fit proprie extensio; sed ex mente legislatoris comprehenditur sub ea omnis casus, in quo ea ratio locum habet. Ad hac jus favorabile Ecclesiae, quale est haec constitutio, etsi sit correctivum juris antiqui, vel etiam poenale, favore Ecclesiarum est extendendum, ut Abb. in cit. c. nihil. n. 9 Ita ferè Pirh. cit. n. 296. Unde jam constitutio haec locum habet in omnibus Ecclesijs, sive ea sint intra, sive extra Italiam; modò tantum distent a curia Papae, ubicunque tandem commorante, quantum fines Italiae ab Urbe Roma, ubi modò commoratur dicta curia. E contra verò locum ea non habet, si eò viciniore sint curia Papae, v. g. dum ea commoraretur in finibus Italiae, vel in ipsa Germania, etiamsi essent extra Italiam, utpote in quibus cessaret ratio legis. Pirh. loc. cit. contra Hofst. in cit. c. nihil. v. ultra Italiam qui censet, quòd, si Papa seu ejus Curia moraretur in finibus Italiae, etiam vicinas Ecclesias, modò sint extra Italiam, gaudere privilegio hujus constitutionis. De ceterò hanc constitutionem adhuc habituram locum, ubi Ecclesia, ad quam quis electus non

multum distaret à Curia Romana; si tamen propter viarum discrimina, v. g. tempore belli intra breve tempus non pateret aditus ad Curiam, per se, nec per alium ab eo missum ad confirmationem obtinendam; eò quòd in eo casu, etsi deficiant verba legis, non tamen mens legislatoris, & ratio legis, censet Pirh. loc. cit. ex Abb. loc. rit.

10 Per electionem in concordia factam, tamen si proprie ac strictè loquendo veniat aliàs solum ea, quae facta nemine discrepante, sive in qua ad unum omnes electores convenerant in eandem personam, adeoque quasi per inspirationem unanimitè celebrata est; quam etiam propterea solum venire in dicta constitutione nihil, in ordine, ut electus administrare queat ante confirmationem, voluit Abb. in cit. c. nihil. n. 4. Fagn. n. 12. Probabilius tamen est, electionem in concordia factam, de qua dictus canon, censeri ac dici debere quoque illam, in qua major & sanior pars Capituli ita convenit in unum, ut si pars minor seu pauciores, nullam justam causam contradicendi reliquis habeant, consentire & approbare debeant, ut Laym. in c. in causis. de elect. not. 4. Tum quia talis electio secundum latiore quidem, frequenter tamen usitatam acceptionem concors dici solet, ut Gl. in c. ubi periculum. v. singularis. de elect. in 6. haecque acceptio in hac materia Ecclesiae favorabili praefenda, tum quia, cum rarissime contingat, omnium Electorum vota, neminus discrepante conspirare in unum, rarissime satisfaceret intentioni hujus constitutionis, dantis hanc administrandi potestatem, ne Ecclesiae patiantur. Laym. in cit. c. nihil. n. 6. Pirh. l. c. n. 297. Unde jam etiam Archiepiscopos & Episcopos Germaniae in concordia electos, uti posse hoc privilegio in dicto can. nihil. concessio administrandi ante confirmationem, praecipue ubi apparet & experientia constat, vacante Ecclesia, rem à Capitularibus per vices, alternatim gerentibus administrationem male administrari non sine prodigalitate & dilapidatione bonorum Ecclesiae (in quo casu ad damnum illatum restituendum omni jure obligatur Capitulum juxta Laym. argumento c. nihil. in quo statuitur, ut ipsemet etiam electus, cum potius administratorio nomine res praetura teneat ante confirmationem, nihil penitus alienare, aut sine utilitate absumere debeat) tradit Laym. ad c. nihil. n. 12. & ex eo Pirh. loc. cit. n. 303. Verum non video, quae de hoc dubitandi, & dictam limitationem adjiciendi potuerit esse ratio; cum per concordata Germaniae jus eligendi Episcopos Capitulis Cathedralium & Metropolitanarum relicum sit, eisdemque concordatis, ut Pirh. loc. cit. ex Fagn. ad cit. c. nihil. n. 18. non obstant reservationes non contentae in corpore juris, & ita in praxi serventur.

11 Porro, quòd in fine cit. c. nihil. prohibentur tales alienare de rebus Ecclesiae, id ita intelligendum, quòd nihil possunt dare vel expendere, per quòd bona Praeturae minuantur; adeoque nihil donare, nisi ob urgentem necessitatem, vel aliam causam justam (quod commune est omni administrationi seu habenti tantum generatim liberam administrationem, ut nihil liberaliter donare possit, ut habet Gl. communiter recepta in c. 2. v. liberam, de suppl. negl. prelat. Pirh. n. 301.) adeoque licet valeant gesta ab iis circa temporalia emendo, recipiendo ad utilitatem Ecclesiae, non tamen valent gesta ab iis dando seu donando. Pirh. loc. cit. Laym. loc. cit. n. 11. cum Gl. in c. nihil. v. administrant.

Questio 432. An, & quales ampliationes patiatur cit. c. nihil. sive an ergo etiam vi dicti cap. ea potestas administrandi ante confirmationem competat quoque iis Prælati extra casum necessitatis, seu ubi nullum adest periculum damni Ecclesie nascituri; item num competat quoque Prælati aliis Papæ immediate non subiectis; quin & postulat?

1. Respondeo ad primum affirmative; eò quod sufficiat ad permanentiam legis, quod ratio in lege expressa communiter, & in plerisque casibus locum habeat, & non cesset dispositio legis, et si ea ratio in uno alterove casu particulari cesset, ut QD. communiter. Pirh. loc. cit. n. 298. Laym. in cap. nihil. n. 7. citantes Gl. in idem. c. v. administrant. & Innoc. n. 2. contra Imol. ibid. n. 6. Atque ita tales Prælati ea agere & exercere possunt, quia dilationem patiuntur, v. g. obedientiam à subditis, fidelitatem à vassallis recipere, tradunt iidem; eò quod in cit. c. nihil. huiusmodi prælati potestas administrandi in temporalibus & spiritualibus concedatur absolute sine ulla limitatione, excepta solum facultate alienandi, quæ exceptio confirmat potestatem concessam in omnibus aliis casibus non exceptis.

2. Respondeo ad secundum, probabile esse, constitutionem cit. cap. nihil. locum quoque habere in aliis Prælati; immediate non Papæ, sed Episcopo vel Archi-Episcopo subiectis quod ad accipiendam confirmationem; ita ut & hi legitime electi ante confirmationem in spiritualibus & temporalibus liberè administrare possint, si propter longam itineris distantiam, vel aliud impedimentum intra breve tempus confirmationem obtinere nequeant; eò quod ratio, ob quam in dicto cap. ea potestas conceditur prælati immediate Papæ subiectis, eadem locum habeat in Prælati Episcopo vel Archi-Episcopo subiectis; ne scilicet grave detrimentum inferatur Ecclesie, si Prælati ad eas electi longo tempore administrare nequeant. Et causa, cur solorum Prælatorum Papæ subiectorum, & non etiam horum ei non subiectorum immediate, in cap. nihil. fiat mentio, ea tantum sit, quod in iis Prælati Papæ subiectis huiusmodi casus distantia à Curia frequentius occurrat; Et licet constitutio illa c. nihil. à jure communi exorbitet, quatenus administrationem indulget, principalior tamen ratione censenda sit favorabilis, quatenus favorem & utilitatem Ecclesiarum spectat, adeoque propter identitatem rationis inserta hanc extensionem mereatur. Laym. loc. cit. n. 9. Pirh. loc. cit. n. 299. citantes Abb. in c. nihil. n. 9. contra Gl. ibidem. v. administrant. & But. n. 26.

3. Respondeo ad tertium: postulati tamen, etiam in concordia consentientibus ad unum omnibus, licet valde remota sint à Curia, & Papæ subiecti, nullatenus, nec vi dicti textus, nec alterius administrare possunt ante acceptatam eorum à Papæ postulationem; eò quod per postulationem postulato jus nullum quærat; adeoque nec actio competat, utpote quæ, ut dicitur ad initium institutionum, est jus petenda ejus rei, quæ ei ex iustitia debetur. Cujus contrarium est in electione, per quam quæritur electo jus ad prælaturam, & actio petendi confirmationem debetur, adeoque et si in aliquibus postulatio equiparetur electioni, in pluribus tamen, & in hoc præcipue puncto ab ea dif-

ferat. Laym. loc. cit. n. 8. Pirh. n. 302. citantes Abb. in c. nihil. n. 7. Innoc. ibid. ad init.

Questio 433. Quid si igitur postea ob defectum repertum rescindatur electio talis electi administrantis ex concessione c. nihil. an gesta per illum adhuc manebunt valida?

Respondeo: si electio talis sit, quæ non ipso jure fuerit irrita, sed solum per sententiam irritari potuit, v. g. si aliquis habentium jus eligendi contempserit, & eò petente rescissa est electio, gesta ab illo valida sunt & manent. Si verò electio ipso jure fuit invalida, non valebunt ab eo gesta, si defectus fuit manifestus, seu publicè notus. Valebunt verò, ubi defectus (subintellige tempore gestorum) fuit occultus & publicè ignotus. Laym. ad c. nihil. n. 10. & ex eo Pirh. loc. cit. n. 300. citans Gl. in c. nihil. v. administrant. Innoc. ibid. n. 3. Abb. n. 11. Idque quia in tali casu administravit de licentia & auctoritate Superioris, & hujus can. concurrente publicè, eaque probabili ignorantia defectus pendens ex jure positivo, adeoque supplebilis per Superiorem. AA. iidem. Idemque dicendum de casu, in quo electus jam stabiliter confirmationem accepisset, quæ dein ob deprehensum defectum occultum rescindatur; nempe gesta à tali ante hanc rescissionem valere. Pirh. Laym. ll. cit. citantes But. in cit. c. nihil. n. 39.

Questio 434. Vtrum legitime electus ante confirmationem accipere possit possessionem; & num electus in vim cit. cap. nihil. administrans ante confirmationem per hoc sit in possessione Prælaturæ?

1. Respondeo ad primum negativè; possessio enim, & specialiter quidem in beneficiabilibus supponit titulum seu canonicam institutionem. Argumento reg. 1. in 6. per solam autem electionem non acquiritur titulus beneficii, aut quasi dominium illius; sed per subsequentem à Superiore datam confirmationem. Laym. ad cit. c. nihil. n. 11. & ex eo Pirh. de elect. n. 300.

2. Respondeo ad secundum: talis administrans ex concessione c. nihil. ante confirmationem est in quasi possessione; quia prælaturam quasi suam, seu quasi jus in ea habens tenet. Idque non tantum ob canonicam electionem, ex qua ei nata actio, ut confirmetur (qui autem actionem habet, quasi rem ipsam habere videtur, reg. 15. ff. juncta Gl. sed etiam ob canonis Nihil assistentiam, tribuentis ei plenam administrationem, perinde ac si esset prælatus confirmatus, excepta tantum potestate alienandi. Quæ quasi possessio, casu quo electus confirmetur, corroborabitur; casu quo verò fuerit cassata, ab electo tollitur. Gl. in cit. c. nihil. v. administrant. Laym. & Pirh. ll. cit.

Questio 435. Quanam sint pœne legitime electorum citra necessitatem, aut concessionem à cit. c. nihil. administrantium ante confirmationem?

1. Respondeo primò: in pœnam usurpatæ illius administrationis ante confirmationem vi c. qualiter, de elect. ipso facto irrita existit ejus electio, privatque ipso jure quæsito ei jure per electionem; et si ad hoc opus sit sententiâ declarato-

riâ, & executione Judicis, juxta Laym. in c. avaritia. de elect. in 6. n. 2. Ita ut dictus canon qualiter sit canon lata sententiâ, & quod in eo dicitur, electionem irritandam esse, id ita sit accipiendum, quod sit irrita declaranda. Adeoque per c. avaritia. non augeatur hæc pœna, sed eadem extendatur etiam ad eos, qui quaesito colore, seu prætextu, v. g. œconomi administrant. Quam Laymanni sententiam & interpretationem, etiam novam dicat Pirh. ad tit. de elect. n. 292. ait tamen, non esse improbabilem. Eiq̄ue expresse favet Tamb. de jure Abb. tom. 1. d. 6. q. 1. n. 4. ubi ait, dispositionem c. avaritia. quod ad privationem ipso jure incurrandam procedere etiam, quando quis simpliciter, & absque ullo quaesito colore administrat, pro quo citat Gl. in c. avaritia. v. privatos. Abb. in c. qualiter. n. 4. Cresc. decis. 6. n. 16. de jurep.

2. E contra tenet communior, quam sequitur Pass. cit. c. 33. n. 37. Pirh. cit. n. 292. citans pro hac sententia Jo. And. Jo. Monach. Lott. l. 3. q. 17. n. 305. juncto n. 307. dictum c. qualiter. esse solum sententiâ ferendâ, & in eo constitui solum, quod electio ejus sit cassanda, & ipse jure per illam quaesito sit privandus; adeoque per c. avaritia. utpote statuens pro pœna privationem omnis juris per electionem quaesito ipso jure incurrandam ab iis, qui colore quaesito sub nomine œconomi aut procuratoris similive titulo ministeriali administrare præsumunt ante confirmationem distari pœnam majorem, quam quæ statuitur in c. qualiter. Idque merito, cum gravius puniendi sint; quia in fraudem legis, nempe cit. c. qualiter. id agant. Ita ut per c. avaritia. non corrigatur jus illud antiquum (quod sine necessitate corrigi non debet) dum secundum hanc sententiam etiam administrans simpliciter nullo tali colore quaesito, non ipso jure sit privatus, sed per sententiam privandus jure quaesito per electionem.

3. Respondeo secundo, ut inret privatio illa ipso jure, requiritur in administrante præsumptio seu temeritas, malitia & dolus, uti hæc tria exprimuntur in dicto canone avaritia. constituto ad occurrendum fraudibus & malitiis; dum dicitur: exquiritis fraudibus: Item non sit malitiis hominum indulgendum: immiscere præsumant. Pass. ad n. 37. Lott. l. 3. q. 17. n. 303. ubi: tota hæc actio regulanda secundum rationem conceptæ fraudis ex temeritate electi. Quapropter jam, ut ait Idem Lott. n. 305. justificato simplici facto administrationis ante confirmationem (quod poterat procedere sine speciali malitia & dolo ex simplicitate) licet consequatur electionem esse cassandam ex dispositione cap. qualiter. at minimè cassatam seu irritam ipso jure dispositione cap. avaritia. nisi ostendatur, electum superinduxisse personam œconomi, aut procuratoris, aut alium similem colorem; super hoc enim facto lex fundat præsumptionem fraudis, concilio illo generali, ex quo desumptus hic canon, contemplante affectionem hanc veluti fraudis argumentum. Unde jam etiam, licet dictus canon avaritia. sit lata sententiâ, & vi illius administrans sub prætextu œconomi similive titulo & colore quaesito eo ipso privatus sit, ita ut jam opus non sit sententiâ hominis (intellige ad irrogandam hanc privationem & cassandam electionem, ut prius; vi nimirum cit. c. qualiter.) sed ipso jure resolvatur totum illud jus quaesitum per electionem; opus tamen adhuc est præviâ sententiâ declaratoriâ super hujusmodi facto qualificato, nimirum administra-

tione cum malitia, fraude & præsumptione; siquidem ad pœnam incurrandam non sufficit factum, sed requiritur qualitas facti, uti contingit in præfenti, necessaria est sententiâ Judicis, quæ utrumque, nempe & factum & qualitatem ejus comprehendat, & non sufficit docere de facto, nisi etiam doceatur de qualitate, quæ est fundamentum dispositionis. Tamb. de jure Abb. tom. 1. d. 6. q. 1. à n. 16. Pass. cit. n. 37. Lott. loc. cit. n. 303. & 304. citantes Tiraq. de retract. lignag. § 8. gl. 7. n. 1. Paris. cons. 152. n. 5. vol. 4. Socin. Jun. conf. 22. n. 2. l. 1. juxta qua-

4. Respondeo tertio: à dicta pœna statuta in c. avaritia. excusare causam quamlibet, quamvis injustam & fatuam, modò excludat dolum. Lott. l. 2. q. 13. n. 8. & 9. ubi: procedit hæc pœna, nisi profertur titulus, unde nascatur fides, vel afferatur excusatio colorata; cum in materia pœnali quilibet causa excuset. Gl. in l. 1. §. ult. v. judicium. ff. si quis dicenti, Barb. juris Eccl. l. 1. c. 19. n. 247. Pass. cit. n. 37. citans eundem Barbof. in c. avaritia. n. 4. Item eam pœnam non incurrit electus ultra montes, administrans tantisper ante confirmationem sub nomine œconomi; uti & ille, qui jure speciali vel consuetudine deputatus jam fuerat ante electionem in œconomum. Lott. cit. q. 17. à nu. 308. juxta dicta supra ad quaest. an electus ut œconomus administrare queat ante confirmationem. Item qui deputatus quidem (intellige, etiam ex libero aliorum arbitrio, & non ex jure speciali) ad administrandum sub titulo œconomi similive, non tamen se administrationi actu immiscuit; cum ad dictam pœnam incurrandam non sufficiat sola possessio vel constitutio in œconomum vel procuratorem; sed requiratur realis administratio, & perceptio fructuum; quia constitutio puniens facientem, non censetur lata in eum, qui se parat ad faciendum; & verba legis pœnalis debent intelligi cum effectu. Tamb. loc. cit. citans Gl. in c. avaritia. v. eo ipso. Archid. n. 4. Abb. in c. qualiter. n. 1. Put. decis. 45. l. 5. Laym. in c. avaritia. n. 3. Pirh. ad tit. de elect. n. 292. not. 4. citans insuper Gl. hic. v. privatos. Franc. n. 8. Alias limitationes plures vide supra, ubi, an textus ille c. avaritia. sit universalis. De cetero vera non videtur illa limitatio, quam assertit Barbof. juris Eccl. l. 1. c. 19. n. 248. quod procedat pœna illa solum contra eos, qui administrationi se ingerunt, non curando de confirmatione, ne se submittant periculo cassationis; cum tangat etiam eos, qui etiam petierint, interea tamen, dum expectant confirmationem, administrant.

5. E contra primò incurri adhuc dictam pœnam ab administrante post confirmationem quidem, sed nullam, dum proponitur excusatio ex errore juris; tectus si ex errore facti, siue dum administrans ob ignorantiam juris credit eam esse validam; tectus, si illud credit ob ignorantiam facti, tenent Tamb. loc. cit. n. 8. & 9. cum Gl. in c. fin. v. inanes. de elect. in 6. Gemin. in c. avaritia. n. 7. Franc. n. 4. in fine. Gabr. conf. 199. n. 5. l. 1. Marefch. var. resol. l. 2. c. 35. num. 50. in fine. & Rota in Bracharenf. paroch. 13. Jun. 1605. & in Benevent. Vicaria. 18. Jun. 1617. ad quos accedunt Castell. de elect. c. 14. n. 14. Lavor. de elect. c. 25. n. 68. Citati à Pass. Item Lott. l. 3. q. 17. n. 316. & l. 2. q. 13. n. 10. & 11. ubi: quod dictum est de quacunque causa colorata, referendum est ad causam erroris in facto, non autem ad causam erroris in jure. Quin & idem esse de errore in jure, quod de errore in facto, dum jus est valde dubium, confurgente hæc dubietate aut ex mixtura facti, aut ex opi-

nionum conflictu, tenent iidem Tamb. loc. cit. & Lott. cit. q. 13. n. 12. citantes Marefch. var. resol. l. 2. c. 35. n. 50.

6. Contrarium tamen etiam probabiliter, si non probabilius, ob rationem, quam asfert, censet Pass. cit. c. 33. n. 19. nempe in casu confirmationis nullius non incurri dictas penas *cap. avaritia*, ubi administrans eam validam credit, sive id credat errando in iure, sive errando in facto; adeoque sive ea à parte rei sit invalida ex jurisdictionis defectu in confirmante, sive ex defectu & omissione citationis faciendæ. Tum quia etiam administrantem ante confirmationem ignorantia & qualibet causa excusat, ut dictum, à penis *cit. capitis*: tum quia non sufficit sola intrusio ad illas incurrendas; sed requiritur etiam temeritas, à qua talem liberat dicta ignorantia, sive facti, sive juris; ac denique quia pœna illa in *c. avaritia*, lata est contra administrantes ante confirmationem; non verò contra administrantes post illam, etsi nullam; pœnæ autem ad diversos casus non sunt extendendæ.

7. Secundò etiam incurritur dicta pœna *c. avaritia*, quando appellatum est à confirmatione, & nihilominus electus confirmatus, non attendit legitimam appellationem attentans administrat. Tamb. loc. cit. q. 11. Lott. loc. cit. n. 312. Pass. cit. n. 19. cum Gl. in *c. avaritia*, v. *confirmetur*; cum enim appellatio legitima suspendat effectum confirmationis, talis re ipsa confirmatus non est. Pass. loc. cit. ad 6. que si in vim talis confirmationis, cuius effectus est suspensus, cepisset administrare, non excluderetur adhuc fraus, sed censeretur adhuc quæsisse colorem. Lott. loc. cit. Verùm hæc intelligenda de confirmatione judiciali, seu obtrata in formali iudicio, scilicet vocatis vocandis, & iis comparentibus & opponentibus; siquidem, si nullo tali comparente, Superior confirmavit sine contradictione, etsi de cetero interposita fuerit à tertio non vocato, nec existente in iudicio, appellatio hæc, utpote extrajudicialis, non impedit effectum confirmationis, sed eâ non obstantè, dabitur possessio, & possessor administrabit. Lott. loc. cit. n. 313. & 314. Tamb. cit. n. 11. citans Gemin. in *c. avaritia*, n. 7. Butrio. n. 7. & seg. Lap. n. 2. 3. 4. & c. Quin & ait Pass. loc. cit. dici posse quoque oppositum; nempe non incurri dictas penas ab administrante post appellationem à confirmatione, non tantum ubi appellatio est extrajudicialis, sed etiam absolutè; eò quòd talis adhuc administrat, non ex vi solius electionis (quod est id, quod prohibetur in *c. avaritia*.) sed ex vi confirmationis; pro quo citat Seraph. decis. 1238. n. 9.

8. Tertio, quod notandum, pœna illa incurritur per unicum actum perfectum & consummatum administrationis. Pass. cit. c. 33. n. 21. Barbof. juris Eccles. l. 1. c. 19. n. 247. Lott. l. 2. q. 13. n. 8. Dicitur autem actus perfectus & consummatum, non ex instrumentali possessione, sed ex actuali possessione fructuum, sive temporalium, sive spiritualium, v. g. per exactiorem & præstationem juramenti. Lott. loc. cit. n. 7. Pass. loc. cit. Barbof. loc. cit. citans Gabr. conf. 199. num. 4. l. 1. Put. decis. 45. lib. 3. Rotam decis. 83. n. 3. & 6. p. 3. l. 3. divers.

* *

B. Lowen, Fori Benef. Tom. II.

Quæstio 436. An præter hanc pœnam privationis juris quæsitæ eo ipso iure inductam propter administrationem usurpatam ante confirmationem incurrat quoque & alia pœna, nempe privatio aliorum beneficiorum ab eo habitorum, & inhabilitas ad beneficia?

1. Respondeo primò: tamen non habitam confirmationem (idem est de institutione, juxta Tamb. Lott. ceterosque AA. illos supra citatos) miscentis se administrationi cassatæ electione ipso iure, vel per sententiam, prout is immiscuit se simpliciter vel colore quæsitæ, vacet eo ipso beneficium, ad quod electus fuit talis, ut prius, ac quasi nulla facta fuisset electio aut præsentatio, illudque juxta Tamb. loc. cit. num. 14. & Lott. l. 2. q. 13. n. 15. impetrari possit vacans ut prius, nullâ etiam factâ mentione intrusionis in specie; cum sufficiat clausula: *amoto* (quod tamen intelligendum: non eligentibus de novo Electoribus, vel Patrono præsentante; cum non statim, ut dicitur postea, hoc ipso per talem electi ingestionem in administrationem tollatur quoque illis jus eligendi & præsentandi) non tamen in pœnam dictæ administrationis inducitur privatio reliquorum beneficiorum ab eo prius habitorum; cum neque verba, neque ratio dictæ decretalis *avaritia*, vel etiam *c. qualiter*, hoc inferant. Lott. cit. q. 13. num. 16. Tamb. n. 15. testantes, sic resolutum à Rota in *Murimense*, *Canonic. 14. Martii. 1603.*

2. Respondeo secundò, reddi tamen talem, qui in dictam decretalem commisit, in pœnam hujus delicti non solum ineligibilem ad eandem prælaturam, sed & ad alias prælaturas, vel beneficia, sive in eadem, sive in diversa existent Ecclesia, tenent Azor. p. 2. l. 3. c. 17. q. 14. Lott. cit. q. 13. n. 17. Tamb. loc. cit. n. 15. citantes Pet. de Baifio. *tr. de elect. p. 2. c. 8. n. 1. Menoch. de arb. cas. 403. n. 2. & 3. Verumtamen Pirh. ad tit. de elect. n. 290. not. 2. Puffl. c. n. 18. cum Abb. in *c. qualiter*, n. 8. etsi admittant hanc ad ea ineligibilitatem, cum tamen tradunt non oriri seu infligi (intellige inmediate) ratione illius administrationis usurpatæ; adeoque nec vi *c. qualiter*, aut *c. avaritia*, sed ratione cassationis electionis, dum vi *c. super eo. de elect.* rejectus semel ob vitium suum ab una electione, seu cujus semel rescissa electio ob vitium electi, redditur ineligibilis per alias electiones, seu ad nullam amplius prælaturam per electionem promoveri potest. Quin &, si Papa, ut Pirh. loc. cit. ex Abb. loc. cit. n. ult. talem semel rejectum promoveat ad prælaturam, ignorans vitium intrusionis, invalida erit promotio, quia subrepticia, nisi promotus vitium intrusionis expressisset.*

Quæstio 437. An, & qualiter legitime electus, qui ex potentia Principis secularis ingessit se administrationi ante confirmationem, incurrat dictam pœnam privationis juris quæsitæ per electionem, aut etiam aliam illam ineligibilitatis?

1. Respondeo primò, talem incurrare dictam pœnam vi *cap. qualiter*, vel *avaritia*, ipso iure vel per sententiam, prout administravit simpliciter, vel sub nomine economi, similive titulo ministrandi; vel etiam sub hoc ipso prætextu, nempe

P

in

in vim procurata seu adhibitæ potentia secularis, dubium vix esse potest.

2. Respondeo secundò, incurri quoque à tali ineligibilitate illam, non tamen ratione puræ illius administrationis, seu dictarum decretalium; sed propter abusum secularis potestatis vi *cap. quisquis. de elect.* censet Abb. *loc. cit.* apud Pass. *cit. n. 18.* qui tamen ipse dicit, ne quidem illud undequaque verum esse; eò quòd inhabilitas lata in *c. quisquis.* respiciat solum illos, qui consentiunt electioni de se factæ per abusum secularis potestatis, qui non simpliciter reddantur inhabiles, sed ad dignitates: non verò is canon eos afficiat hâc penâ, qui ubi sunt legitime electi, per abusum secularis potestatis, se ingerunt in administratione Prælatuæ, ad quam electi sunt; cum penâ non sint extendendæ à casu ad casum.

Questio 438. An, & qualiter confirmati, necdum obtentis literis confirmationis, possint administrare?

1. Respondeo primò: Episcopi & alii Prælati superiores, nec non Abbates, Priores, & ceteri Monasteriorum regimina exercentes, quocunque nomine censeantur, qui apud Sedem Apostolicam promoventur, aut confirmationem, consecrationem, vel benedictionem recipiunt, nullatenus absque obtentis ab eadem Sede Apostolica huiusmodi eorum promotionum, confirmationum, consecrationum, vel benedictionum literis, iisq; Capitulo vel Conventui ostensis ac presentatis, administrationem suscipere, aut tanquam Prælati Ecclesiæ recipi nequeunt; sic enim expressè statuit Bonifac. VIII. in *Extravag. in iuncta. de elect. inter commun.* Pirh. *ad rit. de elect. n. 293.* Pass. *de elect. c. 33. n. 21.* citans Paris. *de rescript. l. 8. q. 5. n. 33.* Azor. *p. 2. l. 7. c. 1. q. 2.* & plures alios.

2. Ratio hujus constitutionis est, quòd licet scripturæ, literæ, Bullæ, continentis concessionem gratiæ seu privilegii non sint de substantia acquisitionis beneficii, vel confirmationis, vel gratiæ obtentæ à Papa (etsi hic non concedat gratias verbo, sed scripto. Felin. *conf. 6. n. 2.* apud Pass. *n. 27.*) vel Prælato superiore, Pass. *cit. n. 27.* Pirh. *l. cit.* Tamb. *de iure Abb. tom. 1. d. 16. q. 2. n. 1.* citans Nav. *conf. 1. de privileg. n. 1.* Rodriq. *qq. regul. tom. 1. q. 7. a. 5.* Abb. in *c. nostra. de rescript. n. 11.* Gonz. *gl. 12. n. 45.* Sanch. *de matrim. l. 8. d. 29. n. 2.* & plures alios: Et gratia Papæ non per literas, sed per signaturam gratiæ registratam essentialiter perficitur, ut dictum sæpè aliàs. Et hinc, si Papa solo verbo aliquem pronunciet Episcopum, Prælaturam, Abbatem, &c. vel electionem ejus, aut aliam provisionem approbet, is illico, etiam sine literis nondum formatis vel expeditis, sit verus Episcopus, Prælatus, Abbas. Pirh. *l. cit.* Tamb. *l. cit. n. 2.* At tamen in foro exteriori, ut talem se habere non potest, adeundo administrationem; neque ut talis recipiendus; cum gratia sine literis probari nequeat. Pirh. *loc. cit.* Tamb. *n. 3.* citans AA. in *rubric. de consuet. & ibi Felin. n. 5.* Bald. in *l. humanum. c. de LL. Bellam. decis. 746.* Sarn. &c. ne quidem per testes, ut Pirh. citans Abb. in *c. nostri. de elect. n. 4.* & in *c. qualiter. not. 1.* Adeoque litera sint de substantia probationis gratiæ, nimirum ad hoc, ut iis, quorum interest, nota sit gratia. Pass. *loc. cit.* (quod ipsum tamen limitandum aliquantum, prout mox limitatione 3. dicitur) juxta quæ intelligendum illud; quòd supplicatio perficitur expedi-

tione literarum, & quòd sola non sufficiat; nempe quòd illud procedat quòd ad justificationem & canonizationem gratiæ, ut dictum aliàs. Rationem quoque dictæ *Extrav.* dicit Pirh. ex Imol. esse, ut promoti citius literas Papales ex Curia procurent, de quibus aliàs non curarent. Unde jam declaratus Episcopus per Papam in Consistorio, ut moris est, certissimum habens de hac sua promotione nuntium, adhuc tamen administrare nequit sine acceptis & exhibitis suæ promotionis literis. Pirh. *loc. cit.* citans Abb. in *c. qualiter. de elect. n. 1.* Sic quoque Prælatus sciens certò, literas suæ promotionis, confirmationis, &c. expeditas, & ad se transmissas, adhuc ante eas acceptas, & Capitulo vel Conventui presentatas administrare nequit. Pass. *loc. cit.*

3. Quin & respectu recipientium talem ita necessaria est ista literarum exhibitio, ut nulla ex parte eorum ostendi possit exculatio prætextu certæ notitiæ de promotione talis aliunde habita. Lott. *l. 3. q. 19. n. 6.* citans Felin. in *c. cam. re. de rescript. n. 3.* eò quòd cum lex certam exigat formam probationis (uti dicta *Extrav.* pro forma probationis in ordine ad receptionem talis ad administrationem exigat exhibitionem literarum, quæ proinde aliter impleri non potest, quam per earum exhibitionem. Lott. *loc. cit. nu. 5.* citans Vital. in *clément. 1. de iurep. n. 30.*) non admittitur suppletio ex notitia aliunde, seu aliter comparata. Lott. *n. 7.* citans Felin. in *c. ceterum. n. 17. de rescript.*

4. Limitatur responsio & dicta *Extrav.* primò, ut locum non habeat in Commendatario ad tempus; quia loquitur tantum de titulari. Pass. *loc. cit. n. 22.* citans Paris. *de rescript. l. 7. q. 21. n. 20.* Barbof. *ad cit. Extrav. n. 4.*

5. Limitatur secundò, ut non extendatur ad Cardinales; sed hi administrare possint, & jurisdictionem exercere ante expeditionem literarum apostolicarum. Pirh. *n. 294.* in *fine.* Pass. *l. cit. n. 23.* citans Gonz. *gl. 24. n. 7.* Selv. *de benef. p. 2. q. 3. n. 46.* Barbof. *de off. Episc. alleg. 111. n. 35.* Dian. *p. 5. tom. 2. resol. 47.* Rationem etiam addit Pass. eò quòd in iis deficiat ratio citatæ *Extrav.* quæ fuit tollere ab usum aliquorum prælatorum, qui volebant sibi crediti super provisionibus sine literis, & suâ auctoritate more malo concutiebant Collegia ad se recipiendum; quod de S. R. E. Cardinalibus præsumi nequit.

6. Limitatur tertio à Gl. in *cit. Extrav. v. non presumant.* quam citat & sequitur Pirh. *cit. num. 294.* quamque apud eundem esse conformem æquitati, & temperare rigorem juris, dicit Fagn. in *c. nihil. de elect. n. 21. & seq.* quamvis ipse contrarium teneat *n. 31.* ut ea *Extrav.* non habeat locum, si Episcopus promotus, vel confirmatus, aut consecratus in Curia, literas papales desuper obtinere non potuit, v. g. propter obitum Papæ; tum enim non teneatur longo tempore in Curia manere, sed possit inde discedere, & interim res & jura suæ Ecclesiæ administrare; etiam literis non expeditis, eò quòd in illa *Extrav.* damnetur temeraria præsumptio recedentium à Curia, & administrantium sine dictis literis; qualis præsumptio temeraria non est in tali casu necessitatis; cum qui non nisi necessitate compulsus agit, non dicatur præsumere; & necessitas in qualibet dispositione intelligitur excepta, juxta *l. et. de pen. & remiss.* Et necessitas faciat licitum, quòd aliàs est illicitum, juxta *c. quoniam. l. q. 7. c. 1. de serijs. &c.* Ad hæc talis pronuntiatus vel confirmatus, etiam ante Bullas sit verus prælatus, & ple-

num jus habeat, ideo non debeat rigide exigi, ut provisio seu promotio Episcopi in Curia probeatur per literas, sicut ob necessitatem tenor gratiæ Apostolicæ probari potest per testes, si literæ sint perditæ, ut Felin. in rub. de constit. n. 6.

Quæstio 439. Quæ pœnæ sint statuta in committentes contra hanc Extravag.

1. **R**espondeo primò, statui, ut quicquid tales circa hanc administrationem egerint, irritum sit. Secundò, ut interim nihil ex Ecclesiis vel Monasteriorum proventus percipere possint. Ita dicta Extravag. §. quod si forsitan. Tertiò, ut Capitula Ecclesiarum Cathedralium, vel aliarum secularium, & Conventus Ecclesiarum Regularium, & alii quicumque ipsos absque hujusmodi literis Sedis Apostolicæ recipiunt, vel eis obediunt, tamdiu sint à beneficiis suorum perceptione suspensi, donec à Sede Apostolica gratiam relaxationis obtineant. Ita illa Extravag. §. Capitula verò. Porro hæc pœnæ, nempe ut proventus interim non faciant suos, & quidquid ab iis gestum, non subsistat, extenduntur ad Episcopos aliisque Prælatos administrantes non præstito solito fidelitatis juramento. *ibid.* §. similiter. Item ad Episcopos, qui apud eandem Sedem pallium accipere debent, & ab ea discedunt non obtentis literis traditionis pallii, vel non præstito solito fidelitatis juramento. Eadem Extravag. §. fin. Pirh. n. 293.

2. Limitatur responsio seu Extravag. dicta quòd ad has pœnas primò: ut ab aliis pœnis incurrendis excusetur causa quælibet, etiam injusta & fatua, modò dolus excludat; eò quòd ad has pœnas incurrendas requiritur præsumptio & dolus; quòd indicatur illis Extravag. verbis: *administrationem admittere non presumant.* Pass. n. 21. citans Barbof. ad c. avaritia. n. 4. & *l. i. juris Ecclesiast.* c. 19. n. 247. ubi tamen is non agit de pœnis statutis per hanc Extravag. administrantibus post confirmationem quidem, sed sine literis; sed de pœnis statutis in e. qualiter. & c. avaritia. administrantibus ante confirmationem. Verum tamen in utrisque par videtur ratio; cum tam in his quàm illis incurrendis Papa requirat temeritatem & præsumptionem.

3. Limitatur secundò: ut pœnæ illæ latæ tam contra ipsos Prælatos miscentes se administrationi, quàm Capitula eos recipientes sine literis, non videantur obligare in conscientia ante sententiam declaratoriam, ut doceri ait Pass. loc. cit. à Nav. in c. accepta. de restit. spoliat. opposit. 8. n. 35. Jo. Valer. de differ. atriisque fori v. obedientia. diff. 4. Barbof. ad cit. Extravag. injuncta. n. 3. Sic etiam Pirh. cit. n. 294. ait, hujus Extravag. pœnas non incurri ab eo in foro conscientie, qui, collatione sibi factâ, ante receptas literas bonâ fide administravit quædam negotia Ecclesiæ, pro quo citat Nav. ubi ante.

4. Illud quoque notandum circa pœnam suspensionis latam contra Capitula recipientia tales; quòd ea juxta Suar. intelligatur de solis beneficiis, quæ capitulariter possident; à Passerino verò, citante pro hoc Bonacin. de cens. d. 3. q. 11. p. 10. de beneficiis singulorum, ita ut suspendantur singuli à propriis beneficiis, cum suspendantur, quicumque Prælatos sine literis Apostolicis venientes recipiunt.

* * *

Quæstio 440. An, & quid quo ad hoc punctum non administrandi ante literas constitutum sit circa Regulares?

1. **R**espondeo: dum Regulares aliqui ad eludendam Regulam Cancellar. in quâ Papa sibi reservat omnia virorum monasteria valorem annuum 200. florenorum aureorum excedentia, quomodocunque vacantia; & quòd ad ea, quibus speciali gratia permittebat electionem, sibi in specie confirmationem reservavit: curabant se indifferenter eligi, & electionem per Regulares Superiores suos, aut per Ordinarios locorum confirmari, hisque confirmationibus freti intrudebant se in monasteriis aliisque dignitatibus regularibus; ad occurrendum hisce fraudibus, statuit Pius IV. anno 1564. constituit. sua in Bullario 86. præter irritationem istarum electionum & confirmationum, & privationem fructuum, ut regimini & administrationi monasterii aliisque dignitatis conventualis, ad quod vel ad quam electi in spiritualibus, antequam ritè celebrata electione à Sede Apostolica confirmata, & literæ desuper expeditæ, per se vel per alium, in totum vel in parte, quovis colore immiscere, aut ad illud vel illam se recipi facere, vel aliàs se pro ejus Prælati gerere præsumentes jure, si quod illis ad monasteria vel eorum regimina, ac aliàs conventuales dignitates per electionem acquisitum, eo ipso sint privati, & deinceps ineligibiles, ipsaque monasteria ac dignitates ab Eadem Sede impetrari possint; qui verò similes electiones confirmare præsumperint, eo ipso etiam, si sint Superiores Ordinum, suis dignitatibus sint privati; si autem sint Ordinarii locorum, etiam si Archiepiscopali, & majore præcellant dignitate, ingressi Ecclesiæ interdicti, & ab Ecclesiis suarum regimine sint suspensi. Ita ferè sonant verba dictæ constitut. ut videre est apud Lott. l. 3. q. 17. n. 317.

2. Circa hanc constitutionem advertenda sequentia: primò, eam non esse restrictam ad casum coloris quæsitæ, de quo c. avaritia. nec ad casum regiminis aut administrationis cum effectu susceptæ, hoc est, actuali perceptione fructuum, sive temporalium sive spiritualium; sed extendi etiam ad casum simplicis occupationis de facto, non tantum ante confirmationem obtentam; sed etiam post eam obtentam à Sede Apostolica, sed nondum expeditis literis; ad quod postremum se non extendit c. avaritia. Item non tantum ad eos, qui se ingesserint; sed etiam ad eos, qui vel id præsumperint, aut aliàs se gesserint pro Prælati (hoc est, ut Lott. se nominarint tales, cum gerere se pro aliquo non tam fit facti quàm animi, ut ideo in simplici asseveratione verificetur) Lott. loc. cit. n. 318. 319. Secundò; quòd pœna illa inhabilitatis, qua in cit. c. avaritia, non expressè, sed ad summum interpretativè ex quadam necessaria consequentia inducitur, inducatur per hanc constitutionem expressè, adeoque magis censentur afficere. Lott. n. 320. & 321. Tertiò: mitius nihilominus in hac expressione agi cum regulari, quàm cum ceteris, agar ille text. avaritia; cum hæc inhabilitas in hac constitut. Pii IV. restringatur ad locum, cum dicitur: *ac deinceps ibi ineligibiles esse: in cap. autem avaritia.* reddantur ineligibiles indeterminate. Lott. n. 322.

& 323.

Quaestio 441. An Pralati, qui non providentur aut confirmantur per Sedem Apostolicam, sed ab inferioribus Pralatis, confirmati vel instituti, ante tamen obtentas confirmationis suae aut institutionis literas accipere possint possessionem, & ingerere se administrationi?

Respondeo primò: in iis quidem locum non habere dictam *Extravag. injuncta*; cum hæc constitutio sit pœnalis, adeoque non extendenda ad casus non expressos. *Pasf. cit. c. 33. n. 24.* juxta *Gl. in cit. Extrav. v. non presument.* adeoque, ut *Idem Pasf.* locum quoque non habet in beneficiis (intellige, quorum de cetero provisio, vel institutio, vel confirmatio accepta in Curia per Papam) quæ non sunt dignitas, nec habent administrationem jurisdictionis; cum nec ista in illa *Extrav.* sint expressa. Verumtamen

2. Respondeo secundò: etiam independentè à dicta *Extrav.* & generaliter loquendo; adeoque etiam confirmati, instituti ab inferiore quàm Papà, ante obtentas & ostensas literas suæ confirmationis, institutionis alteriusve provisionis possunt administrare validè ac impunè quidem, sed non ordinatè, quietè ac securè Prælaturam, ad quam per electionem confirmati, aut per institutionem promoti sunt. *Pasf. loc. cit. n. 25.*

3. Primò impunè; quia in iis locum non habent decretales qualiter. & *avaritia.* utpote per quas imponitur pœna non nisi administrantibus ante confirmationem; neque etiam *Extrav. injuncta.* ut dictum. Dein etiam validè; quia per confirmationem, institutionem datur electo, instituto jus in re, seu dominium in prælatura vel beneficio, & facultas, imò & exercitium administrationis, ut *Abb. in c. nosti. n. 2.* *Felin. in c. ne Dei. de simon. Franc. in c. quàm sit. de elect. in 6. v. electus. Oldr. cons. 146. n. 4. n. 4.* *Blax. in direct. elect. p. 1. c. 8.* *Barbol. in c. transmissam. de elect. n. 2. &c.* quos citat & sequitur *Pasf. loc. cit.* Item *Lott. l. 1. q. 27. n. 7.* ubi: confirmatione obtentâ, assequitur confirmatus plenam administrationem omnium pertinentium ad jurisdictionem: adeoque statim vi confirmationis, etiam sine literis, & ante apprehensam possessionem corporalem validè administrat. *Pasf. loc. cit.* citans pro hoc *Abb. in c. transmissam. n. 3.* & *Barbol. n. 2.* *Milif. in repertor. v. possessio. Rebuff. de pacif. pass. n. 243.* *Garc. p. 4. c. 2. n. 7.* ubi non adest jus positivum, dominium illud vinculans, & exercitium impediens & irritans, uti facit *cit. Extrav. injuncta.* respectu confirmatorum à Papa. Unde jam etiam beneficiatus vel prælatus vi confirmationis habens jam titulum canonicum propriâ auctoritate sine alia facultate validè & impunè accipit possessionem beneficii vel prælaturæ. *Pasf. ibid.* citans *Abb. ubi ante.* *Barbol. ubi ante. n. 3.* *Ripam in c. sapè. de restit. spol. num. 69.* *Garc. ubi ante. n. 6.* *Mandol. Menoch. &c.*

4. Secundò: non tamen ordinatè, quietè & securè (multa enim sunt validè & impunè, quæ tamen non fiunt quietè & sine oppositione, sed impediuntur, ne fiant, vel facta vocantur in dubium; & sic etiam consistunt: esse dominium rei, & tamen indigere ope Judicis, ut mittatur in possessionem illius, ut patet in legatario, qui à tempore aditæ hæreditatis dominium acquirit legati, & tamen convincitur remedio possessorio, si propriâ auctoritate accipiat possessionem. *Pasf. n. 26.*) quia, ut

quietè ac pacificè administret, requiruntur tria: nempe literæ continentés promotionem, facultas acquirendi possessionem, & missio in possessionem. *Pasf. loc. cit.* Imprimis enim literæ hæc, ut dictum, sunt de substantia probationis gratiæ, in ordine, ut nota sit gratia, v. g. in præfenti confirmatio electionis iis, quorum interest; cum aliàs Ecclesia non teneatur credere asserenti electiois suæ confirmationem; sed potest illi resistere, & impedire, ne administret prælaturam vel beneficium. *Pasf. n. 27.* Atque ita jam, si confirmatus ab inferiore confirmatore ante obtentas literas sine contradictione administret, administrat validè; & si Collegium vel Conventus eum in prælaturam recipiat, recipit validè; verùm, si contra eum insurgat oppositio & lis, non erit in sua administratione & possessione quietus, donec probet suam confirmationem per literas. Hinc per se & universaliter loquendo literæ hæc sunt necessaria ad hoc, ut promotus seu confirmatus quietè, ac pacificè, & securè administret.

Quaestio 442. An confirmatus sine accepta possessione beneficii vel Prælaturæ possit administrare, & an dictam possessionem accipere possit literis nondum expeditis, aut ostensis?

Respondeo ad primum (quod commune est confirmato cum instituto vel aliter provisio) sine possessione legitimè accepta non posse confirmatum administrationem suscipere, ait *Pasf. de elect. c. 33. n. 25.* ubi etiam ex *Archid. in c. avaritia. de elect. & in c. eum qui. de prob.* quòd etiam antiquitus dicebatur, non posse confirmatum administrare, nisi secuta installatione, seu investitura, seu missione in possessionem. Neque tamen sibi contradicit *Idem Pasf.* dum paulò post subjungit: confirmatus ex vi confirmationis sine literis, & ante apprehensionem possessionis corporalis validè & impunè administrat. Unde etiam *Garc. p. 4. c. 2. n. 7.* dicat, eum, qui obtinuerit beneficium, cui annexum jus patronatus, ante adeptam possessionem beneficii posse præsentare; & dum hujus à se dicti rationem dat in *fine n. 25.* dicendo: qui enim obtinet Prælaturam vel beneficium, statim sine apprehensione aliqua vi confirmationis obtinet jus & dominium in beneficio: non inquam, hæc scribendo sibi contradicit. Nam ut ex ipsiusmet verbis patet, restringit id tantum ad validam & impunè administrationem; ita tamen, ut velit eum non posse adhuc administrare quietè & securè ante acceptam possessionem.

2. De cetero, posse spectato jure communi electum confirmatum, vel aliter institutum ante solennem installationem & corporalem introductionem in possessionem statim administrare jura ac bona Ecclesiæ, tam in spiritualibus quàm temporalibus, habet communis. *Lott. l. 1. q. 27. à n. 23.* Item *Garc. p. 5. c. 4. num. 244. & 250.* *Innoc. in c. transmissam. de elect. n. 1.* *Jo. Andr. n. 8.* *Abb. n. 3.* quos citat & sequitur *Pirh. ad tit. de elect. n. 340.* Idque Argumento *c. nosti. & qualiter. c. nihil. de elect.* quippe qui textus videntur requirere solam confirmationem ad administrandum; *Extravag. verò injuncta. de prob. inter comm. & constit. Julii 3.* de qua paulò post, præter confirmationem non nisi literas Apostolicas quò ad beneficia, de quibus quis provisus à Sede Apostolica. Argumento etiam illud

est,

est, quod post provisionem vel confirmationem, & literis desuper expeditis, etiam ante occupatam possessionem, censetur sedes non amplius vacare, & Capitulum nequeat amplius jurisdictionem exercere. Pirh. loc. cit. citans Garc. ubi ante. n. 245. Huc etiam spectat, quod, ut dicendum paulo post, in iuribus incorporalibus pro eorum exercitio sufficiat habere jus citra facti possessionem. Limitando nihilominus hæc secundum dicenda q. seq. & reflectendo ad illud, quod dictum: *speciato jure communi.*

3 Respondeo ad secundum: vetitum jam olim sub pœna privationis beneficii accipere possessionem beneficiorum, de quibus à Papa provisus, etiam si ea consistorialia non sint, literis non expeditis, ait Lott. l. 3. q. 19. n. 3. citans Felin. in c. veniens, de accusat. n. 3. Similiter vi constitutionis Iulii 3. quæ est illius 34. quàmque ad fufum recitat Lott. loc. cit. n. 1. prohibentur non solum electi & promoti ad consistorialia, sed etiam omnes alii provisivi Apostolici de quibuscunque beneficiis, eorum possessionem apprehendere ante expeditionem literarum, sub pœna privationis ipso jure; quin & sub pœnis statutis in *Extrav. injuncta*, contra recipientes illos sine ostensis literis ad administrationem; cum prius hæc pœna privationis ipso jure respectu tantum consistorialium beneficiorum inducta fuisset, & respectu non consistorialium solum pœna privationis ferenda. Lott. loc. cit. n. 17. qui etiam n. 18. addit, rationem amplianda illius pœnæ respectu adeptum sine literis beneficiorum illorum non consistorialium possessionem. Sic itaque ad incurrendam hanc pœnam privationis non solum beneficii, ad quod quis promotus per Sedem Apostolicam, sed & aliorum jam prius habitorum requiritur factum ipsum apprehensionis, & non sufficit, electum, confirmatum, seu aliter provisum per Sedem Apostolicam ante adeptam possessionem gessisse se pro tali; cum id ad contemptum non concludat; veluti si beneficia ad suam collationem spectantia contulisset, quod est ei permissum, & quo non extendit se *Extrav. injuncta*. cum in iuribus incorporalibus pro eorum exercitio sufficiat habere jus citra facti possessionem; ut patet etiam in patronatu hereditario, ubi patronus juxta Roch. de jurep. v. ipsi vel ij. n. 24. Rebuff. in pr. de simon. in resig. à n. 25. cum communi. valide præsentat, etiam antequam sit immisus in hereditatem, Lott. cit. q. 19. à n. 28.

4 Quo minus verò censeatur actum contra dictam constitut. & pœnæ ejusdem incursum, non obstat nullitas sumptæ vel acceptæ possessionis; quippe lex contemptum considerat, qui in simplici facto consistit, cujus proinde consideratio militat æque in actu nullo ac valido. Lott. loc. cit. n. 31. quamvis id limitet ad finem n. 32. hisce verbis: utunque stante nullitate hujusmodi non incurrat pœna privationis quoque aliorum beneficiorum ab eo obtentorum, ut Verall. decis. 98. n. 2. & 3. p. 3. & Rota in Verdunens. paroch. 23. Julii, 1586. Uti nec obstat, quò minus dictæ pœnæ incurrantur, penitentia & abstinentia ab ulteriore ingestione; cum, ut Gl. in clem. 1. §. quia verò, vers. ipso facto, de statu Monach. consummato delicto intemptiva sit penitentia pro evitanda pœna ipso jure inflata. Lott. n. 32. Neque evitabitur transgressio hujus Constitutionis, & incursum pœnarum, quòd provisus à Papa prætermisissæ expeditione literarum prætextu multiplicandi titulum, procuret sibi provideri de eodem beneficio ab inferiore (dum is quoque de eodem

providere potest) & cum tali provisione ingrediatur possessionem, cum videatur sic potius quæsitus color pro eludenda hujus constitutionis dispositione, quàm adhibitum sanum consilium pro multiplicando titulo (etsi de cetero etiam titulus Apostolicus, etiam validus, multiplicabilis sit ex provisione facta ab inferiore. Lott. loc. cit. n. 42.) cum cessante necessitate hujus multiplicationis, hæc dicatur nimia cautela, ex qua magis fraus & dolus colligitur. Lott. n. 40. & 41. Qualiter verò etiam multiplicando titulum ex alia ejusdem Papæ provisione committi possit in dictam constitutionem, & incurri ejus pœnæ, ostendit Lott. n. 52. Illud etiam ex eodem Lott. à n. 33. notandum, eum, qui impetrat ex hoc capite vacans beneficium, debere probare non expeditionem literarum tempore sumptæ possessionis, quòd ait esse difficile; eò quòd quodocunque exhibentur litera, præsumatur expeditio facta in tempore; tum pro evitando delicto, tum quia inter alia illud est possessionis commodum. Cautelam quoque addit Lott. n. 35. quæ uti posset reus, ne ex productione literarum prodatur, illas esse expeditas post sumptam possessionem. Justificatà verò semel impetratione ex hoc capite, intrusum non solum destitui beneficio regularum de annali & triennali; sed nec excusari posse ex non usu, stante decreto irrante contento in illa Constitut. aut ignorantia, utpote nimis crassa, ait Lott. num. 57. & 58. Uti nec ullam prætendi posse dictæ constitutionis ignorantiam; cum sit in viridi observantia, cit. n. 60.

5 Respondeo ad secundum secundò: loquendo de alijs provisus vel confirmatis, non per Sedem Apostolicam, sed ab alijs inferioribus, possunt hi capere possessionem sine literis provisionis, Lott. cit. q. 19. n. 26. ubi ait, quòd dicta constitutio Iulij nullo modo locum sibi vindicare possit in alijs, quàm in provisus Apostolicis; utpote in quibus solis militare possit ratio illa contemptus præcepti de expediendo literas; cum in inferioribus non cadat illa necessitas literarum. Idem de iisdem provisus, etsi utens distinctione aliqua, nempe possessionis capta valide, & impunè & possessionis capta quietè & pacificè, tradit Pass. dum c. 33. de elect. sub n. 25. ait, quòd beneficiatus vel prælatus vi confirmationis suæ, utpote jam habens titulum canonicum propriâ auctoritate sine alia facultate, valide & impunè accipere potest possessionem beneficii vel prælaturæ, citatque pro hoc quamplurimos juxta dicenda à nobis in fine hujus part. ubi de capienda possessione. quòd autem subintelligat, etià sine dictis literis, satis ex eo liquet, quòd hoc exemplo de possessione capienda confirmet id, quòd dixerat, posse confirmatum sine literis impunè & valide administrare, dicatque n. 29. expeditis literis confirmationem continentibus per se nulla licentia est necessaria pro accipienda possessione corporali, etiam quietè & pacificè, per quòd quoque indicat, quòd ante illas literas non capiat possessionem quietè & pacificè.

6 Sic etiam, si quis auctoritate legitimâ Ordinarii provisus, & ductus in possessionem, dein obtinisset novam provisionem à Papa, posse eum sine literis Apostolicis accipere vel continuare possessionem; eò quòd in tali non possit deprehendi aliud delictum quàm simplicis negligentia, ex qua necessariò non inferitur ad contemptum, pro ut contemptus est crimen distinctum à simplici negligentia, cujus potest esse, & non esse causa, tra-

dit Lott. *cit.* q. 19. n. 35. Quinimò, si presentatus à patrono, declinatà auctoritate Ordinarii, qui posset illum instituire, curaret se institui à Papa, adhuc non intraturam hanc Constitutionem Julij 3. eò quòd deficiat ejus ratio, quæ fundatur in supposito mera gratiæ, cujusmodi non est institutio, quæ potius est de justitiâ, tradit Lott. n. 47. Unde etiam n. 50. ait, considerandum propterea in hoc puncto semper, an presentatus egeat gratiâ Apostolicâ necne, quæ ipsa videntur applicari posse electo, qui etsi ab inferiore Confirmatore confirmari possit, recurrit tamen ad Papam sine necessitate, & ab eo confirmationem accipit.

7. Porro hæc intelligenda, ubi ita beneficium vacat, ut alius nullus sit actu in possessione illius, illudque administret; in hoc enim casu iste possessor non potest propriâ auctoritate, nec licitè nec validè spoliari possessione suâ; adeoque opus ministerio & officio Judicis ad adipiscendam possessionem. Pih. n. 341. Lott. l. 1. q. 27. n. 26. Pass. n. 31. juxta dicta à nobis aliàs.

8. Quòd si tamen etiam ad executionem hujus possessionis requiratur aliqua conditio (uti in *Extrav.* illa *injuncta*, requiritur, ut confirmatus præter juramentum fidelitatis & obedientiæ non potest accipere corporalem possessionem, nisi impletâ illâ conditione, & ut possessionem pacificè sumat, sufficit exhibere literas authenticas, in quibus constet de illa conditione impleri. Pass. n. 29. Quin & licet per se loquendo, etiam ad capiendam possessionem pacificè confirmatus obtentis confirmationis suæ literis non egeat ministerio Judicis, aut alterius officialis pro missione in possessionem; si tamen talis esset consuetudo, vel leges speciales de non adeunda possessione auctoritate propriâ, vel etiam non administrandi validè aut licitè sine prævia installatione solenni, hæc leges & consuetudines observandæ erunt. Pass. n. 30. Lott. l. 1. q. 27. n. 25. Quemadmodum etiam si in ipsis literis confirmationis, institutionis &c. datur Judex executionis, qui confirmatum vel institutum mittat in possessionem, hæc litera servandæ, & non accipienda possessio propriâ auctoritate, sed confirmatus institutus mittendus in possessionem à Judice ad id præstandum delegato. Pass. n. 32. quem vide ibidem pluribus de hac missione in possessionem per delegatum, uti & Garc. p. 6. c. 2. à n. 17. uti & dicenda à nobis infra, ubi de possessione.

Quæstio 443. An, & qualiter administrare possit Episcopus post obtentam confirmationis suæ literas ante consecrationem?

Respondeo primò: Episcopus confirmatus, obtentis literis confirmationis suæ, potest ea omnia exercere, quæ sunt jurisdictionis episcopalis; non verò ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis, seu consecrationem, sive jure divino, sive ecclesiastico requirunt, Pass. *de elect.* c. 33. n. 5. Pih. *ad tit. de elect.* n. 338. cum communi; juxta *c. inter corporalia. de translat. Episc.* & *c. transmissam. de elect.* & ibi DD. Per confirmationem enim canonicam electus acquirit jus in re, & perfectum quasi dominium in prælatura, contrahit conjugium cum Ecclesia quasi ratum, quod per electionem initiatum erat; & hinc conceditur ei plena administratio & potestas exercendi omnia, quæ sunt jurisdictionis Episcopalis, & non requirunt Ordinem seu characterem Episcopalem; hoc verò conjugium spiri-

tuale per consecrationem veluti confirmatur; Pih. *loc. cit.* juxta *c. 2. & ult. de translat. Episc.* & *Gl. in c. transmissam. de elect. v. de talibus.* & *Abb. ibid.* n. 3. Unde, quod ait *Gl. in c. transmissam.* eadenus Ecclesiam adhuc videri viduatam, quatenus Episcopus seu sponsus illius necdum est consecratus, intelligendum est respectu eorum, quæ sunt Ordinis. Lott. l. 1. q. 27. n. 10. ex Host. *in c. de multa. de præb.* n. 3. Unde jam

2. Respondeo ad primum & secundò: potest Episcopus ante consecrationem excommunicare, aliàsque censuras infligere, & ab ipsisdem absolvere, etiam si ne quidem sacerdos sit, siquidem id jurisdictionis, non Ordinis est episcopalis; dum etiam Prælati non Episcopi, nec sacerdotes habentes jurisdictionem ecclesiasticam, id possunt; eademque est ratio in absolvendo, quæ in ligando; estque utrumque ejusdem potestatis, non tamen potest absolvere ab iis in foro interno penitentia. Pih. *loc. cit.* *juncto n. 339.* Pass. *loc. cit.*

3. Item potest cognoscere & judicare per se causas clericorum, etiam criminales, etiam principaliter, & non solum incidenter propositas in judicio. Laym. *in c. transmissam. n. 2.* Pih. *cit. n. 339.* citans Innoc. *in cit. c. n. 2. v. inquisitionis.* contra quosdam apud *Abb. in c. 1. de translat. Episc. n. 9.* admittentes, id eum tantum posse, ubi tales causæ incidenter proponuntur in judicio. Ratio est, tum quòd Episcopus etiam hujusmodi cognitionem criminales delegare possit alicui non habenti characterem seu consecrationem Episcopalem; tum quia quilibet Judex Ordinarius habens merum imperium (quale Episcopus habet vi confirmationis, cum possit excommunicare, qui est actus meri imperij) potest cognoscere causas criminales. Laym. Pih. *ll. cit.* per verba autem illa *c. transmissam: præter ea, quæ majoris inquisitionis discussionem exigunt, & ministerium consecrationis desiderant:* non tam excipit Papa has causas criminales, etsi ex inter arduas numerentur, quàm eas solum inquisitiones, quæ ad realem, actualem & solennem degradationem clericorum spectant; quippe quæ juxta *c. 2. de penis.* & Laym. *Th. mor. l. 1. tr. 5. p. 3. c. 5. n. 4.* Episcopalis consecrationis ministerium requirunt. Pih. *loc. cit.* Laym. *cit. n. 2.* fatente ipso *Abb. in cit. c. 2. de penis, in fine.* apud Pih. posse Episcopum confirmatum non consecraturum de criminibus, quæ non tendunt ad actualem degradationem, sed ad aliam penam, cognoscere. Quamvis alij velint, dicta verba *c. transmissam* intelligenda procedere juxta antiquos canones, & morem Ecclesie veteris, quando juxta *c. si autem.* & *c. ult. 15. q. 7.* causæ criminales sacerdotum & diaconorum cognosci non poterant à solo Episcopo; sed tantum in Cœpiscoporum convocato concilio, quos Episcopos convenientes pro majore auctoritate conservanda oportebat esse consecratos. Laym. & Pih. *ll. cit.* cum, ut Pih. Episcopus electus & confirmatus ante consecrationem non vocetur simpliciter Episcopus, sed cum addito electus.

4. Item potest Episcopus ante consecrationem punire, gratias & privilegia concedere, à vassallis juramenta recipere, beneficia conferre (idem est de erigere) in vestire, presentatos instituire, electos confirmare, jurisdictionem in foro externo (imò & interno, ut addit Laym. dando alteri potestatem absolvendi à peccatis, etsi ipse Episcopus sacerdos non sit, quia hæc delegatio non est Ordinis. Pih. *loc. cit. n. 334.*) delegare. Pih. *cit. n. 338.* Laym. *in cit.*

6. *transmissam*. n. 1. citans Sanch. l. 7. mor. c. 32. n. 67. Suar. l. 4. de LL. c. 4. n. 9. (ubi etiam cum D. Thom. in 4. d. 20. q. unic. a. 2. quaestione. 2. addit, quod & indulgentias concedere possit, cum tamen indulgentiarum concessio videatur actus maxime spiritualis inter omnes, qui jurisdictionis sunt) & gl. communiter receptam in *cit. c. transmissi. v. talibus*.

5. Item potest synodos celebrare, casus reservare, quæ sunt consecrationis, alijs Episcopis committere &c. Pass. *cit. n. 5. Pirh. n. 334*. Quæmodum etiam Capitulum sede vacante facultatem ordinandi suæ diæcesis clericos concedere potest.

6. His non obstante communi aliâ illâ regulâ: *quod quis per se facere non potest, neque per alios potest: sive quod alicui suo non licet nomine, nec aliens licebit. regula juris 67. in 6.* Nam istæ regulæ in iis solum locum habent, quæ commissarius vel mandatarius facit nomine alieno sine auctoritate comittentis; talia enim committi vel demandari nequeunt, nisi committens jus habeat per se illa faciendi; cum nemo plus juris in alterum transferre possit, quam ipse habeat. *regula 79. in 6.* Jam vero Ordines, ipsi sumque etiam Ordinem Episcopatus conferunt Episcopi commissarii, non potestate ordinis accepti ab Episcopo committente non consecrati; sed conferunt vi ordinis & consecrationis suæ. Et sic Episcopus ille committens non dat potestatem ordinandi, quam per se habet commissarius talis ante mandatum & delegationem; sed tantum dat seu committit illis jurisdictionem in non subditos, quæ necessaria est ad licitum exercitium ordinationis, & hæc jurisdictioni iis à non consecrato conferri potest. Ita ferè *Pirh. n. 334*.

7. E contra non potest Ordines, nec Sacramentum Confirmationis conferre, christina conficere, benedicere virgines, sacra vasa, altaria & templa consecrare. *Pirh. loc. cit. citans gl. ubi ante*. Quod autem addit, quod nequeat deponere & degradare clericos, verum non est, si per deponere & degradare intelligat privare beneficijs & officijs, quia hoc est jurisdictionis; secus fortè, si intelligat actualem & solennem degradationem, quæ factâ, clericus tradatur potestati seculari.

Questio 444 An. & quid speciale sit in hoc puncto circa Archiepiscopos?

1. **R**espondeo primò in genere: Archiepiscopus confirmatus, etiam consecratus, ante acceptum à sede Apostolica pallium non omnia, quæ ad Archiepiscopum spectant, exercere potest, cum ante illud non obtineat officij Archiepiscopalis plenitudinem. *c. nisi. de auctoritate & usu pallij. Laym. ibid. n. 1.*

2. Respondeo secundò magis in specie: quantum spectat ad actus jurisdictionis, actus majores exercere nequit ante acceptum pallium, v. g. convocare Concilium provinciale. *Pirh. loc. cit. n. 333. Laym. loc. cit. juxta c. quod sicut. de elect. §. prater ea, quo etiam spectat Provinciam visitare. Pirh. loc. cit. cum Gl. in cit. c. quod sicut. v. sine pallio*. Secus est de alijs actibus inferioribus jurisdictionis; hos enim ante acceptum pallium potest exercere, v. g. causas cognoscere, delegare, Judices constituere, committere potestatem ordinandi, vel etiam consecrandi Episcopos, argumento *c. suffraganeis, de electione. Laym. loc. cit. Pirh. n. 334*.

3. Quantum spectat ad actus Ordinis Episcopalis, actus qui inter mistarum solemnia, aut saltem cum Episcopalibus ornamentis peraguntur v. g.

ordinare, christina conficere, consecrare Ecclesias, exercere nequit juxta expressum textum *cit. c. quod sicut*; eò quod talia facere videatur non tanquam simplex Episcopus, sed tanquam Archiepiscopus. *Laym. loc. cit. Pirh. n. 333. juncto n. 335*. ubi etiam ait; similiter eum non posse ante acceptum pallium conferre Sacramentum Confirmationis, benedicere Abbates & virgines. Actus verò Ordinis, quos solâ stolâ indutus Archiepiscopus facere solet, ut sunt vasa sacra consecrare, corporalia vel camiteria benedicere, ea licitè exercere potest ante pallium acceptum. *Laym. loc. cit. Pirh. n. 335. citans Host. in sum. de usu pallij. n. 1. Azor. p. 2. l. 3. c. 33. q. 5.* Porro, si Archiepiscopus consecratus antè acceptum Pallium ea exercent, quæ illi prohibita, validè quidem exercet, sed peccat contra canones, puniri que potest, vel amotione ab officio, vel aliâ mitiore poenâ. *Pirh. cit. n. 25. citans Azor. ubi ante*.

Questio 445 An. & quæ Abbates ante benedictionem administrare possint?

1. **R**espondeo primò: potest Abbas post confirmationem ante benedictionem exercere ea omnia, quæ ad jurisdictionem spectant. *Pirh. ad tit. de elect. n. 402. Tamb. de jure Abb. To. 1. d. 11. q. 3. n. 2. juxta c. transmissam. de elect. Eademque quo ad hoc est ratio de Abbate confirmato non benedicto, quæ de Episcopo confirmato nondum consecrato; nempe quod per confirmationem accipiat potestatem jurisdictionis & administrationis. AA. ijdem *ll. cit. Lott. l. 1. q. 27. n. 24.* Multòque magis hæc ratio locum habet in Abbate, quàm Episcopo, dum electus & confirmatus in Episcopum dici adhuc nequeat Episcopus, nisi consecratus, ut Zabarell. in *c. eam re. de rescrip. n. 1.* cum necdum intelligatur inter ipsum & Ecclesiam consolidatum matrimonium spirituale (unde & adhuc liberè resignare potest, & per acceptationem incompatibilis inducitur illa resignatio. *Lott. loc. cit. n. 17. citans eundem Cardinal. in clem. gratia. de rescrip. n. 9. & Præposit. in c. 1. d. 23. col. 3.*) sed solum dicitur electus, etiam si confirmatus. Electus verò & confirmatus in Abbatem illico Abbas est & dicitur. *Lott. loc. cit. n. 13. juncto n. 16. & 18. Tamb. loc. cit. q. 5. n. 1.* ubi quod Abbates constituantur in suo munere, non per benedictionem, sed per electionem & confirmationem. Argumento *c. 1. de suppl. negl. pral. & ibi communitè AA. citat pro hoc Jo. And. in c. inter monasterium. de sent. & re judic. n. 6. Felin. ibid. n. 1. Old. conf. 14. col. 2.* (qui etiam dicat, de stylo etiam Cancellaria electum & confirmatum vocari Abbatem) *Barbof. ad cit. c. inter monast. n. 6. contra Host. in c. tuam. de stat. & qualitat. d. n. 7.* Limitandum hoc ipsum ita, ut dum benedictio hæc vim habet confirmationis (uti quandoque contingit, dum nullâ aliâ confirmatione præcedente Episcopi aliter Abbates & Præpositos non confirmant, quàm impetiendo illis solennem hanc benedictionem) adeoque per eam conferitur potestas jurisdictionis, ante eam administrare nec debent, nec possunt Abbates aut Præpositi electi. *Pirh. loc. cit. n. 402. in fine. citans Sylv. v. Abbas n. 4. ac dicens, de hac confirmatione loqui Innoc. in c. 1. de suppl. negl. Pralat. n. 1.**

2. Respondeo secundò: administrare tamè seu exercere quæ sunt Ordinis (quales actus Ordinis dignitati Abbatiali cõcessi sunt Ordines minores cõferre, solenniter populo benedicere, vasa sacra & vestes benedicere, & alia pontificalia exercere) non posse

Abbatem ante benedictionem, ait Pirh. *loc. cit.* juxta *c. transmissam*. hoc ipsum tamen limitans ad loca, ubi consuetudo viget, ut Abbates post obtentam confirmationem benedicantur; eò quòd ibi hanc potestatem Ordinis accipiant per benedictionem. Quòd si intelligat Pirh. de non posse licitè, & acceptione potestatis exercendi illos actus licitè, verum est; si verò etiam intelligat de non posse validè, & de acceptione ipsius potestatis Ordinis, non subsistit, juxta mox dicenda.

3. Respondeo tertio: non solum in locis, ubi ex recepta consuetudine Abbates non benedicuntur, sed & in aliis, ubi viget ea consuetudo, seu absolute loquendo, Abbates non, vel nondum benedicti omnia officia Abbatis propria, etiam ea, quæ sunt Ordinis, statim post confirmationem acceptam, expeditisque & exhibitisque, ubi opus est, litteris confirmationis, administrare possunt validè (quin & in locis, ubi non solent benedici, licitè) *Lott. loc. cit. n. 14.* (ubi: quòd dicitur de Episcopo circa consecrationem, nullatenus trahendum est ad Abbatem respectu benedictionis; nimis enim diversa est ratio. *juncto n. 18.* ubi: benedictio non est de essentia, & simpliciter necessaria Episcopo, ut validè exerceat actus ordinis Episcopalis) *Tamb. loc. cit. q. 3. n. 4.* ubi: dicendum, benedictionem non esse simpliciter necessariam Abbati ad hoc, ut actus Ordinis exercere possit; quòd ipsum expresse asserit Pirh. *loc. cit.* Idq; unà cum *Tamb. & Lott.* probat ex *c. de suppl. negl. Pralat.* ubi Alexander III. concedit Cisterciensibus, ut si Episcopus tertio cum humilitate & devotione requisitus, Abbates benedicere renuerit, liceat Abbatibus proprios monachos suos benedicere, & alia, quæ ad hoc officium spectant, exercere &c. si enim benedictio hæc ad hoc esset simpliciter necessaria, Papa in negligentiam & contumaciam Episcopi dicecesani potius dedisset Abbatibus facultatem in eo casu eligendi, quem maluissent, Episcopum, à quo munus benedictionis consequerentur, quàm absque benedictione exercendi omnia, quæ ad eorum officium spectant. Item ex eo, quòd Abbates non perpetui, licet non benedicantur (benedictio enim est etiam quasi perpetua, indelebilis & inevitabilis, adeoque non datur propter officium temporale) tamen gaudent omnibus privilegiis & indultis ad agendum, quibus fruuntur Abbates benedicti. *Pirh. loc. cit. Tamb. q. 3. n. 5.* Ac denique quasi à priori probant id idem *Pirh. loc. cit. Tamb. n. 6. 7. 8.* ex eo, quòd benedictio hæc non imprimat characterem, uti facit consecratio Episcopalis, nec à Christo instituta sit; quòdque hanc potestatem exercendi actus illos non consequuntur tam per benedictionem, quàm ex privilegio generali potissimum concessio Abbatibus benedictis, *c. quoniam. d. 69.* quòd dein privilegium extensum ad Abbates non benedictos; pro quo *Tamb. n. 7.* citat *Abb. in c. 1. de suppl. negl. col. 3.* *Cardin. in clem. attendentes. §. statim. q. 5. & seq. de statu monachor.* quin Idem *Abb. loc. cit.* uti & *Imol. & Felin. in cap. eam re. n. 7. de rescript.* dicat, hanc benedictionem ad exercendum, quæ sunt officii Abbatum, potius esse de solemnitate, & ad bene esse, quàm de substantia; quòd ipsum repetit *Tamb. loc. cit. q. 5. n. 3.* ubi: non est eadem ratio de hujusmodi benedictione, quæ est de consecratione Episcopi; quia hæc benedictio est potius de solemnitate, quàm de substantia. Unde jam etiam ait *Tamb. cit. q. 5. n. 4.*

Abbatem ante benedictionem uti posse baculo pastoralis & reliquis pontificalibus, pro quo citat *Cardin. ubi ante. in clem. attendentes. Abb. ubi ante. & in c. quanto. de off. Ordinar. Felin. in c. eam re. de rescript. n. 7.*

PARAGRAPHVS III.

De iis, per quos petenda confirmatio, deque tempore ac loco ejus petendæ & dandæ.

Questio 446. An ipsi electi confirmationem suæ electionis petere possint?

1. **R** Espondeo: de jure communi legitime electi non solum sine nota ambitionis possunt, sed & debent petere confirmationem, *Pass. de elect. c. 33. n. 39.* cum communi; juxta *c. quam sit. de elect. in 6.* ubi præcipitur, ut quis electus intra trimestre petat confirmationem; quem textum non procedere solum de electione ad Cathedrales Ecclesias, sed de quacunque electione ad quamcunque Ecclesiam, ostendit *ibidem Pass.* Unde etiam electus sine omni nota ambitionis agere potest, & officium Judicis implorare pro confirmatione, ubi ea differretur, *Donat. tom. 2. tr. 6. q. 16. num. 2.* citans *Holt. in cap. quia propter. de elect. n. 66.* postquam enim per consensum majoris partis eligentiū perfecta naturaliter est ejus electio, potest is absque ambitione consentire; cumque per consensum illius & eligentiū inter hos & illum contrahatur conjugale vinculum, is agere potest ad id, quòd ei vi talis vinculi debetur, quòd est confirmatio, quæ non est gratiæ, sed necessitatis & justitiæ, *Donat. loc. cit.*

2. Dixi: quantum est de jure communi; nam, ut testatur *Donat. loc. cit. n. 4.* in Ordine Dominicanorum non procedit textus ille *c. quam sit.* sive quòd electus petere debeat, vel etiam possit confirmationem; eò quòd is per electionem legitimam, etiam unanimum nihil juris acquirit, & quòd in potestate Prælati sit, eum confirmare vel non; & quamvis eum non confirmet, non tamen tali electo concedatur appellatio, vel causa aliqua profectuenda, Nihilominus *Pass. & ipse Dominicus loc. cit. n. 47.* ait; quòd tamen, cum electo non queratur jus ullum, parum conveniens sit, eum petere confirmationem; attamen, quia, ut habetur *c. quam sit.* petitio confirmationis est Ecclesiæ beneficium, cujus negotium agitur, dum procuratur, ne diu maneat sine Prælato, etiam in hoc suo Ordine non damnandum electum, qui confirmationem sui peteret.

3. De cetero hujus contrarium est in postulato, qui petere non potest suæ postulationis admissionem, *Pass. loc. cit. n. 43. in fine.* ubi: tantum abest, ut in *cit. c. quam sit.* nomine electi comprehendatur postulatus, ut postulato potius prohiberetur, non solum petere, sed & consentire postulationi; electo autem præcipitur, ut illam, nempe confirmationem, petat, Est quoque hujus contrarium in præsentato, ita ut, sive is præsentatus sit à pluribus patronis, aut etiam à Collegio aliquo ecclesiastico, sive ab uno patrono, eoque laico, necesse non sit illum, aut etiam patronum ulterius petere institutionem; eò quòd, ubi præsentatio facta est, jam Superior

perior satis sit monitus de vacantia Ecclesiæ, & de eo, qui debet promoveri, & solum superest, ut ipso suo muneri non desit, sed in tempore sibi præscripto idoneitatem præsentati inquirat, & Ecclesiæ vacanti provideat; adeoque opus non sit ulteriore petitione institutionis, Pass. loc. cit. n. 42. juncto n. 41. ubi etiam ostendit, textum illum *c. quàm sit.* locum non habere in præsentato, eumque non comprehendendi ibi nomine electi.

Questio 447. An peti quoque possit per alios confirmatio electi, & quid in specie sit in hoc circa Electores?

Respondeo primò: potest electus non tantum per se, sed etiam per constitutum à se ad hoc procuratorem petere & procurare confirmationem electionis suæ. Azor. p. 2. l. 3. c. 29. q. 11. Pirh. ad rit. de elect. num. 308. Barbof. juris Eccles. l. 1. c. 19. n. 246. Pass. loc. cit. n. 45. (ubi etiam, quòd si electus impeditus sit, non teneatur procuratorem mittere, nisi in terminis *c. cupientes.* pro quo citat Franc. & Gemin.) Donat. tom. 2. tr. 6. q. 17. n. 1. ubi etiam, quòd, etsi in suo Ordine electus non possit petere confirmationem, possit tamen constituere procuratorem, non ad defendendum jus sibi per electionem quæsitum, quia id esset litigare de subiecto non supponente; sed ad informandū Papam de toto electionis negotio, præsertim, cum neque Regularibus vetitus recursum ad S. Sedem. Additque Idem Donat. loc. cit. n. 2. quòd, cum hi procuratores debeant in iudicio comparere (quod credo intelligit de casu, ubi confirmatio judicialiter obtinenda) & non admittantur, nisi sint publicis instrumentis instructi, juxta *c. 1. de procurator. constit.* esse constituendos per publicum contractum rogatum manu publici Notarii: & cum subscriptio constituentis, ut ait Idem Donat. n. 3. potest esse non nota, & facile falsificari, melius ac tutius esse, ut in hoc Notario seculari, quàm regulari; dum quandoque ex privilegio (ut Dominicani teste eodem Donat. & Rodriq. qq. regul. tom. 3. q. 8. a. 1.) habent id Ordines quidam, ut ab eorum Prælatibus in causis Religiosorum creari possint Notarii ex ipsis Religiosis, qui inter eos sint ejusdem fidei & valoris, cujus sunt Notarii seculares. Porrò procurator constitutus ab electo potest esse de numero eligentium. Donat. cit. q. 17. n. 1.

2. Respondeo secundò: potest quoque electi amicus aliquis sine ipsius mandato nomine illius petere confirmationem; modò electus id dein rati habeat intra tempus constitutum ad petendam confirmationem; cum in omni casu rati habitio debeat fieri intra illud tempus, intra quod actus possit geri; eò quòd rati habitio retrahatur, & mandato æquiparetur, juxta *reg. juris. 10. in 6.* Azor. Pirh. Barbof. l. cit. Pass. n. 46. citans Lavor. de elect. c. 25. n. 41. Biax. in direct. elect. p. 3. c. 43. n. 2. Gratian. discept. for. c. 573. n. 1. Tiraq. de pœnis temperand. casu 22. n. 37.

3. Respondeo tertio: possunt quoque, & sufficit ad evitandam penam statutam *c. quàm sit.* contra electum non petentem intra constitutum tempus confirmationem, Electores petere confirmationem, electo non petente, modò tamen is jam consenserit electioni, & non dissenserit confirmationi petendæ. Laym. in cap. scriptum. de elect. num. 1. Pirh. cit. num. 308. citans cap. cum Ecclesia. de causa possessionis & propriet. Barbof. loc. cit.

Pass. loc. cit. n. 46. & 49. juxta *c. cum inter canonicos. c. cum dilectus. c. dudum. de elect.* Sic quoque in suo Ordine electores esse, qui petant confirmationem, ait Bass. cit. n. 47. Non tamen in *c. quàm sit.* præcipitur Electoribus, ut petant confirmationem electionis, cum hoc ibi mandetur electo, non electoribus. Pass. n. 43. Cujus contrarium est in postulatione, cujus admissionem petere præcisè præcipitur postulantibus in cap. cupientes; etsi hic textus non nisi de postulatione ad Cathedrales & Regulares Ecclesias loquitur. Pass. loc. cit.

4. Respondeo quartò: potest quoque Capitulum instituere procuratorem pro negotio confirmationis, qui etsi absens percipiat fructus beneficiorum (intellige, quæ habet in Ecclesia, pro cujus bono laborat in hoc negotio) tanquam legitime impeditus à residendo; cum ejusdem Ecclesiæ negotium tractet. Pass. n. 50. ex Baldo in *c. præterea. de elect. n. 1.*

5. Respondeo denique: posse etiam quemlibet alium de Ecclesia instare pro confirmatione electi, cum agatur de interesse totius Ecclesiæ, cujus Prælati est electus. Unde & quilibet de Ecclesia potest appellare ab electione. Pass. n. 49. contra Bald. loc. cit. consentem, Electores posse petere confirmationem, sed quemlibet alium (subintellige, etsi de cetero de Ecclesiâ) non posse prosequi causam appellationis.

Questio 448. An sufficiat electum vel electores petere, electione declarari canonicam?

Respondeo negativè; siquidem simul stare possunt, electionem declarari canonicam, & tamen eam non confirmari. Pass. cit. cap. 33. n. 51. citans Franc. in *c. quàm sit. de elect. in 6. ad 5. ceterum. n. 3. Gemin. ibidem. n. 2.*

Questio 449. An electus ad eandem Ecclesiam vel Prælatiuram duabus diversis electionibus, utramque prosequendo, petere possit confirmationem?

Respond negativè. Pirh. ad rit. de elect. n. 323. Pass. de elect. c. 33. n. 48. Lott. l. 2. q. 13. n. 90. juncto num. 101. Laym. in cap. ut quis. de elect. in 6. juxta expressum textum ejusdem cap. ubi dicitur, non esse rationi consonum, ut quis per duas electiones ad eandem Ecclesiam simul (vel etiam divisim, ut Gl. in cit. *c. ut quis.* apud Pirh. loc. cit.) est electus (uti id contingere posset, dum, quia putatur in priore electione errorem seu defectum commissum fuisse, post lapsum trimestre vel semestre Superior quasi jure ad se devolutum eundem prius jam electum in Ecclesia seu Prælatiura instituit: vel si Capitulares post primam electionem nondum privati jure eligendi, ad aliam novam electionem progressi eundem elegerunt. Pirh. n. 324. Laym. loc. cit. cum Gl. in *c. ut quis. v. duas*) utramque prosequatur, & confirmationem ex eis petat, cum non nisi ex una illarum valeat jus obtinere. Idque, etiamsi ab initio protestetur, quòd non intendat nisi ex una, nempe ex ea, quæ valida fuerit, seu ex qua jus sibi competere contiterit, effectum confirmationis consequi. Quare, ne cum Ecclesiæ, ad quam electus est, vel adversarij, si quem habet, discrimine, in incerto vagetur, eligere debeat, quam ex illis duabus electionibus prosequi velit, ejusdemque confirmationem petere; ita ut ad alteram postea electionem

tionem regressum habere non possit, utpote cui, alteram præferendo, renunciasse censetur, proficundo sibi jus ex altera non competere. Ratio hujus decisionis est, quòd, cum non nisi ex una earum electionum jus haberi possit, confirmatio habens pro objecto electionem, non possit habere pro objecto nisi unicam, eamque certam electionem. Quippe confirmatio, utpote habens se per modum decreti, quod fieri debet super re vel jure certo, in incertum ferri, seu in incerto vagari nequit; adeoque jam petitor determinare cogitur electione, quam, seu in vim cuius confirmari velit, quod quia necdum facit, protestando, se alterutra contentum esse velle, protestatio talis nihil operatur, Laym. Pirh. *ll. cit.* Quòd si autem quis eodem tempore electus esset diversis electionibus ad diversas Ecclesias, utramque electionem prosequendo, petere non potest confirmationem utriusque electionis, seu confirmari se pro utraque Ecclesia; non quidem quòd confirmatio sic vagaretur in incerto, sed quia non potest utrique simul Ecclesiam dispensari, quo supposito, se prius determinare debet ad unam, alteri renunciando. Pass. *loc. cit. n. 48.*

2. De cetero non obstat responsioni nostræ seu decisioni dictæ decretalis *ut quis*, quòd pluribus collationibus, vel institutionibus obtinens idem beneficium (dum v. g. quia dubitabat de valore prioris collationis sibi factæ, impetrat insuper aliam seu novam collationem vel institutionem, sive ab uno, sive à diversis, quod non tantum potest, sed & consulto faciet, Laym. *loc. cit. ex Abb. in c. post electionem. de concess. præb.* absque eo, quòd per hoc censetur renunciare primæ, cum secunda non sit contraria primæ) utramque prosequi, & utraq; niti, & utri possit ad defendendum se, juxta *reg. 20. in 6. nemo pluribus utri defensionibus prohibetur*: nam diversitas est in eo, quòd in hoc casu agatur de jure jam quæsito & obtento in beneficio per collationem, vel institutionem retinendo seu defendendo, ad quod non requiritur confirmatio; in altero vero casu agatur de jure quærendo seu obrinendo in beneficio per confirmationem, quæ confirmatio, ut dictum, non potest inniti super incerto seu duobus titulis incertis, cum debeat cadere super certum, Pirh. *l. c. n. 324.* Vel, ut Laym. *l. cit.* (quod tamen ferè in idem recidit) in eo est diversitas, quòd electus sit petitor confirmationis, adeoque determinare debeat, quid petat, seu quam electionem confirmare velit: provisus verò non sit petitor, sed defensor sui juris; ad defensionem autè illi omnes modi permittantur, modò non sint contrarii.

3. Utrum verò *cit. decretalis ut quis*, locum quoq; habeat in præsentationibus, ita ut pari modo præsentatus duabus præsentationibus nequeat utramque prosequi; sed arctetur unam eligere, & in vim illius petere institutionem, non convenit inter AA. Affirmativam tenent Lap. *alleg. 8. n. 4.* Lamb. *de jurep. l. 2. p. 2. q. 5. a. 3. n. 6.* Negativam tenent Pass. *cit. n. 48.* citans Barb. *ad cit. c. ut quis. n. 5.* Lott. *l. 2. q. 13. n. 91.* citans Gl. *in cit. c. ut quis. v. eligere.* & Rot. *in Lunen. Sarzan. Capellan. 20. Jun. & 5. Decemb. 1601.* Et expressius *n. 49.* ubi ait: arbitror textum *cit. c.* neque in verbis, neque in ratione applicari posse materiæ huic præsentationis & institutionis. Rationem etiam dat Lott. *a. n. 103.* quòd nimirum cesset in hoc casu principalis ratio decretalis illius *ut quis*, nempe incertitudo illa; quippe dum supponitur quis duas habere præsentationes ab eodem, vel diversis patronis, necesse est etiam supponere, eas

coram diversis præsentantibus instituere (cui non, sicut electionis actus conficitur in personis intelligentibus & electis, ita etiam præsentationis actus conficitur in personis præsentatis & præsentantibus, sed insuper requiritur persona habens instituere) unde licet utramque simul promoveat præsentationem, dum tamen utramque non promovet coram eodem institutore, sed singulas singulariter coram singulis institutoribus, cesset illa incertitudo, & neutra harum institutionum vagetur in incerto. Verùm quid vetat, quò minus contingere possit, ut idem duabus præsentationibus à diversis patronis, quorum singuli jus prætendunt, præsentetur eidem seu coram eodem habente instituere, isque utramque acceptet ad videndum interim, cui ex præsentantibus jus ad præsentandum, & vi cuius ex hisce præsentationibus præsentato jus competat; non secus ac contingit, dum ab electo duæ electiones de te factæ offeruntur eidem confirmatori, isque utramque acceptat ad examinandum, &c. Certè in hoc casu æque parum præsentatus utramque præsentationem prosequi poterit, petendo institui in vim illius, quæ valida censetur, quam electus duabus electionibus, & utramque præsentans eodem confirmatori, petere possit confirmari se in vim illius, quæ valida censetur; quia æque vagabitur talis institutio in incerto; adeoque in hoc casu adhuc locum habebit dicta decretalis. Ad hæc rationem aliam adjungit Lott. *num. 105.* nempe, quòd neque materiæ illi institutionis applicari possit illud dictæ decretalis; quòd per optionem factam de una duarum electionum ita extinguatur effectus alterius, ut ad illam non relinquatur regressus; siquidem ad hoc, ut per optionem unius viæ præcludatur altera, requiritur imprimis, ut ista præelectio fieri debeat juris necessitate; si enim in simplici ejus arbitrio positum sit, uti, quæ ipse velit, non præcluditur hoc ipso regressus ad aliam. Dein ut ista præelectio fiat formaliter, id est, in executionem concessæ optionis; ac denique ut res definat esse integra (quod tunc intelligitur, quando per optionem unius optabilis quæritur jus cuiuspiam respectu alterius; ita ut si per talem optionem nihil quaratur alteri tertio, cesset ratio hæc denegativa regressus) jam verò cessent hæc omnia in protectione plurium præsentationum, cum nulli injecta sit hæc necessitas à jure, nec iusta electio, nec interrim jus quæsitum alteri. Verùm quid si opponatur: etsi in verbis citata decretalis non imponatur illa necessitas præeligendi unam ex illis præsentationibus; quippe quæ tantum loquitur de electionibus, imponi tamen & illam vi rationis ejusdem, nempe ejusdem incertitudinis, quæ nititur illa decretalis, intellige in nostro casu, dum eidem institutori idem præsentaretur duabus præsentationibus seu à diversis patronis. Quid si etiam dicatur, etiam, dum præeligitur una ex dictis electionibus, nihil juris quæri per hoc tertio; nisi fortè, in quantum, dum hæc præelecta electio est invalida, jus providendi devolvitur ad confirmatorem.

Quæstio 450. Intra quod tempus petenda confirmatio?

1. Respondeo: quivis electus, postquam electionem accepit, seu electioni de se factæ consensit, intra tres menses à die præficti consensûs numerandos confirmationem electionis petere debet. Barbofi. *juris Eccles. l. 1. c. 19. n. 246.* Pirh. *de elect.*

elect. n. 307. Laym. in qq. can. de elect. q. 108. Azor. p. 2. l. 6. c. 16. q. 2. Donat. Tom. 2. tr. 6. q. 3. n. 1. & tr. 7. q. 3. n. 1. cum communi juxta expressum textum cit. c. quam sit. de elect. in 6. Quod idem locum habere in postulato, nimirum ut intra trimestre à postulantibus petatur postulationis acceptatio, tradunt Laym, Pirh, ll. cit. cum Gl. in cit. c. quam sit. v. vacuetur. Sufficit autem, si petatur intra illud trimestre confirmatio; nec ad evitandam pœnam necesse est, ut confirmatio obtineatur. Pass. de elect. c. 33. n. 51. cum Gl. in c. quam sit. v. petere. Siquidem ex momento hujusmodi petitionis legitime & canonicè factæ constituitur in electo jus irretactabile, etiam si ipsa confirmatio non sequatur. Lott. l. 3. q. 17. n. 203. argumento c. cum inter canonicos. & c. cum dilectus. de elect.

2. Neque etiam hoc tempus ad petendum datum currit legitime impedito. Pirh. Laym. Azor. ll. cit. Pass. n. 54. juxta expressum textum c. quam sit. ubi: si iusto impedimento cessante &c. Qualia impedimenta ponuntur à Gl. in cit. c. v. impedimento. infirmitas, viarum discrimen, Superioris seu confirmatoris impedimentum, frequens curiæ mutatio, tempestas maritima, vis fluminum &c. Proinde hoc tempus est utile, non continuum, aliàs maxima resulteret iniquitas. Lott. loc. cit. n. 203. juxta Gl. in c. quam sit. v. obtinere & v. petere. Ubi & illud notandum, quod dictum supra ex Pass. n. 45. nempe quod, si electus fuerit impeditus, non teneatur petere confirmationem per procuratorem, nisi terminis c. cupientes.

Questio 451. Qualiter ad evitandas pœnas statutas negligentibus petere confirmationem, debeat probari hujusce impedimentum?

Respondeo: debet electus, qui passus est labi hujusmodi tempus, docere, fessisse se quidquid in se fuit, justificando justum impedimentum. Lott. loc. cit. n. 208. juxta c. cupientes. de elect. §. in super. & ibi Archid. n. 4. Neque excusandum illum, qui probaret se ad Curiam accessisse in tempore præstituto; verum non potuisse habere copiam Papæ aut illius ministrorum, nisi de hoc simul solenniter protestatus fuisset, tradit Lott. loc. cit. n. 209. cum Gl. in c. cupientes. §. quod si per viginti. v. proposita. & Franc. de Marcha decis. 1324. p. 1. in princip. Imo nec excusandum, si post personale accessum ad Papam, proposita sua petitione, re infecta illicentiatas à Curia recessisset, tradit Idem Lott. n. 210. citato c. si postquam. de elect. in 6. Gl. in c. cupientes. ubi ante V. comparere & Franc. de March. ubi ante n. 2. Verum loquitur Lott. de tempore constituto in c. cupientes, de quo paulo post.

Questio 452. Que pœna statuta negligentibus petere confirmationem intra illud trimestre?

Respondeo: amissio illius quæsiti electo ex electione. Barbof. juris eccl. l. 3. c. 14. n. 27. Pass. loc. cit. n. 53. Pirh. Laym. Azor. ll. cit. Electio siquidem, ut dicitur in c. quam sit. eò ipso viribus evacuat, seu ipso facto & jure irrita censetur. Proinde hic Canon & pœna non est sententiæ ferendæ, sed lætæ; ita ut nullà opus sit alià declaratione super privatione juris quæsiti electo. Pirh. loc. cit. n. 308. Pass. cit. n. 53. citans Franc. in c. quam sit. n. 4. Gemin. ibid. n. 5. Barbof. ibid. num. 10. Suar. de LL. l. 5. c. 6. n. 4. cujus contrarium erat olim, seu jure

antiquo, dum, si electus post prælitum electioni consensum non petierat confirmationem, nunquam propterea privabatur jure sibi quæsito per electionem; sed per Superiorem cogebatur petere confirmationem. Pirh. cit. n. 308. in fine. citans Gl. in c. quam sit. v. evacuetur. Censetur autem in tantum jus illud quæsitus electo resolutum per negligentiam illam in petendo, ut etiam si sequatur post elapsum illud tempus confirmatio, sit ipso jure nulla. Pirh. cit. n. 308. Lott. l. 3. q. 17. n. 204. nisi fortè confirmatio scienter, seu ex certa scientia ab eo, qui aliàs suo jure conferre poterat Prælaturam, facta fuisset. Pirh. Lott. ll. cit. cum Gl. in c. quam sit. v. vacuetur. ad finem. Porro vis illa resolutiva juris quæsiti non consistit in contemptu, sed in simplici negligentia. Lott. n. 206. cum Gl. in c. cupientes. v. expectat.

Questio 453. An, & qualiter per negligentiam electi in petendo, & hinc evacuata electione, jus remaneat Electoribus procedendi ad novam electionem?

Respondeo: electus negligente intra illud trimestre petere confirmationem suam, non est eò ipso extincta pro illa vice in Capitulo facultas eligendi, jure providendi devoluto ad Superiorem; sed resoluta ob negligentiam illam jure quæsito per electionem electo, redintegratur potestas Capituli pro nova electione, ac si nova contigisset vacatio, aut ac si nulla contigisset adhuc electio. Pirh. cit. n. 308. Pass. n. 51. Lott. l. 3. q. 17. n. 212. juxta c. si electio. de elect. in 6. Unde jam etià tempus integrum datum ad eligendum à jure communi habent electores, Addit tamen Lott. n. 213. quod, ubi jam præsentata est electio Papæ, per negligentiam in prosequendo eandem extingui in Capitulo pro ea vice facultatem eligendi, seu eligendi iterato, potestate providendi devoluta ad Papam. Et quidem ut ait Lott. n. 214. non ex sola ratione plenitudinis potestatis aut celerioris expeditionis; sed quia beneficium hoc ipso jam censetur & manet affectum Papæ, ut ideo, non secus ac per appellationem ligentur manus quorumcunque inferiorum per hanc devolutionem in manibus Papæ.

Questio 454. An superior possit abbreviare illud trimestre à jure communi datum ad petendam confirmationem, electumque compellere ad citius eam petendam?

Respondeo: id eum posse ex legitima causa. Pass. loc. cit. n. 52. citans Franc. in c. quam sit. §. ceterum. n. 2. Gemin. n. 3. siquidem, sicut ubi confirmatori constat de electione & consensu electi, potest, quodcumque voluerit, electionem inventam canonicam confirmare, ita ex officio potest inquirere & instare, ut quam cito habeat decretum electionis; quia agitur de utilitate Ecclesiæ, quam ipse ex officio promovere potest. Estque assignatio illa trimestris indulgentia facta electo, ut antea non censetur negligens, & puniatur ut talis; non tamen ligantur per hoc manus Superioris, quin ex rationabili causa possit abbreviare, seu non expectare hoc trimestre, & compellere, ut in tempore breviori sibi scriptura electionis consignetur, & pro confirmatione instetur, vel etiam nullo instante electionem confirmet, si Ecclesiæ utilitas sic postulet, & electus consenserit electioni, eique non renunciarit. Pass. loc. cit.

Questio

Quaestio 455. An, & qualiter trimestre illud concessum à Gregorio X. in c. quam sit. restrictum sit per Nicolaum III. in c. cupientes. de elect. in. 6.

1. Respondeo: quod ad Ecclesias Cathedrales & regulares (scilicet virorum, nam in electionibus monialium non per omnia locum habet hæc decretalis cupientes, ut patet ex c. indemnitate, de elect. in. 6. Pirh. loc. cit. n. 309, cum Gl. in c. cupientes, v. regularium) ad quas electorum confirmationes peti debent à Sede Apostolica ratione immediata subjectionis vel appellationis ad eandem Sedem interposita (uti hanc disjunctionem addunt Pirh. & Laym. ll. mox citand.) hoc tempus immutatum est; statuitur siquidem in c. cupientes, ut hi electi intra unum mensem post præstitum consensum in electionem debito tempore à Capitulo præsentati electo: vel (in quo hæc decretalis decretalem quam sit. declarat, utpote in qua non habetur ea disjunctio, Laym. ad c. cupientes.) ubi hæc præsentatio debito tempore facta non est, post habitam aliunde electionis de se factæ notitiam, iter arripiant ad dictam Sedem pro confirmatione petenda, & causâ electionis proseguenda cum omnibus actis & momentis causæ. Finito autem eo mense (qui datur ad parandum se ad iter) considerandum tempus, infra quod electi, spectatâ locorum distantiam, commode Romam venire possunt; cum aliquorum locorum vicinitas minus, aliorum distantia prolixius tempus exigat; ac insuper præter tempus illud boni viri arbitrio æstimandum, expectandum est per 20. dies, intra quos, si electi personaliter (nisi, ut addit Laym. in c. cupientes, ob magnam loci distantiam privilegio aut consuetudine præscriptâ remissio facta sit) non advenerint, aut si iuste impediti sint, Procuratorem seu nunciatum non miserint: aut si intra dies 15. post dictos 20. numerandos plenam fidem non fecerint de impedimento, tum electi omni jure, si quod eis per electionem quaesitum, privati existant, nisi talia impedimenta intercessissent, quæ ad declinationem pœnæ hujus Judici sufficientia videantur, & propter quæ videatur illis ad personaliter comparandum longius tempus concedendum. Probare autem debent electi impedimentum personalis adventus sui, & nihilominus, eo impedimento cessante, personaliter comparere, alioquin amittant jus suum, uti habetur §. insuper.

2. Quod si etiam electi personaliter comparuerint, aut procuratorem miserint, sed sine actis, juribus & momentis suis, eam pœnam incurrunt, ut ad illa producenda extra Curiam nulla alia eis detur dilatio, nisi ex justa causa, ut quia instrumenta semper delata amiserunt; vel aliqua de novo eis opponuntur, uti habetur cit. c. §. electus verò, & Gl. ibi. v. ex justa causa. Ita ferè textum cit. c. cupientes, compendio referentes Laym. in cit. c. & Pirh. ad tit. de elect. n. 310.

3. Et hæc de electo; quod ad Electores enim statuitur præterea in eodem c. cupientes. §. ad hæc. ut si duas personas ex capitularibus (infra idem tempus, intra quod electus debet personaliter comparere) ad Sedem Apostolicam mittant, sufficienter instructas ad informandum Papam de tota causâ electionis. Et quidem sumptibus Prælatuæ, si ejus bona à bonis Capituli sint divisa, & si bona sint communia, ex iisdem, vel à capitulo aliunde provis, si non suppetunt, neque ex divisis, neque ex

communibus. Dum verò electio celebrata in discordia, habet æque una vel plures electiones, duæ ex utraque parte Capitulares mittendi sunt, & electus vel electi impensas præstare debent, idque sub pœna ferendæ privationis juris quaesiti per electionem, nisi eos inopia excuset, in quo casu electores impensas ferre debent juxta Gl. ibid. v. impotentia.

4. Ac denique, dum unicus electus, cui aliquis vel aliqui se opponunt, hoc casu oppositæ expensis eorum propriis, si duo tantum, vel si plures, saltem duo ex ipsis opposentibus, impensis ipsorum opposentium propriis, cum actis & momentis instructi compareant, ut per illos Papa plene informetur. Ita iidem Pirh. & Laym. ll. cit. qui etiam postremus addit, quod si electores dictas personas, vel saltem, si ea impedita fuerint, procuratorem sufficienter instructum non miserint, passuri sint pœnam, intellige illam, de qua paulò ante ex Lott. ut nimirum amittant jus iteratò seu pro illa vice eligendi.

5. Postremò statuitur in eodem c. cupientes. §. final. eadem ferè procedere in postulatis ac postulantibus concorditer vel discorditer (intellige quo ad procurandum permissos à Capitulo acceptationem postulationis) quæ in electis & eligentibus, dum postulati ideo, quia in aetate, Ordibus vel similibus defectum patiuntur (in his enim, qui ideo postulati, quia jam alijs Ecclesiis alligati sunt, dicit textus, esse servanda jura antiqua) præterquam quod postulati consentire non debeant postulationi, nec teneantur præstare sumptus ad missionem illam capitularium necessarios; sed id spectet ad postulantes, sive in concordia, sive discordia facta postulatione. Cetera, quæ statuantur in cit. c. cupientes. circa illos, qui super electionis confirmandæ negotio accedunt ad Sedem Apostolicam, qualiter habeantur pro præsentibus, & frui possint interea fructibus sitorum beneficiorum, vide apud Pirh. loc. cit. n. 311. & 312. & dicta à nobis alibi, ubi de residentia.

6. Illud verò notandum, quod dum electus juxta c. cupientes, personaliter Romam accedens ad electionis suæ negotium proseguendum, ante finitum hujusmodi negotium sine sententia recedat, is quoque jure per electionem sibi quaesito vel hujus decretalis eò ipso privatus existit, ac si Romam accedere intra tempus præfixum neglexisset. Lott. l. 3. q. 17. n. 200. Pirh. n. 314. juxta c. postquam, de elect. in. 6. & Gl. in c. cupientes. §. quod si per 20. v. comparere. Paria enim censentur juxta c. certum, n. 9. 3. non venire, & venire quidem, sed sine licentia recedere, sive non expectare causæ suæ finem. Adeoque licet c. cupientes. spectatis præcisè verbis tantum, puniatur dicta pœna is, qui non venit ad Curiam; attentâ tamen mente legislatoris, quæ si ratione ac sine legis cognoscit debet, apparet, in dicta decretali cupientes. quoque exigi, ut electus ad Curiam veniens usque ad finem negotium electionis proseguatur. Atque ita etiam in lege hac pœnali constitutio illius extendatur ad casum verbis ejusdem non expressum, sed ex mente legislatoris & intentione, quæ verbis præfertur, comprehensum. Pirh. cit. n. 314. Non tamen incurritur dicta pœna, dum electus Romam ex dicta causâ veniens eo tempore, quo non impeditur processus causæ, peregrinaretur recreationis vel alia simili de causâ extra Curiam ad pauca miliaria; cum juxta l. divorcium. ff. de divorciis, non videatur recessisse,

qui brevi est reverſurus. Pirh. *loc. cit.* juxta Gl. in c. cupientes, v. mente. Porrò quod hic dictum de pœna venientis Romam, & recedentis sine venia, pari ratione intelligendum eſſe de aliis quoque personis Capitularium Romam accedentium in dicto negotio, tradit *ibid.* Pirh. cum Gl. v. omnino.

7. Illud item notandum, quòd, dum poſtquam à confirmatione, vel proviſione facta ab eo, ad quem ob inferiorum negligentiam poteſtas eligendi devoluta eſt, ad Sedem Apoſtolicam appellatum eſt, obſervanda ſunt omnia ea, quæ in dicta decretali cupientes, de veniendo & mittendo ad Curiam dicta ſunt: ut etiam electus, & eligentes, & appellantes venire teneantur, aut perſonas inſtructas mittere ad Apoſtolicam Sedem. Pirh. n. 315, juxta *cap. ſi poſtquam*, §. ſin. Cùm licet in eo *cap.* agatur de electione, non facta mentione confirmationis, eadem tamen ſit ratio in confirmatione in hoc caſu, quæ in electione, ut ſcilicet Superior inſormetur in cauſa; ac proinde idem eſſe debeat jus, ut nimirum in caſu appellationis ad Sedem Apoſtolicam à confirmatione per Superiorem ordinariam facta, ipſi quoque principales veniant ad Curiam, aut mittant perſonas, & ante negotium finitum non recedant. Pirh. *ibid.* juxta Gl. in *cit. c. poſtquam*, v. confirmatione. Idemque dicendum, ſi appelletur à proviſione, cùm electio, confirmatio, poſtulatatio, proviſio in his caſibus æquiparentur. Pirh. *ibid.*

8. Illud denique notandum, quòd hæc decretalis cupientes, adhuc hodie locum habeat in electionibus, quæ ſunt à Capitulis Eccleſiarum Cathedralium; quia eſt ex immediatè ſubjectæ non ſunt Sedis Apoſtolicæ, electiones tamen in iis factæ ad dictam Sedem deferendæ, & ab ea expectanda earum confirmatio; adeoque expectatur in Curia uſque ad tempus hic conſtitutum, etiam juxta concordata Germaniæ. §. *Item placet*. Pirh. n. 310. in fine.

Quæſtio 456. Intra quod tempus danda confirmatio?

1. **R**espondeo: licet ad eligendum, uti & ad petendam electionis factæ confirmationem, non tamen eſt certum præfixum in jure tempus, intra quod is, ad quem jus confirmandi ſpectat, electum confirmare teneatur; non fecus, ac illud conſtitutum non eſt habenti jus inſtituendi ad inſtituendum præſentatum. Paſſ. *de elect.* c. 33. n. 56. citans Abb. in *c. poſtquam*, n. 8. Barboſ. *juris Eccleſ.* l. 1. c. 19. n. 254. citans Maſſobr. in *prax. habendi concuſ.* requiſit. 9. dub. 1. Lavor. *de elect.* tit. 4. c. 25. n. 43. Pirh. ad *tit. de elect.* n. 309. citans Rebuff. in *pr. tit. de devolut.* n. 6. Cùm enim tam electus quàm eligentes agere poſſint aut teneantur, ut confirmatio fiat, ſatis per hoc proviſum cenſetur. Pirh. *loc. cit.* Ait tamen Donat. *tom. 2. tr. 7. q. 3. n. 2.* quòd confirmator teneatur ad ſummum intra tres meſes confirmare, id quæ colligi ex *c. ne pro deſectu. de elect.* ubi dicitur: *ad quem devoluta poteſtas, non differet ultra tres meſes.* Verùm loquitur illud *cap. ſin.* de eo, ad quem devoluta poteſtas providendi ob non factam electionem intra præfixum tempus.

2. Quòd ſi tamen confirmator renuat, aut diu differat confirmationem, cùm Eccleſiæ interſit, quamprimùm, ſi commodè fieri poteſt, fieri confirmationem, ne diutiùs vacet, poteſt in hoc caſu peti à Superiore confirmatoris, ut iſe eum ad confirmandum compellat, præſigendo ei terminum cum intimatione, niſi intra illum confirmet, ipſe Superior jure devoluto id faciet. Pirh. *loc. cit.* Bar-

P. Leuren. *Fori Beſ.* Tom. II.

boſ. citans Lavor. *ubi ante. n. 44.* Sigism. à Bonon. *de elect.* dub. 45. n. 3. & Rotam in *Legion. confirm.* 23. *Januar.* 1617. Paſſ. *loc. cit.* citans Tamb. *de jure Abb.* tom. 1. d. 6. q. 2. n. 10. Porrò hic terminus ei præfixus brevis eſſe debet, ita ut, licet ſit arbitrarius, excedere tamen non debeat 6. meſes. Barboſ. *loc. cit.* citans Maſſobr. *ubi ante.* & Lamb. *de jurep.* l. 2. p. 3. q. 2. a. 6. n. 4. Paſſ. *loc. cit.*

Quæſtio 457. Vbi, ſeu in quo loco fieri poſſit, ſeu dari confirmatio?

1. **R**espondeo primò: necesse non eſt, ut ea fiat in Eccleſia, ut voluit Lavor. apud Paſſ. ſed fieri poteſt in Eccleſia, vel in palatio, aut camera Superioris Eccleſiaſtici confirmantis; non tamen in palatio Principis ſæcularis. Paſſ. *de elect.* c. 33. n. 170. (qui etiam addit, eandem eſſe rationem de quocunque loco honeſto) Pirh. ad *tit. de elect.* n. 327. juxta *c. quæ fronte. de appell.* ubi Alexander III. reprehendit Archiepiſcopum Cantuarienſem, quòd juris ordinem pervertens, non in Eccleſia, ſicut honeſtum & canonicum eſt, nec in palatio aut camera ſua, ſed in Regis camera contra juris præſcriptum & officii pontificalis dignitatem Epſcoporum electiones confirmet. Ratio autem eſt; quia confirmatio, ut dicitur infra, cognitionem cauſæ requirit, citationemque eorum, quorum intereſt, & ideo de plano expediri nequit, ſed pro tribunali. Pirh. *loc. cit.* cum Gl. in *cit. c. quæ fronte*, v. *contra debitum juris*; cujuſmodi autem ſpiritualia in Eccleſia, vel aliis locis ad id deputatis fieri debeant. Pirh. cum Gl. *loc. cit.* v. *canonicum*.

2. Respondeo ſecundò: confirmatio tamen facta in domo Principis ſæcularis ex hoc ſolùm capite non eſt irrita, cùm id in jure nullibi expreſſum. Pirh. *loc. cit.* citans Innoc. in *c. quæ fronte*, n. 1. v. *debitum*. Quamvis, ut ait Pirh. irrita poſſit tanquam facta contra canones. Argumento *c. quanquam*, *de elect.* in 6.

3. Respondeo tertio: dum adest contradictor, ita ut in judicio contendendum ſit, magis deceret, ut in palatio aut conſitorio confirmatoris, quàm in Eccleſia, utpote quæ eſt domus orationis, non litium, liſ hæc agatur. Pirh. *loc. cit.* citans Alex. de Nevo. in *c. quæ fronte*, n. 4. & ſubjungens, proceſſum judicii ſæcularis inſtitutum in Eccleſia eſſe veritum, non verò proceſſum cauſæ Eccleſiaſtice, juxta *c. 2. §. ordinarii. de immunit. Eccl. junctâ gl. ibid.* v. *proceſſus*.

Quæſtio 458. An confirmari poſſit electus per Superiorem exiſtente extra ſuum territorium?

1. **R**espondeo primò: dum proceditur ad confirmandum in contradictorio judicio, non poteſt extra territorium ſuum eam confirmare; eò quòd tunc debeat fieri, ſeu dari in forma definitiva ſententiæ, & juridiſtici in alieno territorio exerceri non poſſit. Garc. *de benef.* p. 5. c. 8. n. 141. Paſſ. *de elect.* c. 33. n. 170. citans Jo. Andr. & Dominic. in *c. ſin. de off. Vicar.*

2. Respondeo ſecundò: quin etiam, dum non poteſt confirmatio fieri niſi ſolemniter, hoc eſt, non niſi ſervando in confirmatione formam *cap. ſin. de elect.* in 6. nimirum cum citatione leſe opponentium electioni, & cum cauſæ cognitione, non poteſt confirmari electus ab exiſtente extra ſuum territorium ſine licentia Judicis illius territorii. Pirh.

Q

cit.

cit. n. 327. Pass. loc. cit. citans Abb. in cap. novit. de off. Vicar. n. 5. Franc. ad c. fin. de elect. in 6. n. 9. &c. Quod idem ferè tenet Garc. loc. cit. n. 142, in quantum citato pro hoc Lamb. de jurep. p. 2. l. 2. q. 2. n. 6. & p. 3. l. 2. q. 2. n. 11. ait; quòd si ad confirmationem proceditur judicialiter, & cum cognitione causæ, sive instante contradicte, sive ex officio instante fiscali, vel aliàs in forma iudicii per assignationem Auditorii, ut solet, non potest fieri extra territorium, neque cognitio causæ, neque confirmatio, si fit in sententia. Addit etiam Garc. quòd, ubi intra territorium confirmantis facta est sententia de confirmando, confirmatio jam fieri possit extra territorium, utpote jam actus extrajudicialis, & voluntaria jurisdictionis.

3. Porro procedere hanc secundam responsionem, nimirum adhuc censei judicialiter fieri confirmationem, & hinc ad eam devenire non posse Superiorem existentem extra territorium suum, tradit Pass. loc. cit. etiam si misceatur aliquid summarii iudicii, v. g. si nullo comparente ex citatis, Superiorem ex officio se informet de aliquibus aliunde sibi indicatis; quod fieri potest in summano iudicio & extrajudicialiter. Eò quòd per hoc iudicium per se & simpliciter non desinat esse contentiosum & solenne, cum non fiat sine citatione & defensione causæ solennis, quam citatio requirit. Quòd enim nullus contradicte compareat, id non faciat, ut iudicium non sit soleane & contentiosum, & ut sententia data non sit diffinitiva. Cujus tamen contrarium sentire videtur Garc. loc. cit. dum citato per hoc Sanch. de matrim. l. 3. d. 8. n. 6. ait: si verò discussio negotii esset extrajudicialis, & absque strepitu & forma iudicii; quia fieret sine contradicte & coadjutore curiæ, seu fiscali, tunc totum potest fieri extra territorium sine licentia iudicis illius; quia est voluntaria jurisdictionis; & ita, ut ait Garc. procedet, quod tradit Gonz. gl. 62. n. 8. posse Episcopum extra dioccesim instituire, & electiones confirmare & infirmare, contradicte non apparente.

PARAGRAPHVS IV.

A quo, & quibus danda confirmatio?

Questio 459. In genere à quo petenda & danda confirmatio?

1. Respondeo in genere primò: confirmare non nisi ad Superiorem spectat. Pass. de elect. c. 33. n. 159. citans pro hoc c. indemnitate. & c. fin. de elect. in 6. & clement. exivi. de verb. signif. §. demum. Lott. l. 2. q. 18. n. 27. ubi: confirmatio subjectionem in persona electi necessario supponit, cum per Superiorem fiat; potestas enim confirmandi est actus jurisdictionis. Vide dicta à nobis ad initium hujus cap.

2. Respondeo secundò: electus regulariter & de jure communi confirmandus à Superiore proximo, seu immediato ipsius electi, seu cui Ecclesia aut dignitas electiva immediatè subjecta est. Barbof. juris Eccles. l. 1. c. 19. n. 1. & 2. Tamb. de jure Abb. rom. l. d. 6. q. 1. n. 1. Laym. in qq. can. de elect. q. 107. Pirh. ad tit. de elect. n. 305. Pass. loc. cit. n. 62. citans Abb. in c. monachi. de stat. monach. n. 10. Bar-

bof. ad c. cum dilectus. n. 4. Biax. in direct. elect. p. 51. c. 43. n. 6. Castellin. de elect. c. 14. n. 3. Sigism. de Bonon. de elect. dub. 44. n. 1. &c. Sicutaque praelati Episcopo inferiores non exempti ab Episcopo diocesano, Episcopi ab Archi-Episcopo, seu Metropolitanano suo, Archi Episcopi à suo Primatè, seu Patriarcha, Patriarcha à Papa confirmari debent, spectato nimirum jure communi, præsertim antiquo. Pirh. loc. cit. Atque ita olim fiebat, dum antiquitus Episcopus à populo & Clero electus, vel, ut dein factitatum, à solo Collegio seu Capitulo canonicorum, confirmabatur à Metropolitanano suo. Azor. p. 2. l. 3. c. 29. q. 1. usq; dum postmodum à tempore Bonifacii VIII. & Martini V. ob discordias & lites, quæ in Episcoporum electionibus oriebantur, sublatis electionibus, Ecclesias Patriarchales, Archi-Episcopales, Episcopales Sedes Apostolica sibi reservavit, ut patet ex Extrav. ad regimen. de præb. quæ reservatio dein regulæ quoque 2. Cancellariæ universaliter inserta, concessa solum Regibus quibusdam potestate nominandi Episcopos, à Papa institutos, aut etiam relictâ nonnullis Ecclesiis, (uti contingit in Ecclesiis Germaniæ) potestate eos canonicè eligendi.

3. Limitanda tamen etiam responsio; nisi aliud jure speciali, aut consuetudine cautum sit. Siquidem ex speciali privilegio vel consuetudine legitime præscripta potestas illa confirmandi ad alios, quam Superiores immediatos spectare potest. Pirh. loc. cit. n. 306. citans Tholos. tit. de elect. c. 19. n. 14. Pass. loc. cit. n. 69. citans Paul. de Eliaz, in rubric. de elect. n. 7.

Questio 460. In particulari, à quo hodie confirmandi sint Episcopi, ubi adhuc viget mos eos canonicè eligendi, uti illa consuetudo servatur in Germania, & in qua, ut Pass. loc. cit. Trident. sess. 24. c. 1. nihil duxit innovandum?

1. Respondeo: eorum; etsi immediatè subjecti sint Metropolitanano suo, uti & Archi-Episcoporum ipsorum confirmatio spectat ad Sedem Apostolicam, quam Papa post exhibita examinis instituti testimonia conferre solet, & jubere, ut consecrentur, ut constat ex concordatis Germaniæ. Azor. p. 2. l. 3. c. 29. q. 10. Laym. loc. cit. & in cap. postquam. de elect. n. 3. remittens ad Barbof. de potest. Episc. alleg. 27. n. 27. Pirh. cit. n. 305. Pass. cit. n. 70. citans Barbof. de off. Episc. p. 1. tit. l. c. 4. n. 6. & Rotam in Trevirens. Abbat. 20. Nov. 1624. Reperriri nihilominus etiam in Germania adhuc Episcopatus, v. g. in Salisburgensi Provincia ita subiectos Metropolitanæ Ecclesiæ, ut eorum Episcopi à suis Capitulis electi à Salisburgensi Archi-Episcopo teneantur petere confirmationem, testatur Laym. in c. ne pro defectu. de elect. n. 6. in fine.

2. Possent etiam eosdem Episcopos, Archi Episcopos, aliòque Prælatos exemptos à jurisdictione Ordinariorum, seu immediatè subiectos Papæ, existentibus intra Legationis Provinciam confirmari à Legato de latere, ex officio scilicet Legationis, & absque speciali ad hoc mandato, tradunt Pirh. cit. num. 306. Pass. cit. num. 70. Laym. in cap. licet. de off. Leg. num. 1. extendens id ipsum ad Legatos millos cum potestate Legati de latere hinc expressis: si Legatus à latere, vel cum potestate Legati de latere missus sit, Episcoporum aliorumque Prælatorum Sedi Apostolicæ immediatè

diatè subiectorum electiones confirmare potest; scilicet est de legatis aliis, qui id facere nequeunt, nisi specialiter id iis à Papa commissum. Pirh. Laym. loc. cit. qui tamen posterior tradit, eos posse super Episcoporum electionibus examen instituire, illudque & informationes mittere ad Sedem apostolicam, & ex eo tempore se non amplius immiscere juxta cit. c. licet.

Questio 461. A quo accipienda confirmatio Abbatum, Præpositorum, similibumque Prælatorum regularium?

1. **R**espondeo primò: ubi ii exempti sunt, & Sedi Apostolicae immediatè subiecti, confirmari debent à Papa, aut ejus Legato de latere, si in provincia sit, Laym. ad c. postquam de elect. n. 3. Pirh. ad cit. de elect. n. 398. Pass. de elect. c. 33. n. 71 sic Generales Ordinum, qui immediatè subiecti Papæ, ab ipso, ejusve Legato in provincia existente, confirmationem petere & habere debent. Pass. Laym. Pyr. ll. cit. nisi fortè privilegium habeant à Papa, ut mox ab eorum in canonicam sui electionem consensu plenam jurisdictionem & administrationem sine alia Papæ confirmatione consequantur (uti id concessum Generalibus Ordinum mendicantium, testatur plurimis citatis Pass. loc. cit. & in specie etiam de Societate nostra, Pirh. pro ut habetur in compend. privileg. v. generalis §. 1.) AA. iidem.

2. Respondeo secundò: ubi verò hi Prælati exempti quidem sunt à jurisdictione Episcopi, non tamen subiecti immediatè Papæ in hoc sensu, quòd Ministrum seu Præpositum generalem sui ordinis habeant; ut sunt Provinciales & Abbates quidam electi in capitulo, ab eodem Generali confirmationem accipiunt, nisi fortè tales sint, quibus concessum est, ut rite electi alià confirmatione non egent. Et si sint Prælati inferiores seu locales, puta Priores, Guardiani electi in capitulo vel conventu, à Provinciali confirmationem habere debent, AA. iidem ll. cit. aut si hi Prælati provinciales, vel etiam locales non eliguntur à capitulo vel conventu, sed constituuntur à Generali, uti fit in societate nostra, alià confirmatione non egent. Pirh. loc. cit.

3. Respondeo tertio: Abbates, Præpositi, alique Prælati regulares non exempti confirmandi sunt ab Episcopis, quibus proximè eorum Monasteria subiecta sunt. Pirh. Laym. ll. cit. Azor. p. 2. l. 3. c. 46. q. 1. S. confirmationes.

4. Porrò solere Episcopos, dum assumunt vicarium generalem, concedere ei potestatem confirmandi Abbates, Priores, similitève non exemptos, tradit Azor. loc. cit. quamvis addat in fine citati §. hæc potestas in generali mandato non continetur, & rite specialiter committitur.

Questio 462. A quo accipienda confirmatio Abbatissarum, Priorissarum, similibumque avititum monialium?

1. **R**espondeo primò: si monasterium monialium immediatè subiectum sit Sedi Apostolicae, Abbatissa, Priorissa, Præposita, electa à conventu confirmationem petere & accipere debet à Papa. Laym. ad c. postquam n. 4. Pirh. ad cit. de elect. n. 417 citantes Azor. p. 1. l. 3. c. 10. q. 3. Donat. to. 4. tr. 7. c. 17. n. 4. Tamb. de jure Abbatiss. d. 29. q. 1. Petenda autem est hæc confirmatio à Papa per procuratorem; cum moniales non per seipsas electionis proseguenda aut oppugnanda causa à Sede Apostolicam accede-

P. Leuren, Fori Benef. Tom. II.

re, sed procuratorem ad hoc mittere debeant, juxta c. indemnitate de elect. in 6. §. porro. Donat. Laym. Pirh. ll. cit. Addit etiam Donat. loc. cit. n. 5. citans pro hoc Castell. de elect. c. 17. n. 29. Barbof. in collectan. ad Trid. c. 7. sess. 25. de regular. Gavant. in man. Episc. v. moniali officialis. referentes super hoc plures S. Congreg. declarat. quòd nimirum, licet Episcopus loci ex dispositione Gregor. 15. in constitut. infratrabili. possit unà cum Superioribus regularibus quorumcumque Abbatissarum electionibus per se vel per alium interesse, ac præsidere; exinde tamen jus nullum habet confirmandi Abbatissam exemptam.

2. Respondeo secundò: si autem monasterium religioso virorum ordini (intellige, etiamsi hic ordo exemptus non sit à jurisdictione Episcopi) subdit, ad Prælatum istius Ordinis aut monasterii spectat confirmatio, AA. iidem.

3. Respondeo tertio: si autem nulli religiosorum monasterio, sed Episcopo subdit, Episcopus confirmare habet.

Questio 463. An, & qualiter potestas confirmandi competat capitulo sede vacante?

Respondeo: potestas confirmandi electos, non secus ac potestas instituendi præsentatos pertinet ad Episcopum, sede Episcopali vacante transit ad capitulum; quia instituere & confirmare sunt actus jurisdictionis necessariae. c. cum olim. de major. & obedient. Pirh. ad cit. de elect. n. 304. Laym. in cit. c. cum olim. n. 2. Lott. l. 2. q. 2. m. 21. citans Abb. in o. 2. ne sede vac. n. 2. Pavin. de potest. cap. sede vac. p. 2. q. 5. n. 2. & 3. unde jam quia capitulum sede vacante ordinariam Episcoporum jurisdictionem exercet, electos Abbates, aliosque Prælatos non exemptos confirmat Laym. loc. cit.

Questio 464. Ad quem iure devoluto spectet confirmare?

Respondeo: dum intra terminum præfixum confirmatori ordinario ab ejus Superiore, is non confirmat, confirmatio iure devoluta spectat ad dictum Superiorem immediatum confirmatoris, juxta dicta supra ad quest. intra quod tempus data confirmatio. Sic dum per appellationem aut querelam electus prosequitur electionem suam, & instat pro confirmatione, potestas illa instituendi (idem est de potestate confirmandi) non devolvitur nisi per indirectum. Lott. l. 2. q. 13. n. 64. dum enim proceditur per viam querelæ, cui tunc est locus, ubi nullum gravamen positivum supponitur, sed tantum negligentia & mora habentis confirmare vel instituere, Superior aditus præfigit terminum ordinario confirmatori, intra quem si is non confirmet, iure devoluta confirmat ille Superior. Lott. loc. cit. n. 65. & 66. si verò procedatur per viam appellationis à gravamine positivo illato, sive quia expressè est denegata confirmatio, sive quia ter requisitus solenniter, obstinate confirmator distulit confirmationem, facultas hæc confirmandi devolvitur ad Judicem. Lott. n. 67. & 68. dicens de facultate confirmandi sic devolvenda esse textum in c. significaverunt. de except. rationem etiam addit n. 69. nimirum quia appellationis hic est præcipuus effectus, ut negotium, pro quo est appellatum, devolvat. Sic quoque confirmationem sequi ordinem appellationis, quæ est ab inferiore ad Superiorem immediatè, ait Pass. cit. c. 33. num. 75. Unde in casu appellationis ad curiam, Auditor Papæ, qui de appellatione

Q 2

lacione

lacione cognoscit, quæ à confirmatione vel cassatione electionis est interposita, & iudicat bene appellatum esse, electionem vel confirmat vel cassat. *Pasf. loc. cit.*

Questio 465. An confirmator ordinarius, pendente lite super iure electionis, vel etiam ubi appellatum est ab electione, confirmare possit electum?

1. **R**espondeo primò: pendente lite de iure electionis, dum ea interim instituta est, confirmari non debet, antequam lis decidatur; sed nec infirmari; cum ejus vis suspensa sit, ac dependens à futuro eventu. *c. cum venissent. de in integ. restitut. Laym. ibidem n. 4.*

2. Respondeo secundò: si ab electione in Ecclesia cathedrali vel regulari celebrata, cujus confirmatio ad Ordinarium, nempe ad Archiepiscopum vel Episcopum pertinet ex causâ probabili (quæ si probetur, legitima seu iusta reputari debet) ad Sedem apostolicam in scriptis fuit appellatum, & Ordinarius nihilominus electionem confirmet, talis confirmatio irrita est, cum sit ab eo, qui non potuit, de facto præsumpta, nisi appellatus prius ab ipsa appellatione canonice (id est, sine pravitate) recesserit. *c. si postquam. de elect. in 6. Barbof. ibid. n. 1. Pirh. de elect. n. 313.* Ratio est, quia per appellationem, etiam extra iudicalem, ab electione ad Sedem apostolicam suspensa fuit iurisdictio inferioris iudicis Ordinarii, unde hæc appellatione pendente, talem electionem confirmare nequit, nisi appellante renunciantem suæ appellationi, per hunc ejus ab appellatione recessum recuperet Ordinarius iurisditionem seu potestatem confirmandi. *Pirh. loc. cit.*

3. Respondeo tertio: quòd si tamen ab electione non ad cathedralem vel regularem prælaturam appellatum non est ad Sedem apostolicam, sed ad alium inferiorem iudicem, sive extra, sive intra iudicium ante sententiam diffinitivam, nihil impedit, quò minus inferior seu Ordinarius, à quo appellatum, in causâ procedere possit, donec appareat, an Superior, ad quem appellatum, cognita veritate suâ rescindere velit juxta *c. non solum. §. illa verò. de appellat. in 6.* Siquidem id de electione ad cathedralem vel regularem statutum est; idque ob reverentiam Sedis apostolicæ, & quia causæ majores facilius devolvuntur ad Papam. *Pirh. loc. cit. Laym. l. c. n. 2. cum gl. in cir. c. si postquam. v. ad Sedem apostolicam.*

4. Procceditque id ipsum etiam, ubi legitime electus appellavit à confirmatore Ordinario, eò quòd id ipsum noluerit confirmare, ita ut pendente tali appellatione factâ ad Sedem apostolicam (secus, si ad alium inferiorem iudicem appellatum) confirmator etiam si jam velit, non possit eam confirmare valide. *Castellin. de elect. c. 16. n. 19. apud Donat. to. 2. tr. 6. q. 18. n. 2. nihilominus Portell. in dub. v. appellare, n. 8. apud eundem Donat. loc. cit. n. 1. tradit absolute posse in hoc casu adhuc confirmare valide confirmatorem illum Ordinarium, non obstante, quòd appellatio liget manus iudicis appellati, & prohibent amplius procedere; eò quòd appellatio introducta sit à iure in beneficium appellantis; quisque autem cedere possit iuri & beneficio suo. Item quia id non est contra finem & intentionem appellantis; imò correspondet ejus desiderio. Et licet appellatio suspendat iurisditionem iudicis, à quo appellatur, non tamen quòd ad tendentiam in faciliorem exitum causæ. verum videtur huic sententiæ ob stare reverentia Sedis apostolicæ, ad quam appellatum,*

Questio 466. An, dum Papa provisionem (comprehendendo hoc nomine electionem, confirmationem, ut factum in c. si eo tempore. de elect. in 6.) Ecclesia alicujus suæ dispositioni reservavit, inhibens, ne ad electionem vel provisionem illius procedatur, & quid attentetur, sive scienter, sive ignoranter, an inquam, in hoc casu ante emanatam hujusmodi particularem reservationem ad electionem in tali Ecclesia fuerit processum, adeoque valida sit electio, utpote antecedens illud decretum reservationis, valide dein post emanatam illam reservationem possit confirmari ab inferiore, nihil adhuc sciente de illa reservatione.

Respondeo affirmative, si sermo est, non de Ecclesiis cathedralibus, sed Prælaturis inferioribus; ubi enim in his præcessit canonica electio reservationem, adeoque jam valida est, quidquid postea faciendum restat, expediri potest per Ordinarium, nec opus est pro confirmatione adire Papam; siquidem quod in contrarium statutum, nempe ut post electionis talis validæ confirmatio aliqua circa illam gesta etiam ab ignorantibus illam reservationem post illius emanationem, id inquam, solum locum habet in Ecclesiis cathedralibus, de quibus duntaxat loquitur *c. si eo tempore. de elect. in 6. Pirh. de elect. n. 330. juncto n. 329. Laym. in cir. c. si eo temp. n. 2. citans gl. in idem. c. v. cathedralis. Franc. ibid. n. 2. & Garc. de benef. p. 4. c. 3. n. 20. & 40.*

Questio 467. An confirmandus electus in discordia?

1. **R**espondeo, electum in magna discordia, etiam si ejus electio facta à majore parte eligentium, sine magno tamen excessu votorum, confirmari non debere, tradit Donat. *to. 2. tr. 7. q. 9. n. 5. citans gl. in c. si quando. de el. in 6.* (quæ tamen glossa nihil de hoc, ut *Pasf. mox citand.*) *Sylv. v. confirmatio. Castell. de elect. c. 14. n. 58. Azor. q. 2. l. 6. de 4. decalog. prac.* ratio illius est evitatio futurarum discordiarum, quæ religionem tranquillitatem everunt. Idque ut ait Donat. ex Castell. *loc. cit. præcipue,* ubi electus est vir cholericus, memor injuriarum, & vindictivus.

2. Verum hanc sententiam non tenere in electione, in qua servanda forma *c. quia propter.* ad validitatem electionis requirentis, ut quis electus sit à majore parte capituli; nec esse conformem communi DD. asserentium, electum à majore parte, si non adsit defectus in electione vel persona electi, esse confirmandum, asserit *Pasf. de elect. c. 33. n. 128. eò quòd quantumcunque discordia in eligendo sit magna, si proveniat à bono zelo, non sit reprehensibilis. c. ult. d. 63. & c. 17. 8. q. 1. unde non sit, cur cassetur electio talis in discordia habita (maximè, si discordia nõ fuerit ex culpa electi) nisi forte in casu aliquo particulari per accidens immerneret ex confirmatione grave damnum & scandalum, quod per se non immineret ex eo, quòd electio facta sit in discordia. Ad hæc, ut *Pasf. n. 129. cum in iis, quæ sunt à pluri-bus iure collegii, id quod fit à majore parte, fieri censetur à toto capitulo, argumento c. in causis. de elect. c. ad aures. de bis quæ vi. ut Barbof. ad c. bonæ. de presul. n. 6. Archid. in c. Nicena. d. 31. Electio canonica, utpote quæ fit in re collegii, censetur ad hæc con-**

cors, si sit à majore parte consentiente in scrutinio; ita etiam, ut secundum Bald. scrutinium tale dicitur factum unanimiter fictione juris; ac propterea talis electio, si aliunde quoque valida est, sic necessario confirmanda. Quin & de cetero, ubi in electione servanda non est forma *c. quia propter*, sed is censetur electus, qui plura habet suffragia, potest eundem confirmare habens confirmare. *Pall. loc. cit. n. 130.* Et si multò magis hæc dici possit electio in discordia. Imò secundum jus antiquum confirmari poterit electio, & unus ex electis, etiam si vocales, seu habentes jus suffragii, se in partes aequales divisissent. *Pall. cit. n. 128.* Et potest adhuc id fieri (ubi forma *c. quia propter*, non est servanda) dum suffragia in duas divisa sunt partes, præferendo tamen illum ex duobus, qui majoribus meritis & magis idoneus fuerit. *Azor. p. 2. l. 6. c. 25. q. 4.* juxta *c. si forte. d. 63.* Ubi verò unus electus, alter postularus, postulatio admittenda, si postulantium numerus numero eligentium fuerit major, aliàs confirmanda electio. *Azor. loc. cit. q. 5.* juxta *c. scriptum. de elect.* sed de his supra.

Questio 468. An confirmari possit, cujus electio facta per abusum secularis potestatis?

Respondeo negativè. *Donat. tom. 2. tr. 7. q. 11.* *Laym. in cap. quisquis. de elect. n. 8.* ubi cum communi: si is, qui per abusum laicæ potestatis electionem accepit, non præcedente dispensatione à Superiore, confirmationem accipiat, titulum non consequitur; quia electio, quæ non consistit, non confirmatur, ut *Felin. in c. postulasti. de rescript. n. 5.* Et is, qui à manu potestatis laicæ Ecclesiasticam dignitatem recipit, inhabilis redditur, ut promoveri dein ad eandem aliàmve nequeat sine dispensatione, ut *Laym. ibidem cum communi.* Unde si eandem à Superiore Ecclesiastico obtinere velit, explicare debet hanc inhabilitatem suam, & vitium intrusionis, si administrationi quoque se ingererat. *Laym. loc. cit. citans Felin. ubi ante. & Abb. in cit. c. quisquis. n. 2.*

Questio 469. An electus invitus confirmari possit?

Respondeo: electio, electo invito, non potest confirmari. *Pall. de elect. c. 33. n. 56.* citans *Gl. in cap. innotuit. de elect. & Abb. ibid. n. 13.* *Donat. tom. 2. tr. 6. q. 6. n. 1.* *Tamb. de jure Abb. 10. 1. d. 6. q. 2. n. 11.* cum enim inter eligentes, qui representant ipsam Ecclesiam, & electum contrahatur matrimonium spirituale; juxta *c. inter Canonicos. de elect.* requiritur consensus, non tantum eligentium, sed etiam electi, qui est futurus sponsus. *Tamb. Donat. l. cit.*

2. Potest nihilominus Religiosus electus compelli ad acceptandum officium. *Castell. de elect. c. 14. n. 12.* *Abb. in c. non est. de regular. n. 4.* *Tamb. loc. cit. n. 13.* *Pall. loc. cit. Donat. loc. cit. n. 2.* Tradit nihilominus *Donat. loc. cit. q. 15.* quòd electus & confirmatus, qui tamen noluit Prælatam & confirmationem acceptare, in Dominicanorum Ordine non possit dein Prælatum & sponsum dici Ecclesiæ, ad quam fuit electus, nisi largè & improprie, cum desit ei unum de substantialibus requisitis, nempe consensus. Idque eò fortius; quia in illo Ordine, etiam unanimiter electus & confirmatus quomodocunque, jus nullum ad illam Prælatam acquirit, nisi consentiat liberè. Unde confirmatur

P. Lauren. Fori Benef. Tom. II.

in illo Ordine nisi acceptetur, non aufferit vacantiam, v. g. Prioratùs, sed eadem vacantia adhuc perseverat; unde jus eligentium revertitur ad eligentes, qui sine fraude fuerunt, quod in se est, eligendo intra tempus capacem.

Questio 470. An confirmari possit electus, qui à confirmatore præsumitur male reclusus?

Respondeo: etiam unanimiter electus, qui à confirmatore prudenter præsumitur male reclusus, v. g. laxaturus disciplinam religiosam, eò quòd noverit, eum esse negligentem in observantia regulari, non potest sine peccato gravi confirmari. *Pall. loc. cit. n. 146.* ubi ait, hoc non esse proprium sui Ordinis, sed esse juris communis, imò naturalis & divini; citatque pro hoc *Peyr. in formul. lit. E. c. 18. n. 6. in fine.* Unde etiam concessum similibus confirmatoribus, seu Superioribus regularibus, habentibus confirmare electiones suorum, ut confirmet eas, si eis visum fuerit expedire. *Clem. Exivi. de verb. signif.* (in qua licet id statutum pro Minoribus, competere tamen omnibus Regularium Superioribus, probat *Pall. loc. cit. n. 148.* ex *Barbof. tum quia ratio istius constitutionis est generalis: tum quia, quando Princeps vni Præsidi rescribit, omnibus rescripsisse censetur, ut *Jafon. in l. 1. ff. de conscrip.*) *Pall. cit. n. 148.* qui rectè tamen addit, clausulam illam: *si videbitur*: importare arbitrium boni viri regulandum secundum leges & rectam rationem: adeoque non posse talem confirmatorem ex qualibet præsumptione cassare electiones, sed præsumptionem debere esse rationabilem & proportionatam gubernio Ecclesiæ visibilis; adeoque debere inniti rationi, quæ, si opus sit, possit ab Ecclesia sciri & duci. Vide de hoc plura supra, ubi num teneatur confirmator reddere rationem negatæ à se confirmationis, seu cassatæ electionis.*

Questio 471. An, & qualiter confirmari possit indignus?

Respondeo primò: electio indigni confirmari nequit, quia hoc est contra jus naturæ, & divinum, & canonicum, quòd inhabilis & indignus promoveatur ad ecclesiastica officia. *Pall. loc. cit. num. 117.* citans *Peyr. de subd. p. 1. q. 31. §. 11.* *Donat. p. 2. tr. 7. q. 7.* citans *Ledem. p. 2. tr. 7. concl. 7. difficult. 7.* Peccat proinde mortaliter talis confirmator, & tenetur ad omnia inde secuta damna, *Barbof. juris Eccles. l. 1. c. 19. n. 253.* citans *Pet. Nav. de rescript. tom. 1. l. 2. c. 2. n. 156.* *Joan. Valer. de different. inter utrumq. for. v. electio. difficult. 1. n. 4.* Addit tamen *Pall.* quòd nihilominus in arbitrio Superioris multoties sit positum, ut consideratis, paucitate hominum, necessitate Ecclesiæ, conditionibus temporum, ut quis censeatur aliquando dignus, qui aliàs non esset dignus; eò quòd, licet requisita de jure naturæ ac divino semper sint necessaria, nihilominus in arbitrio positum sit discernere, an omnibus pensatis in casu particulari deficiant; quòd magis verum dicit respectu eorum, quæ sunt necessaria ex jure positivo.

2. Respondeo secundò: potest tamen Superior habens facultatem dispensandi super jure positivo & pœnis, irregularitatibus, inhabilitatibus jure positivo impositis, indignum confirmare in hoc sensu, quòd confirmando talis dispenseret cum tali,

Q3

ac

ac dispensando de indigno faciat dignum. Pass. cit. num. 117.

3. Respondeo tertio: quin & confirmator sciens scientiâ privatâ, maximè haustâ in confessione, electum esse indignum, si aliud nihil obstat, tenetur eum confirmare; eò quòd confirmator sit Judex, & confirmatio procedat ab eo ut Judice, adeoque procedere debet secundùm allegata in foro externo. Donat. loc. cit. q. 8. n. 5. de quo vide fusc dicta de non cassanda electione, ex scientia privata indignitatis à Pass. n. 134, 144. & seq. uti & à nobis dicenda §. sequente.

Questio 472. Quas pœnas incurrat confirmans indignum?

1. Respondeo primò: qui indignum (maximè si ob defectû scientiæ, ætatis, honestatis vitæ ac morum indignus est, ut dicitur *c. nihil. de elect.* et si de cetero sint plures defectus & inhabilitates, prout etiam denotat particula *maximè*, quæ secundùm propriam significationem est inclusivâ aliorum, Laym. in cit. *c. nihil. n. 2.*) per negligentiam confirmaverit (præterquam quòd ipse actus confirmationis sit nullus, Lott. l. 2. q. 18. n. 53. & indignè promotus, seu confirmatus sit deiciendus, seu privandus Prælaturâ vel beneficio, ad quod confirmatus, ut dicitur *cir. c. nihil.* etiam post factam confirmationem cum cognitione causæ factam, dum postmodum constiterit, eum esse indignum, ut Pirh. ad tit. de elect. n. 326. ex Abb. in cit. cap. nihil. n. 2.) Primò ipso jure privatus est facultate confirmandi pro illa vice, seu ut habetur in *c. nihil.* primum illius indignè confirmati successorem per novam electionem electum; devolutò electionem immediatè sequentem confirmandi jure ad Superiorem illius confirmatoris immediatum; quamvis Laym. in cap. cum in cunctis, de elect. §. Clerici sanè, n. 7. satis insinuet, jus illud confirmandi non secus ac jus instituendi devolvi ad Capitulum (intellige, ubi id culpam non admisit eligendo indignum, & ubi Episcopus non jure devolutò, sed proprio confirmavit indignum; si enim id fecit jure devolutò, Laym. admittit, devolvi institutionem ad Metropolitanum) ob maximam Capituli cum Episcopo conjunctionem, ob quam meritò unius defectus ab altero suppletur. Verùm ob stare videtur, quòd potestas confirmandi, etiam devoluta, videatur in eo, ad quem devolvitur, jurisdictionem supponere, quam non habet Capitulum sede plenâ.

2. Insuper suspendendus est talis confirmator à perceptione fructuum proprii beneficii, quamdiu Superiori (intellige, qui suspensionem intulit. Pirh. loc. cit. num. 325.) visum fuerit, seu ut Barbof. quousque indulgentiam promereatur, Laym. in cit. *c. nihil. n. 2.* Pirh. cit. n. 325. Barbof. cit. n. 253. citans Lamb. de jurep. l. 2. p. 3. a. 3. Cosm. in pragmat. sancti. tit. de elect. v. ea vice.

3. Respondeo secundò: si verò confirmator scienter per malitiam seu dolum id egerit, gravius puniendus erit, ut dicitur *cir. c. nihil.* nempe pro arbitrio Judicis; cum poena à jure determinata non sit. Pirh. loc. cit. quamvis Barbof. loc. cit. dicat expressè, debere illum deponi, citâtque pro hoc Gl. in cit. *c. nihil. v. deponatur.* Vivian. in pr. jurispr. l. 12. c. 7. n. 8. Lavor. de elect. c. 25. n. 65. Firman. de Episc. p. 2. secunda p. q. 5. Debet autem dolus hic seu malitia, cum non præsumatur, probari, juxta quod dicitur in *cir. cap. nihil: si vero convictus fuerit indignum confirmasse, & l. quoties. §. 1. ff. de probat. ubi dicitur:*

qui dolo dicit factum aliquid, docere dolum admittendum debet. Pirh. cit. n. 326. Laym. cit. n. 2. qui etiam addit: ceterum ex verisimilibus conjecturis fieri posse præsumptionem de commisso dolo, juxta *l. dolum. c. de dolo.* saltem, ubi quis agit, quod omnes communiter sciunt esse prohibitum; vel non agit, quod scit sibi agendum esse, ut Gl. in cit. *l. dolum.* Tradit tamen Laym. in *c. innotuit. de elect. n. 6.* quòd, si electores elegerint illegitimum, aliòve defectu laborantem, vel indignum, præsumptio sit contra illos, quòd id scienter fecerint; ideoque contrarii probatio illis incumbit. Neque obstat *regula juris* 47. in 6. ignorantia (intellige facti alieni) præsumitur, ubi scientia non probatur: eò quòd hanc patiatur exceptionem: nisi de eo inquirere, & notitiam capere alicui ex officio incumbat, juxta *c. quamvis. de reg. juris. c. ult. de clandest. despons. l. regula. §. sed facti. ff. de juris. & facti ignor.* Sanch. de matrim. l. 3. d. 42. n. 1. Quæ autem in *cir. cap. innotuit.* dicuntur de Electoribus, eadem ratione intelligenda de confirmatore & institutore indigni, ait *ibid.* Laym. additque, quòd, tametî poena hæc privationis pro ea vice non incurratur, nisi quis indignum scienter promoveat, ut colligitur ex *cir. cap. innotuit. c. cum Vintoniensis. c. quamquam. de elect.* at tamen ignorantia directè voluntaria seu affectata, si nimirum de industria inermittatur inquisitio, ne defectus appareat, æquiparetur scientiæ, ut Gl. in *cir. c. innotuit. v. ignorantiam.* Anton. de Butrio *ibid. n. 24.* quos citat Laym. uti & seipsum *Theol. mor. l. 1. c. 20. n. 2.*

4. Irrogari quoque easdem pœnas privationis juris confirmandi pro illa vice, & suspensionis à perceptione beneficii confirmantibus indignum electum ad Prælaturam vel beneficium curatum videtur, cum in *cunctis. §. Clerici sanè.* etiam illud cap. expressè loquatur de eligentibus indignum: & quidem illas pœnas in dicto *c. cum in cunctis.* statutas comprehendere quoque confirmatores non Episcopos, seu inferiores confirmantes indignum in beneficio curato vel Prælatura, tradit *ibidem* Laym. n. 8. citato Suar. de cens. d. 31. s. 2. n. 10. Utrum verò extendantur quoque ad confirmantes & instituentes indignum in beneficio, quod nec curatum, nec Prælatura est, ait Laym. se non audere affirmare, cum nullus exstet Canon, qui id significet, sed tantum de Prælaturis, dignitatibus & beneficiis curatis; & in materia pœnali non liceat facere extensionem; nec ratio sit eadem, cum majus delictum, adeoque gravius puniendum sit, promovere indignos ad majora hæc beneficia; ethi dicat Idem Laym. non paucos Auctores universaliter & indistinctè affirmare, propter collationem, institutionem, confirmationem indigni pœnam illam privationis incurri, & devolutionem fieri ad alium. Et sanè etiam illud *c. nihil.* non loquitur nisi de Prælaturis.

5. Respondeo tertio: si Superior, ad quem pertinet confirmatio, non per seipsum, sed per alium curet nominari & confirmari electum, cui potestatem examinandi & confirmandi commisit; is autem ex malitia seu dolo, vel ex ignorantia seu negligentia confirmet indignum, ipsum Superiorem, seu committentem puniendum esse, quia obligatur ex culpa & dolo commissarii sui (tenetur enim dominus ex facto illorum, quorum operis utitur. *l. 1. ff. de publican.*) nisi tamen ex justa & probabili causâ potestatem delegavit; eò quòd tunc non teneatur ex dolo & malitia commissarii, tradit Pirh. cit. n. 326. citans Abb. in *c. nihil. n. 5.*

Qua

Questio 473. An confirmator cassare possit electionem digni legitime factam?

1. **R**espondeo: confirmatorem id per se loquendo non posse. Pass. n. 134. ubi expressè ait: evidenter falsum est, in confirmatoris potestate esse, confirmare, vel cassare electionem, sicut liberum est Electoribus eligere, quem volunt, cum ex iustitia confirmator teneatur confirmare electionem canonicam digni; & n. 135. ubi; inter confirmatorem & Electorem hæc est diversitas; quòd elector per se validè quomodolibet quemlibet dignum excludit ab electione, nisi per accidens in casu, ubi unus solus est dignus, & quilibet alius indignus; confirmator autem per se nullum validè excludit à confirmatione, sed solum per accidens ex extrinseca urgentissima causa. Idque, ut Idem habet n. 134. quia elector nihil positivum facit contra non electum, sed negativè se habet circa illum ex plenissima libertate non coarctabili non eligens, quem iudicat non eligendum; cum non electus non habeat jus, ut eligatur; confirmator verò positivè electionem cassat, & contra jus electorum & electi agit; de quo vide dicenda *quest. seq.*

2. Potest nihilominus electionem digni undequaque validam ex causâ rationabili per accidens ob bonum commune cassare, Pass. num. 136. citans Bannez. 2. 2. q. 67. a. 2. ad 2. cum communi; quia Prælatorum munus est, ut boni communis rationem habentes, utilitatem publicam præferant privatæ. Pass. *ibidem* juxta c. bona. de postul. & ibi Gl. v. communem. Abb. n. 11. Et sic ratione scandali vitandi electio aliâ valida non est confirmanda, Pass. cit. n. 136. citans Abb. in c. 1. de elect. n. 8. Seraph. decis. 516. n. 4. Felin. in c. 2. de præscript. n. 2. Peyr. in formular. lit. c. c. 18. num. 6. Donat. p. 2. tr. 7. q. 6. item plures textus juris.

Questio 474. An confirmari possit dignus, præterito digniore?

1. **R**espondeo non solum posse, sed & debere confirmari dignum, seu electionem digni aliâ validam, etiam ubi prætermisus est dignior. Pass. de elect. c. 33. n. 166. & 137. ubi expressè ait: confirmator per se nullum dignum electum validè excludit à confirmatione; sed accidentali causâ rarissimè occurrente; quia cum ex c. postquam. de elect. aliis que iuribus confirmator teneatur electionem digni confirmare, si aliter facit, contra legem facit, & ideo cassatio ab eo facta, juxta reg. quæ contra jus. de reg. juris in 6. pro infecta haberi debet & cassari. Donat. rom. 2. tr. 7. q. 8. n. 1. & 2. citans Bannez. 2. 2. q. 63. a. 2. dub. 3. ad 7. Cajetan. in sum. v. electio. Covar. in reg. peccatum. p. 2. §. 7. n. 4. Rodriq. in sum. p. 1. c. 106. concl. 11. n. 13. Ratio responsionis est, quòd licet electores eligere teneantur meliorem; peccentque mortaliter non eligendo digniorem; de quo vide fusè agentem Pass. c. 30. de elect. valida tamen sit electio digni, omisso digniore, pro quo Pass. cit. n. 166. citat D. Thom. 2. 2. q. 63. a. 2. ad 3. & *ibid.* Bann. Cajetan. Aragon. Abb. in cap. constitutus. de appellat. n. 7. & *ibid.* Franc. n. 4. Imol. & Praposit. num. 16. Paris. de resign. l. 4. q. 11. n. 40. Nav. cons. 21. de simon. Gonz. ad reg. 8. Cancell. gl. 4. n. 129. Barbof. ad c. cum nobis. de elect. n. 3. Covar. in reg. peccatum. §. 7. nu. 4. Rotam in Eugub. paroch. 13. Jan. 1623. & plurimos alios. Ita etiam, ut hoc verum sit, etiam si electores jurassent, se velle eli-

gere digniorem; quin &, si fieret statutum, quòd statueretur, ut non valeat electio digni, omisso digniore; illud tanquam contrarium juri communi non valeret, nisi confirmaretur à Papa. Pass. cit. n. 166. Unde jam confirmator ex iustitia teneatur confirmare dignum ritè electum etiam prætermisso digniore; & si secus faceret, gravaret electum dignum, utpote qui ex tali electione jus acquisivit ad Prælaturam; adeoque à tali injusto gravamine appellare potest ad Superiorem. Donat. loc. cit. citans Castell. de elect. c. 14. n. 17.

2. Limitat tamen responsionem Donat. loc. cit. n. 4. ut ea procedat secundum jus commune; ait enim, quòd si jura particularia statuisent (ut asserit fieri in suo Ordine) confirmatorem posse cassare electionem digni, si viderit digniorem prætermisum, id possit confirmator; modò evidenter constet relictum esse digniorem; aliâ ad evitandas lites & contentiones melius sit, confirmare electionem digni, prout jure cautum est.

3. Quòd si tamen confirmatori proponantur plures electi, tenetur sub mortali confirmare digniorem ex illis; eò quòd tunc electoris, qui in conscientia tenetur eligere digniorem, & confirmatoris vices gerat. Donat. loc. cit. n. 6. citans Ledem. in sum. p. 2. tr. 7. c. 2. concl. 7. dub. 7. Armill. v. electio, n. 2.

Questio 475. An confirmari possit infamis infamiâ facti; quia nimirum inquisitus aut accusatus de gravi crimine, & de eo apud viros graves diffamatus?

1. **R**espondeo primò: ex quo electus apparet infamis simplici infamiâ facti, non statim debet aut potest cassari ejus electio, seu rejici à confirmatione; non enim est eadem ratio de electione, ad quam electus nullum jus habet, & de confirmatione, ad quam electus vi electionis jus habet, & privatur jure suo, si non confirmetur; unde si ex libertate eligentium non eligatur, nulla ei fit injuria, secus, si sine ratione non confirmetur; adeoque ex quo electus apud confirmatorem apparet infamis simplici infamiâ facti, datur locus ad inquirendum, non ad statim illum condemnandum; & sicut ex eo, quòd apud confirmatorem sit accusatus, is non potest cassare electionem, ita nec id potest ex hoc, quòd sit accusatus apud alium Judicem, vel alios viros graves, sed debet inquirere (nempe vel in judicio contradictorio, seu instante adversario, vel ex officio confirmatoris) in veritatem delicti, juxta c. nihil. & c. si forte. de elect. in 6. Ita ferè Pass. de elect. c. 33. n. 118.

2. Respondeo secundò: quòd si confirmator, habitâ inquisitione invenit infamiam à malevolis aut levibus personis ortam, nec habere fundamentum, unde verè non sit realis, ut privet electum estimationem viri probi apud probos ac graves viros, nec ejus idoneitatem dubiam reddat, danda est confirmatio, nisi fortè scandalum aliquod grave timeatur; non obstante de cetero, quòd hæc infamia sit deducta per accusationem ad tribunal Judicis alicujus confirmatore non superioris; eò quòd multò majus sit, quòd accusatus apud talem Judicem habitâ inquisitione, etiam extrajudiciali, inveniat à confirmatore innocens, seu infamia talis, quæ tanquam orta à malevolis, non sit attendenda, quàm si hoc sciatur à solis privatis; adeoque debet confirmari, etiam pendente ibi istiusmodi

accusatione, secluso scandalo. Pass. num. 119. juncto n. 120. ubi etiam, quod AA. qui alios docent, accusatum in iudicio non debere promoveri, sint intelligendi sub hac limitatione, ut non procedat in accusato à malevolis, non gravato apud viros probos & graves. Si tamen electus accusatus de crimine gravi in tribunali Judicis confirmatore superioris, maxime Sedis Apostolica, abstinendum esse à confirmatione, seu eandem differendam, ait Pass. cit. n. 119. tum ob reverentiam Superioris; tum ob periculum, cui se exponit confirmator in eo casu, utpote contra quem procedere poterit ille Superior tanquam confirmatorem indigni, ubi accusatus in illo Superioris iudicio succumberet: tum ob praedictum, quod fieri posset causa in tribunali Superioris agitata, dum ex confirmatione redderetur difficilior probatio criminis contra electum, & requirentur plures testes ad illum convincendum: tum ob scandalum, quod timeri posset, ubi damnatus à Superiore inveniretur confirmatus. Et de hoc ad summum procedit, quod ait Donat. p. 2. tr. 7. q. 9. n. 1. quod pendente accusatione promoveri non debet accusatus, & graviter puniendum promotorem illius juxta c. tantis. d. 81. & promotum pendente lite seu accusatione, quamvis innocens & sine culpa, juxta Gl. marginal. in cit. cap. tantis. v. obrepfit. Nam de cetero bene ait Pass. n. 123. ubi electus est accusatus apud aliud tribunal, quam sit tribunal Superioris, ad quem pertinet confirmatio, non est necesse, quod iste Superior exspectet, ut alius Judex inquirat ac cognoscat; sed potest ille in hac parte uti jure suo, vel judicialiter, si id ei liceat, vel extrajudicialiter: & ubi invenerit accusationem calumniam, & provenire à malevolis, seu infamiam non habere fundamentum, non est necesse, ut exspectet alterius iudicium, & ubi vel bonum commune, vel necessitas vitandi scandalum, vel etiam reverentia Papæ, juxta qualitatem delicti & rerum circumstantias aliud non requirit, poterit electionem accusati confirmare.

3. Respondeo tertio: ubi differenda confirmatio ob pendenciam accusationis apud altiorem Judicem, & accusator per annum tacuit; imò per tres menses respectu confirmandi seu promovendi in Episcopum, juxta authentic. de sanctiss. Episcop. §. 3. collat. 9. nisi Judex brevius tempus fuerit moderatus, juxta c. quisquis. 4. q. 5. & Argumento c. accepimus. de fide instrumentorum. poterit accusatus confirmari seu promoveri. Pass. l. cit. n. 121. Donat. l. cit.

4. Respondeo quarto: confirmator, ad cujus tribunal accusatus est electus, non potest confirmare, nisi prius examinata veritate de crimine, de quo est accusatus. Similiter, si electus remanserit de crimine convictus vel confessus, vel apud probos & graves viros adhuc infamatus, quia non fuit infamia deleta coram confirmatore ex inquisitione diligenter habita. Donat. loc. cit. Pass. n. 123. qui etiam n. 119. quod si habità inquisitione infamia orta ex honestis & gravibus viris non cessat, nec electus infamiam pergavit, electio est cassanda. Porro præ oculis habendum, ut ait Pass. n. 118. quod infamia facti tollatur per poenitentiam, unde arbitrio confirmatoris relinquatur judicandum, an electus diffamatus per poenitentiam deleverit infamiam; videnda etiam dicta à nobis in 1. part.

ubi, an infames promovendi ad beneficia ecclesiastica,

PARAGRAPHVS IV.

De causis, modo ac forma procedendi ad dandam confirmationem.

Questio 476. An, & qualiter confirmatio requirat causam, & causa cognitionem?

1. Respondeo ad primum: causa motiva quasi ultimata confirmandæ electionis est, ut provideatur Ecclesiæ vacanti de novo sponso. Causa immediata veluti necessitans confirmatorem ad confirmandum (confirmare siquidem est actus justitiæ, ut dictum supra ex Lott. l. 2. q. 2. n. 19.) est electionis legitimitas & personæ electæ idoneitas. Causæ impulsivæ ad idem, seu ad facilius concedendam confirmationem provisionemque prelaturæ enumerantur à Laym. in cap. innotuit. de elect. n. 5. ex Abb. in cit. c. n. 5. Butrio. n. 28. Electorum concordia, petitionis populi, Principis assensus, aliorumque vota.

2. Respondeo ad secundum: procedere non potest, nec debet ad confirmationem confirmator, nisi cum cognitione utriusque causæ hujus, sive priusquam inquisierit, & informationes sumperit tam super forma, processu ac valore electionis, quam super electi meritis aut demeritis, seu conditione ac idoneitate. c. nihil. de elect. & ibi gl. v. examinet. Abb. n. 1. c. postquam. de elect. & ibi Abb. n. 7. Laym. in cit. c. nihil. n. 1. Barbosa juris Eccles. l. 1. c. 19. n. 251. Donat. p. 2. tr. 7. q. 5. (ubi etiam, quod nemine opponente seu instante hæc duo debeant examinari) Pirh. ad rit. de elect. n. 316. Lott. l. 2. q. 2. n. 18. & expressius q. 18. n. 37. Azor. p. 2. l. 6. c. 16. q. 6. Pass. de elect. c. 33. n. 78. citans quamplurimos alios.

3. Estque confirmatio facta sine dicta cognitione causa ipso jure irrita. Donat. loc. cit. q. 6. n. 1. ex Abb. in c. nihil. de elect. num. 1. Tamb. de jure Abb. tom. 1. d. 6. q. 2. n. 6. Lavor. de elect. c. 25. n. 62. apud Pass. loc. cit. n. 102. juxta textum in cap. fin. de elect. in 6. vi cujus cassatur confirmatio repentinè facta, hoc est, sine citatione & discussione negotii, Nihilominus manifestum esse, quod hæc confirmatio ad sui nullitatem requirat sententiam declaratoriam, ut coustet per eam de defectu discussionis negotii, & sic de nullitate confirmationis: ed quod, cum discussio hæc non sit una & indivisibilis, sed requiratur major vel minor, & ubi electi qualitates & electionis valor sunt notoria, non sit necesse aliqua inquisitio, difficile sit videre, an negotii discussio defuerit, ut confirmatio ex hoc capite censeatur nulla, tradit Pass. cit. num. 102. Qui tamen etiam rectè illud addit; quod, si electio verè fuerit nulla aut irritanda ex defectu, quem confirmator non potuit, vel censeatur non voluisse supplere, ex quo repentinè processit, & sine causa discussione electionem confirmavit, etiam postquam electus fuit confirmatus, & est in possessione, possit electio iterum in iudicium vocari,

& si justitia id exigat, debeat cassari.

*

Questio 477. An confirmatores regulares pari modo teneantur praemittere dictam inquisitionem de electionis processu, electisque idoneitate confirmationis suorum regularium?

Respondeo primò: Pralati regulares subijciuntur juri communi, nempe decretali *nihil*, & aliis, quatenus prohibent electiones confirmari, non examinato negotio, scilicet non examinato processu electionis & meritis, seu idoneitate electi; & non minùs incidunt in poenas *dicti cap. nihil*, si id omiserint, aut in hoc negligentes fuerint, & vel sic electionem cassandam, electumve indignum confirmant. Pass. *loc. cit. n. 12.* nam inquisitio hæc seu informatio de valore electionis electi que meritis est de substantiâ confirmationis legitima; idque non tantum, quia est apex aliquis juris, seu solennitas à jure positivo tanquam legitima confirmationis inducta (ad quos juris apices & solennitates servandas vi multiplicium suorum privilegiorum sæpe non tenentur Regulares) sed quia necessaria est ex natura rei ad rectam confirmationem, eamque confirmator præmittere debet ex officio ratione publicæ utilitatis; cum enim confirmator sit Judex & cognitor, ut in *cap. 1. de elect.* debet se informare de re judicanda, in qua in præsentemateria partes sunt Electores, electus & Ecclesia; unde attendere debet, ne injustitiam aliquam contra illos admittat, & consequenter etiam, dum nullus est oppositor, se informare de electi dignitate, & electionis valore. Pass. *cit. n. 112. in fine, juncto n. 110.* citans pro hoc Peyr. in *formular. lit. C. c. 18. n. 3.* Sigism. de Bonon. *de elect. dub. 46. n. 7.* Castell. *cap. 14. n. 6.* Unde jam minùs rectè Donat. *p. 2. tr. 7. q. 6. n. 2.* cum Rodriq. *tom. 2. q. 32. n. 5.* quem citat. irem Peyr. in *subd. q. 1. c. 31. Labor. de elect. tit. 4. n. 60. & 61.* Sigism. de Bonon. *dub. 44. num. 12. & 60.* apud Pass. *n. 108.* asserunt, tutam esse consuetudinem illam, seu praxin, quam servant Generales Ordinum in confirmandis electionibus Provincialium, non præmittendo dictam inquisitionem: tum quia ob multa privilegia sua non tenentur servare omnes apices & subtilitates juris, inter quas est etiam illa cognitio causæ: tum quia ex privilegio iis concessio à Sixto IV. possunt hunc defectum supplere. Tum denique, quia sic colligitur ex *Clem. Exivi. de verbor. signif. §. demum.* Nam cum dicta inquisitio non necessariò faciendâ sit judicialiter per testes juratos, ubi non sit in judicio contrad. & otio, parte sic instante, sed fieri possit extrajudicialiter per famam & literas testimoniales, ut Pass. *n. 111.* dumque modus dictæ inquisitionis maximè dependeat ex specialibus statutis, consuetudinibus, aut etiam privilegiis uniuscujusque Ordinis, ut Pass. *n. 113.* malè dicitur, confirmatores illos sine ulla inquisitione factâ vi privilegiorum suorum, aut ex præscripta consuetudine contra jus commune procedere ad confirmationes, ex sola fama & literis testimonialibus, quas habent ex Conventibus, ut dum in Ordine Minorum, de quo testatur Peyr. *loc. cit.* mittuntur ad Generalem confirmatorem literæ testimoniales subscriptæ omnium vocalium seu Electorum nominibus, etiam illorum, qui electum non nominarunt, dum in Ordine Prædicatorum (de quo testatur Pass. *n. 113.*) absque eo, quòd tales testimoniales sint de substantiâ, ex solo decreto electionis procedunt confirmatores ad confirmandum, ubi nulla sit oppositio; in quo decreto nedum descriptus fideliter processus ele-

ctionis, sed etiam datur testimonium de integritate morum electi; siquidem hæc ipsa est inquisitio & informatio sufficiens, quam jus commune requirit. Pass. *n. 113. juncto n. 111.*

2. Respondeo secundò: non tamen tenentur confirmatores istiusmodi regulares ad formam *ca. fin. de elect. in 6.* utpote quæ in eo consistit, ut citentur competitorum & oppositorum personaliter, & insuper, ut etiam si electio facta in concordia, citentur per edictum omnes interesse habentes, quæ est solennitas tantum & apex juris, ad quem non tenentur regulares vi suorum privilegiorum, Pass. *loc. cit. n. 109.* testans in suo Ordine tales non tantum non citari personaliter ac nominatim, sed & prohiberi, ne veniant ad confirmatorem sine speciali licentia; eò quòd electis in hoc Ordine non competat prosequi causam suæ electionis; oppositores vero citentur ipso jure, ut simul cum scrutinio oppositorum suarum jura seu rationes transmittant, & si opus eorum præsentia, licentiam petant veniendi.

Questio 478. An igitur hæc necessitas præmittendi dictam inquisitionem, & pœna statuta negligentibus illam extendat se ad omnem confirmationem, etiam electionum ad beneficia simplicia?

Respondeo: affirmativam indistinctè tenent Gemin. in *c. fin. de elect. in 6.* & ex eo Sylv. v. *confirmatio. n. 5.* Rectius distinguit Pass. *n. 107.* decretalem *fin. de elect. in 6.* loqui absolute, & indefinite de electione sine limitatione; ac proinde rectè dicit, quòd extendat se quoque ad confirmationem electorum ad simplicia; & sic quoque ad hospitalia, dum illud datur in beneficium viæ electivâ. Quin & ad institutionem, & ad admissionem postulationis, cum præsentatio & postulatio veniat nomine electionis, pro quo postremo citat Jo. And. & Host. in *c. proposuit. de concess. præb.* Aliam verò decretalem illam *nihil.* expressè se explicare & limitare ad electiones ad beneficia tantum Curata; adeoque poenam illius non incurere, qui sine dicta inquisitione confirmat electionem ad beneficium non habens regimen animarum. De cetero dictam necessitatem præmittendi examinis seu inquisitionis locum non habere patet in iis casibus, ubi actus confirmationis non distinguitur ab ipsa electione, sed hæc ipsa vim confirmationis habet, v. g. dum eligentes ita elegerunt, ut sine ulteriore alterius consensu factus electus jus plenum assequatur. Et sic in specie electio Papæ, quæ fit per collegium Cardinalium, dum non expectat confirmationem alterius, à nullo, posteaquam facta est, examinari potest, ut Lott. *l. 2. q. 18. n. 35.* Idem dicendum videtur, dum electio & confirmatio sunt actus quidem distincti, electio tamen non expectat confirmationem alterius Superioris, sed solum ut ei, qui ab Electoribus nominatus est, ab illis adjudicetur beneficium; cum ista non sit propriè confirmatio. Sic indicare videtur Lott. *loc. cit. n. 54.*

Questio 479. Quas pœnas incurrat confirmator omittens hanc inquisitionem, aut negligenter se in ea habens?

Respondeo: puniri illum vi *c. nihil.* potestate confirmandi pro illa vice, & suspensionem à beneficiis juxta ea, quæ supra dicta sunt de poenis confirmantium indignum, Pass. *n. 104.* qui etiam addit, ad incurrendam dictam poenam debere de negligentia

gentia hac commissa in dicta inquisitione in iudicio constare, unde requiratur processus & causa instructio. Verum non videntur hæc pœnæ locum habere, ubi ea omissa vel negligenter instituta dicta inquisitione actu non sequitur confirmatio indigni aut electionis invalida. Illud etiam notandum, quod habet Pass. n. 114, nempe quod pœnæ *cit. v. nihil.* locum non habeant, si ex negligentia casetur electio confirmanda, sed solum in confirmatione, per quam confirmatur electio cassanda; eod quod de sola confirmatione textus ille loquatur, uti & textus *c. fin. de elect. in 6.*

Questio 480. Quid circa electionem inquirere, unde & qualiter se informare debeat confirmator?

Respondeo ad primum: inquirere debet de forma & serie electionis, num canonice facta, & nihil substantiale prætermisum sit. Pirh. *loc. cit. n. 317.* Laym. *ad c. postquam, de elect. n. 6.*

2. Respondeo ad secundum: potest se confirmator desuper informare, eique constare ex decreto electionis continere totam seriem seu processum electionis descriptum authenticè. Pirh. & Laym. *ll. cit.* citantes Gl. *in c. innovit, de elect. v. decreto.* Innoc. *ibid. n. 3. eod. v. But. n. 15.* Abb. *n. 14.* facit siquidem hoc decretum plenam fidem, si per publicam personam seu tabellionem confectum fuit, attestantem, omnia fuisse gesta in sua & testium præsentia. Pirh. *loc. cit.* citans Abb. *ubi ante.* & Sylv. *v. electio. q. 18.*

Questio 481. In quas qualitates electi confirmator teneatur inquirere?

Respondeo: imprimis ac potissimum inquirere debet in legitimam aetatem, scientiam, Ordines electi. *c. cum nobis, de election.* Laym. *in c. postquam, de elect. n. 5.* Pirh. *ad tit. de elect. n. 318.* Ceteræ qualitates, in quas inquirendum, spectant mores ac vitam electi, enumeranturque *ferè c. 2. d. 23.* ubi, qui Episcopus ordinandus est, ante omnia examinetur, si naturæ sit prudens, docibilis, moribus temperatus, vitæ castus, sobrius, suis negotiis cavens, humilis, affabilis, misericors &c.

Questio 482. An, dum nullum est de defectu electi indicium, nullus rumor; quin & publicato edicto, nullus apparet contradictor, nihil contra ejus vitam, mores, aliæque in eo ad prælaturam, ad quam electus, requisita auditur, nihilominus adhuc fieri debeat in qualitates illius inquisitio?

Respondeo primo: supponendo, quod ubi vel electo opponitur aliquod delictum, vel ubi de eo diffamatus est, vel etiam ubi est probabilis rumor privatus de aliquo illius defectu, confirmator teneatur inquirere, vel per specialem inquisitionem, si infamia contra illum, vel indicia sunt talia, ut ad sic inquirendum sufficiant, vel opposcentes insens, vel ipse procedendum judicet; vel per inquisitionem generalem, si indicia sint leviora, & electus non diffamatus, sed solum contra illum sparsus sit rumor aliquis talis, ut inducat probabile dubium vel rationabilem suspicionem de delicto aut defectu electi: nequit enim confirmator confirmare electum, dum dubius est de illius ido-

neitate, donec se informet de veritate. Pass. *cit. n. 318. n. 83.* Hoc supposito,

2. Respondeo secundò ad questionem affirmativè. Lot. *l. 2. q. 18. n. 48. & 49.* ubi ait: etiam nemine opponente, quin & oppositore deficiente & renunciante, confirmatorem ex officio posse in illa inquirere. Sed & debere adhuc inquirere, hisce expressis statuitur *c. cum nobis, de elect. quoniam contra personam illius, quem elegisti, nihil dictum fuerit vel obiectum; quia tamen juxta verba Apostoli 1. ad Timoth. 5. dicentis: nemini cito manus imponas, debemus attendere diligenter ad ea, quæ circa personam inquirenda fuerant &c.* Laym. *ibid. n. 6.* Pirh. *ad tit. de elect. n. 317.* Barbof. *juris Ecclæs. l. 1. c. 19. n. 252.* Distinguit nihilominus Lamb. *de jure Abbat. Tom. 1. d. 6. q. 2. n. 6.* citans pro hoc *c. in Lateran. de prob. c. constitut. il. 1. de Appell. Nav. conf. 2. n. 3. de elect. Pass. cit. n. 83.* citans insuper Samuel. *tr. 1. d. 8. concl. 2. n. 24.* Lavor. *c. 25. n. 57.* ut procedat, ubi electus & populo, & confirmatori est ignotus, eod quod confirmator nullum confirmare debeat, de cujus idoneitate non sit certus moraliter; multo magis etiam in confirmatore sit necessaria noticia de electo, quam in electoribus. Secus verò, seu nullam aliam inquisitionem necessariam se credere, ubi electus ille est populo & confirmatori valde notus, & communiter uti dignus approbatus.

3. Respondeo tertio: sed neque, ubi nihil in contrarium urget, electus præsumi debet idoneus, ita ut ob hanc præsumptionem cesset obligatio inquirendi. Nam imprimis qualitates illæ, quas Gl. *in c. si forte, de elect. in 6. v. scientia.* extrinsecas, aselecticias, seu quasi ab extrinseco advenientes vocat, nimirum ætas, scientia, Ordo, non præsumuntur inesse, nisi probentur, & hinc in has potissimum inquirendum. Pass. *n. 86.* Laym. *in c. postquam, de elect. n. 5.* Pirh. *cit. n. 318.* Unde etiam, licet, ubi citæ has qualitates defectus aliquis objiciatur electo, objiciens teneatur illum probare. Pass. *cit. n. 86.* citans *c. 1. c. ut circa. c. si forte, de elect. in 6. c. cum dilectus, de elect. c. tam literis, de testibus;* cum excipiens excipiendo fiat actor. *l. 1. ff. de except.* Barbof. *ad cap. si forte. num. ultimo.* Si tamen nullus sit opponens, & in dubium verratur talis qualitas extrinseca, pertinet ad electum, eam probare. Pass. *loc. cit.* citans *c. cum nobis. c. cum dilecti, de elect.* Gl. *in c. si forte. v. scientia.* Abb. *in c. postquam, de elect. n. 7.*

4. Deinde qualitates aliæ intrinseca (dictæ non tam ex eod quod homini quasi innate sunt, ut Gu. paulo ante *cit.* cum virtutes non sint à naturâ, nec cum ea nascantur, sed magno labore, divinâ adjuvante gratiâ, acquirantur: sed potius ex eo, quod in tantum homini connaturales sunt, seu secundum humanam naturam, in quantum est proprium ejus bonum, vivere ex recta ratione, & vitium fugere, adeoque ad hoc natura, quantum est ex se, inclinet. Pass. *n. 84.*) puta, quod quis verax, castus, sobrius, pacificus, humilis, misericors &c. sit, & si præsumenda sint inesse alicui, habendusque quis sit pro viro bono ac integro, quamdiu non est, quod contrariam præsumptionem inducat; id tamen intelligendum, ubi nihil mihi est eum aliquo negotii; unde nec tunc in vitam illius inquirere oportet; at tamen dum agitur de promovendo ad dignitatem & officia ecclesiastica, bonitas illa intrinseca non præsumitur, nec sufficit negativa illa noticia, ex eo confurgens, quod nemo præsumatur malus: sed requiritur positiva illa noticia; & non secus, ac dum

Mia tradenda est in matrimonium alicui (quemadmodum prælatus electus tanquam sponsus Ecclesie per confirmationem tradendus est) merito in ejus vitam ac mores, num videlicet iis dotibus ac virtutibus instructus sit, quæ ad prælaturæ munus sunt necessaria, iisque vitis creat, quæ illum ad eam ineptum reddunt, ac præcipue quod ad ea, quæ in c. cum in cunctis, de elect. continentur, inquiri potest ac debet, quantum quo ad externa saltem de his Ecclesie testimonium dari potest. Pass. n. 87. juncto n. 87. (quamvis Idem n. 88. tradat, quod si electus est bene notus populo, & confirmator inquisivit per edictum citando habentes interesse, & non solum non appareat oppositor; sed nec adest infamia, nec rumor aliquis, aut indicium malitiæ in electo, tunc locum habere posse Regulam: quisque præsumitur bonus, nisi contrarium probetur: & præsumptionem bonitatis in eo) Laym. Pirh. l. cit. Lott. l. 2. q. 18. n. 51. & 52. ubi: constat, præsumptionem illam bonitatis in hoc nihil suffragari, & ab illa in promotionibus & aliis actibus spiritualibus recedi; pro quo citat Sarn. de respectiv. n. 78. & 150. Alciat. de præsumpt. reg. 3. præsumpt. 2. n. 2. Et ideo hæc probanda ait ex Card. in clement. unic. de concess. præb. n. 2. ubi: quod, quia nascimur filii iræ & proclives ad peccandum, vehementer præsumitur contra quemlibet, ubi agitur de ipso promovendo; quæ eadem ferè repetit Pass. n. 87. citans insuper Barbof. in c. si forte, de elect. in 6. n. 8. Neque his obstat, quod in c. unico. de scrutin. in Ord. faciend. dicatur de ordinando; quod quis eum, quem indignum esse non novit, dignum debeat æstimare; nam ibi ordinandus per literas tanquam idoneus præsentatus & commendatus fuit, adeoque adfuit probabile indicium seu conjectura de probitate & idoneitate illius. Laym. loc. cit. ex Butrio in c. unico. n. 42. & cum illis Pirh. cit. n. 318.

5. Unde jam etiam sequitur primò, non esse testimonium sufficiens in ordine ad satisfaciendum intentioni Ecclesie, & avertendum periculum assumendi Prælatos indignos, ubi testes examinati super virtutibus seu qualitatibus illis intrinsecis, & habilitate electi, solum ex præsumptione illa communi, quod oppositum non viderint, nec ab aliis audiverint, & quisquis præsumendus bonus, quamdiu non constat de contrario, respondeant, illum esse castum, sobrium, misericordem, &c. sed necesse est, ut habeant positiva & sensibilia indicia seu conjecturas, ex quibus probabiliter judicare possint, tales qualitates bonas ei inesse; eò quod post naturæ lapsæ inclinationem in malum ejusmodi virtutes non sine labore & assuetudine acquirantur, adeoque & ipsæ aliquo modo sint ascititiæ, ita ut si se positive non prodant, seu indicis positivis non deprehendantur, non possit oriri præsumptio, seu probabile indicium, quod homini insint. Laym. Pirh. l. cit. Ad hæc licet in privatis judiciis, dum non apparent manifesta indicia de vita mala alicujus, debeamus eum habere pro bono, & in meliorem partem interpretari, quod dubium est, ut D. Thom. 2. 2. q. 60. a. 4. in corp. in judiciis tamen publicis aut testimoniis dandis, stante dubio in utramque partem, ita ut non adsint indicia majora pro hominis probitate, seu bona qualitate quam in oppositum, testimonium legitimum dari non possit pro illius probitate & habilitate, cum tale testimonium periculo errandi, & falsò judicandi expositum sit, & in præsentate casu error talis sit practicus valde noxius Ecclesie; dum contra error, quo

quis in privato judicio habens aliquem pro bono, quamdiu de opposito ei non constat, fallitur, non imputetur ad culpam; quia in nullius cedit injuriam; & cum, ut Cajetan. apud Laym. hujusmodi error intellectus speculativi versetur circa singularia, non censetur notabilis defectus aut malum operantis. Laym. l. cit. & ex eo Pirh. juxta D. Tho. loc. cit. & Molinam.

6. Sequitur secundo, quod etiam, ubi non est oppositor (vel etiam oppositore renunciante, ut Lott. loc. mox citand.) electus ipse, dum ipse petit confirmari, vel alias eligentes, ubi hi confirmationem petunt, probare positive teneantur hæc intrinsecas electi qualitates; eò quod, ut dictum, ob inclinationem illam naturæ lapsæ ad malum inclinationem Ecclesia habere possit vehementem contra quemlibet præsumptionem, quod non sit bonus, dum agitur de eo promovendo ad Prælaturam. Lott. l. c. n. 49. & 50. citans Felin. in c. in præsentia, de probat. n. 27. Jo. Andr. ad reg. infamibus. de reg. juris in 6. num. 8. & 9. Butrio in c. bona. il. 1. de elect. n. 58. Pass. n. 87. quamvis restringat ad casum, ubi electus non satis est notus populo, & iis, qui per edictum citantur; vel adest rumor aliquis, vel indicium contra electum, vel probabile dubium de bonitate illius. Neque his contrarium tenet, adeoque sibi non contradicit Lott. loc. cit. n. 55. loquitur enim, ut patet ex num. 54. non de confirmatione proprie tali, seu quæ fit post electionem per actum distinctum ab alio superiore, & distincto ab eligentibus; sed de eo actu distincto quidem ab electione, qui tamen fit ab iisdem Electoribus, & per quem beneficium adjudicatur ab iis electo: aitque, quod post electionem ante dictum actum adjudicativum, seu quasi confirmativum, si oriatur controversia super aliqua electi inhabilitate, electum adhuc debere docere, se dignum, nec pati defectum objectum, saltem per juramentum purgatorium, dum datur aliqua præsumptio externa pro opponente, ut Butrio in cit. c. bona. n. 59. quem citat num. 58. Cessante verò illa præsumptione, non teneri probare suam dignitatem, utpote qui jam censetur habere titulum perfectum, vi cuius petit sibi adjudicari beneficium, & in quo fundat intentionem suam. Siquidem provisorius, tanquam habens intentionem fundatam super actu perfecto, non tenetur probare requisita ad illum actum, inter quæ est habitas ipsius provisi, cum juris auctoritate provisorius perfectè præsumatur canonica. Gemin. in c. licet Episc. de præb. in 6. n. 22. Host. Jo. Andr. &c. quos citat n. 59. Et sic electus in hoc casu se non fundat agendo vel excipiendo super habilitate sua, sed super actu perfecto, nempe electione ista, quo probato, resultat probata dicta habitas, utpote ad istam electionem præambula & necessaria.

Quæstio 483. An opus adhuc dicta inquisitione in mores & vitam electi, ubi ejus idoneitas notoria?

Respondeo: fieri posse, ut electus ita sit notoriè idoneus ad prælaturam, ut nulla alia facienda sit inquisitio in ejus mores ac vitam. Pirh. n. 320. citans c. constitutus. il. 2. de appell. & cap. nullus. d. 24. Pass. cit. c. 33. n. 92. citans insuper Abb. in c. postquam. de elect. n. 5. Oldr. conf. 146. in fine. Nav. conf. 2. n. 3. de elect. Castell. de elect. c. 14. n. 6. Sig. sm. de Bonon. de elect. dub. 44. num. 10. &c. Addit tamen Pass. quod,

quod, si tamen adesset lex, quæ & in hoc casu præcepisset inquisitionem fieri, eam debere servari, per quod satis indicare videtur, modò non existere talem legem: adeòque dum ea inquisitio præcipitur *c. nihil. c. postquam*, hunc casum excipi.

Questio 484. Qualiter sumenda ista informatio super valore electionis, & electi qualitatibus, an judicialiter, an extrajudicialiter; an inquirendo specialiter, an generaliter?

1. Respondeo ad primum: ubi confirmator procedi judicialiter examinatis testibus cum juramento, debet hæc inquisitio fieri judicialiter, examinando nimirum testes cum juramento. Barbof. *juris Eccl. l. 1. c. 19. n. 251. Donat. To. 2. tr. 7. q. 5. n. 6.* (ubi etiam quòd judicialiter sit procedendum, ubi electus habet malam famam) Pass. *de elect. c. 33. n. 89. & n. 140.* ubi: quando pars instat pro cassatione, seu sunt oppositores, aut datur coelectus, judicialiter procedendum est, & institui debet processus, & procedi ordine juris servato, pro quo citat Marefchot. *l. 1. variar. c. 42. n. 30. Sigism. dub. 44. n. 8.* Quamvis & hoc ipsum limitet Pass. *cit. n. 140.* dum ait, quamvis, quando etiam proceditur ad instantiam partis, lis & iudicium sit contentiosum, procedi possit sine strepitu & figurâ iudicii, ut in confirmationibus Abbatissarum. *c. indemnitatibus, §. sane. de elect. in 6.* Vel si Judex habet privilegium, ut sine strepitu procedat. Ex quo tamen ad instantiam partis procedit, non potest omnino sine forma iudicii procedere, sed parte instante debet illi, quæ iuste petit, concedere, etiam in modo procedendi.

2. Verùm per se loquendo non est necessaria hæc judicialis inquisitio, sed sufficit, confirmatorem inquirere per famam & literas testimoniales. Pass. *cit. n. 89. & 111.* dicens, hinc positum id esse in confirmatoris arbitrio, ut juxta qualitatem personæ, criminis, vel idoneitatis præsumptæ, & conditione negotij agat, quod opportunum videbitur, ac citans pro hoc Abb. *in c. postquam. de elect. n. 5. Peyr. in formular. lit. E. c. 18. n. 3. Sigism. dub. 44. n. 8.* Idem tenet Barbof. *juris Eccl. l. 1. c. 19. n. 251. Gonz. ad reg. 8. gl. 9. §. 1. in annot. contra nullitat. & attentat. in caus. benef. n. 43.* ubi; quòd juxta formam *c. fin. de elect. in 6.* disponentis, ut in confirmatione electionis vocentur competitores per edicta, & admittantur oppositores, interdum procedi potest extrajudicialiter, & interdum ac plurimum processus fieri debet cum cognitione causæ, & in contradictorio iudicio, & requiritur diffinitiva pronuntiatio secundum casus & occasiones occurrentes, & prout natura negotij postulat. citat pro hoc Lambert. *de jurep. l. 2. q. 11. a. 4. n. 3. & q. 8. a. 11. & Franc. in c. constitut. de appell. n. 9.*

3. Unde jam etiam ad hanc electi idoneitatem probandam pro confirmatoris satisfactione non est necessaria judicialis plena probatio, sed sufficit extrajudicialis, & quæ habeatur per testes non juratos, & deponentes de voce, & fama, & per literas testimoniales, & omni viâ, quæ moralem certitudinem possit inducere, eò quòd confirmator debeat esse moraliter certus de confirmandi idoneitate. Pass. *n. 90.* Quinimò, si adsit intrusus & contradictor, in sumenda illa informatione idoneitatis, quam confirmator accipit ex officio pro sui informatione, non esse ad hoc opus citare intrusum, vel

contradictorem illum, cum informatio illa sumatur pro informatione confirmatoris, ne officium detur indigno (uti nec Execucutor literarum Apostolicarum concedentium beneficium in formâ dignum, tenetur citare intrusum vel contradictorem, si quis sit, ut ex Leone in *Thef. fori eccl. c. 17. a. n. 13. & Rota decif. 4. de sent. & rejudic. n. 5. in antiq. probat. Garc. p. 6. c. 2. n. 243.*) tradit Pass. *cit. n. 90.* Qui tamen bene monet, debere semper confirmatorem in hoc servare formam, si aliqua est statuta à lege vel consuetudine.

4. Respondeo ad secundum: quando confirmator procedit ex officio, nisi præcedat infamia, vel aliud indicium sufficiens ad inquisitionem specialem, non posse confirmatorem inquirere in specie, sed solum in genere inquirendo, cujus fama sit electus, tradit Pass. *n. 91.* citans pro hoc Castell. *de elect. c. 1. q. n. 10. Lavor. c. 25. n. 56. Abb. in c. postquam. n. 5.*

Questio 485. An ergo etiam sufficiat notitia extrajudicialis, seu quòd informet se extrajudicialiter de valore electionis, & electi vita ac moribus, dñ & ulto cassare electionem, siquidem longe diversa est in hoc ratio, cum injusta confirmatione per se fiat injuria solum bono communi; per injustam verò cassationem fiat injuria bono communi, Electoribus & electo?

Respondeo: confirmatorem, etiâ dum procedit ad cassandam electionem, & negandam electo confirmationem, non teneri procedere judicialiter, examinando testes cum juramento, & servatis illis juris solemnitatibus, quæ servari debent, ubi non proceditur summarie, & sine strepitu iudicii; sed sufficit, quòd causam rationabilem, quæ illum movit ad cassandam electionem, probatam habeat extrajudicialiter per fidem dignorum, literas testimoniales, & famam, dum modò de ea certus sit moraliter. Donat. *To. 2. tr. 7. q. 9. n. 8. Barbof. juris eccl. l. 1. c. 19. n. 251. Pass. de elect. c. 33. n. 138.* citans pro hoc Abb. *in c. postquam. de elect. n. 5. Anchar. n. 3. Lavor. de elect. c. 25. n. 59. Sigism. dub. 44. n. 8. Peyr. in formular. lit. C. c. 18. n. 7. Salgad. de potest. regia. p. 2. c. 13. n. 15.* & plures alios, ac dicens sic servari in Ordine Prædicatorum, Minorum ac Minimorum, probatque id Pass. *ex c. indemnitatibus. de elect. in 6.* ubi §. *sane.* dicitur: *tunc super objectis partis alterius, si qui fuerint, & super aliis, quæ in tali negotio sunt inquirenda ex officio, plene sine strepitu iudicii & figurâ per Superiorem inquiratur primitus, an requam confirmetur eadem electio, vel etiam infructur: qui textus etiam loquitur de electione Abbatissæ, quia tamen favorabilis, intelligatur ab AA. universatiter, qui non in alio sensu intelligant & explicant *c. postquam. de elect.* citatque pro hoc potremo Castell. *de elect. c. 14. n. 47.**

Questio 486. An ergo possit confirmator in confirmando vel cassando electionem uti notitiâ privatâ?

1. Respondeo: id confirmatorem non posse; sed semper debere secundum allegata & probata procedere, Pass. *de elect. c. 33. n. 140.* dicens esse conclusionem ex terminis manifestam. & *n. 144.* ubi pro hoc citat Portell. *p. 2. casu. 4. n. 3.* Lavor. *variar. lucubrat. tit. 4. de elect. c. 25. n. 59.* Peyr. *in formular. lit. C. c. 18. n. 6. & 7.* Donat. *in pr. p. 2. tr. 7. q. 9.* qui tamen postremus expressè contrarium tenere

vide-

videur, dum *loc. cit. n. 6.* ait: amplia, ut ipsi confirmatori integrum sit, confirmare vel cassare electionem, prout sibi secundum scientiam privatam vel publicam videbitur bono communi expedire. Tamen enim confirmator non teneatur ad solemnitates juris, sed, ut dictum paulò ante, in confirmando & cassando juxta *Clem. dispendiosam, de iudicib.* possit simpliciter de plano, & sine strepitu & figura iudicii, solà rei veritate inspectà iudicare: & ut Salgad. *ubi ante ex Abb. conf. 41. n. 1.* Barbof. *l. 1. v. 10. 4. n. 27.* apud Pass. *cit. n. 140.* necesse non sit, ut processum fabricet, & coram Notario testium depositiones sumat, sed sufficiat, ut scripturà per aliorum scripta, vel voces animum suum informet & conscientiam; intelligendo nimirum id, quando confirmator non procedit ad instantiam partis, sed officio. Verumtamen cum confirmator in confirmando vel cassando non sit privata persona, sed publicè ut Pass. pluribus probat *n. 139.* debet uti iudex *verè* ea observare, quæ de iure naturæ & gentium necessariæ sunt, licet summarie, simpliciter & de plano, & sine strepitu & figura iudicii iudicium suum possit exercere. Pass. *num. 139.* Iudex namque quicumque, etiam habens facultatem iudicandi sine ordine iudicii, solà facti veritate inspectà, etiam si sit princeps supremus, non potest iudicare sine illo ordine iudicii, quem præcipit lex naturalis & divina; inter illa autem, quæ iure naturæ omnino sunt substantialia iudicio, sunt hæc tria; scilicet citatio, probatio & defensio (uti id de singulis pluribus auctoritatibus stabilit Pass. *n. 141.*) adeoque servanda, etiam in iudicio, in quo iudex sine figura iudicii iudicat secundum conscientiam suam, solà veritate facti inspectà. Quamquam in his distingui debeat substantia horum trium actuum, & solemnitas, quam habent ex iure positivo; quam solemnitatem iudex, qui in iudicando ab ordine juris est absolutus, non tenetur in citationibus, probationibus & defensionibus servare, sed solum eorum substantiam. Pass. *cit. n. 141.*

2. Hinc itaque confirmator, ut Pass. *num. 142.* etsi possit iudicare secundum conscientiam, incitatum tamen & indefensum non potest privare iure suo. Sic, esto non sit adstrictus ad examinandos testes cum iuramento, & loco probationum accipere possit etiam testimoniales fideles, & ex quo iudicare potest solà inspectà veritate facti, admittere probationes non conclusentes & persuasivas, etiam leviores, seu eas, quæ ad formalitatem juris positivi non perveniant; debent tamen ex esse tales, ut convincant & mortaliter certum reddant.

3. Unde jam rectè concluditur, non posse eum purè ex scientia privata, seu privatim acceptà, seu habità procedere. Si enim, ut inquit D. Thom. *2. 2. q. 67. a. 2.* iudicare pertinet ad iudicem, secundum quod fungitur publicà potestate, & ideo informari debet in iudicando non secundum id, quod ipse novit, sed secundum id, quod sibi innotescit tanquam personæ publicæ &c. & confirmator est iudex, & ut talis, etiam dum summarie sine strepitu iudicium exercet, debet procedere ex notitia acquisita ab eo, ut iudice & publicà personà in ordine ad confirmationem, qui est actus publicus ad publicum bonum Ecclesiæ promovendum. Siquidem, ut ait Pass. *n. 144.* non in iure positivo, sed natura fundatur hoc ipsum, quòd, dum iudicare ex natura rei est publicæ potestatis, & potestati correspondere debet notitia, seu informatio, potestati publicæ correspondeat informatio, seu notitia

P. Leuren, Fori Benef. Tom. II.

publica, quæ ordinatur ex natura rei ad bonum rei publicæ visibilis. Et certè aliàs, si liceret iudicibus ex privata & secreta notitia, non deducibili ad forum publicum iudicare, esset repositum iudicium in voluntate iudicantium, qui ex quocunque iudicio sibi bene viso impunè iudicarent, nec iudicati possent se defendere, quo nihil execrabilius. Pass. *cit. num. 144.* ubi etiam addit, hunc esse sensum communem DD. asserentium, canones supra citatos, obligantes confirmatorem se quàm diligentissimè informare de meritis causæ, intelligendos de informatione, quæ fit ex publica potestate, & ad publicum confirmandi & cassandi actum proportionata, & ex qua visibiliter possit formari iudicium, ut Ecclesiæ apparere possit, an fuerit rationabile nec ne, & confirmator ex hoc sit dignus vellaude vel pœnà, irrationabiliter confirmantibus à SS. Canonibus statutà.

4. Ostendit quoque Pass. *n. 145.* quòd in Ordine Dominicanorum confirmatio aut cassatio non fiat ex notitia secuta; dum Patres discreti, ex quorum votis procedit ad confirmationem vel cassationem Provincialis, dant quidem iudicium suum per vota secreta, non tamen informatum solà notitià secretà, sed ex causâ per publicas scripturas aut testimonia publica in dictorum Patrum concilio examinata; Unde etiam ait, si quis dictorum Patrum ex causâ sibi soli nota daret votum suum pro cassatione electionis, injustè ageret & peccaret; quia in iudicio externo, in quo non habet votum, nisi ut publica persona, ageret ut persona privata.

5. Proinde jam non est eadem in Electore & confirmatore libertas, ut quia ille potest procedere ex privata, secreta, & sibi soli propria notitia, & non deducibili unquam ad forum externum, possit suum iudicium formare, & non eligere vel eligere, quem iudicat eligendum, vel non eligendum; ita etiam confirmator possit ex simili scientia formate suum iudicium, confirmare electionem vel eandem cassare. Pass. *n. 134.* (ubi etiam vide hujus discriminis rationem) contra Bannez *2. 2. q. 67. a. 2. ad 2.* ab eodem Pass. citatum. *n. 133.*

Quæstio 487. An & qualiter, antequam procedatur ad confirmationem, citandi habentes interesse?

1. Respondeo primò: dum electio in concordia celebrata non est, sed vel duæ electiones factæ; vel etiam dum uni electioni se opposuere alii, qui, ne confirmaretur, adeoque electus coelectum habet vel oppositorem, seu electionis suæ adversarium alium unum aut plures habet, ii ad causam suam agendam sunt nominatim citandi ante confirmationem.

2. Respondeo secundò: si verò nullus talis est coelectus seu competitor, aut alius oppositor, per generale edictum valvis Ecclesiæ (in qua celebrata est electio, ut Pirh. *loc. max. citand.*) affixum, in quo, si qui sint, qui electionem, quò minus confirmetur, impugnare velint, peremptoriè citentur ad diem definitum (& ut Pirh. ad locum confirmationis faciendæ) causas impugnandæ electionis impediendæque confirmationis dictum. Idque etiam, licet electio facta in concordia, id est, unica nemine opponente celebrata fuerit; quod nisi factum, seu si hæc omiſsa, confirmatio subsequuta sit omnino irrita, Barbof. *juris Eccles. l. 1. c. 19. n. 251.* (ubi etiam,

R

citato

citato pro hoc Lott. l. 2. q. 13. n. 47. & Rota decis. 353. n. 6. l. 3. p. 3. *diversar.* & decis. 624. n. 10. p. 1. recent. quod debeat legitime constare non solum de lectione & affixione dictorum edictorum; sed etiam de reflexione, & sic, quod lecta fuerint, & ibi relicta per congruum temporis spatium, quin &, ut pariter addit, citato pro hoc Put. decis. 5. l. 3. de hac publicatione non stetur simplici assertioni Notarii sine testibus) Laym. in c. fin. de elect. in 6. Pirh. ad tit. de elect. n. 321. juxta expressum textum cit. cap. fin. Cujus decretalis etiam hanc rationem addunt Laym. & Pirh. citatis pro hoc Abb. in c. exhibita. de judic. n. 5. Felin. *ibid.* n. 2. nempe quod quando per edictum vocandi sunt ii, quorum interest, nominatim & speciatim vocandi sunt, si personae sint certae, vel noscantur; si vero sint incertae, vel non noscantur, per edictum generale sint citandi.

3. Neque contrarium huic decretali tradit Pass. dum cit. c. 33. de elect. n. 90. ait, in probatione idoneitatis electi necessariam non esse citationem alicujus, aut vocationem partis, etiam ubi adest intrusus vel contradictor, & confirmator procedit extrajudicialiter. Aliud enim est, eam citationem necessariam non esse ad probandam idoneitatem electi, aliud non esse necessariam ad consulendum interesse oppositorum, vel coelecti.

4. Porro hanc constitutionem extendere se quoque ad admissionem postulationis, & institutionem faciendam post praesentationem ob paritatem rationis, ne scilicet supplantentur ii, seu fraude circumveniantur, qui volunt opponere vel objicere aliquid contra postulatum vel praesentatum propter suam interesse, tradit Pirh. loc. cit. num. 322. citato Garc. p. 9. c. 4. n. 1. & Gl. in cit. c. fin. v. electio, uti idem quod ad institutionem fuisse tradit Lott. l. 2. q. 13. a. num. 20. uti &, quem Lott. citat, Lamb. de jurep. l. 2. p. 2. q. 6. per tot. Non tamen extendit se haec constitutio ad collationem liberam beneficiorum, utpote quae simul vim electionis & confirmationis habet, & per quam confertur jus in re, & in qua dicta citatio fieri non potest: non ante illam; quia sic fieret ante omne jus quaesitum; non post illam; quia jam plenum jus quaesitum collatio. Pirh. cit. n. 322. in fine. citans Vivian. in ration. juris pontif. in cit. c. fin. Neque etiam hac decretalis, seu citatio locum habet, quando a Papa ejusve legato petenda confirmatio. Pirh. loc. cit. citans Barbof. in collect. ad cit. c. fin. n. 4. & 5.

Questio 488. An, & qualiter audiendus oppositor, qui venit post terminum in edicto statutum, & confirmationem?

1. Respondeo primò: si quis termino illo elapso & post secutam confirmationem venerit, electionem ejusque confirmationem oppugnaturus, audiendus non est, nisi fortè absens fuerit; vel etsi praesens fuerit, aut non longè distans, probabilem tamen edicti ignorantiam per verisimiles conjecturas allegare possit, eamque juramento confirmet. Laym. in cit. c. fin. n. 2. Pirh. n. 322.

2. Respondeo secundò: dum quis non per viam exceptionis (quippe electus per confirmationem jus plenum in beneficio accepit) sed denunciationis canonicæ opponit quid contra electum, ne indignus & inhabilis Ecclesiae praeficiatur, regulariter seu ordinariè audiendus est, etiam post confirmationem, imò & consecrationem. Laym. & Pirh. loc. cit. citantes Abb. in c. nihil. de elect. in 6.

Questio 489. An necessario citandus electus, ubi ejus cassanda electio?

1. Respondeo primò: dum ex defectu electionis cassanda est electio, neque electus, neque ullus alius citandus est, dum confirmator procedit extrajudicialiter, & nullus est oppositor, contradicens, vel coelectus. Siquidem Electores, imò & ipse electus sunt à jure citati, cum ad confirmatoré transmittere debeant decretum electionis, totum processum electionis continens, & confirmatoris sit, ex transmissis judicare, an electio subsistat, nec ne. Pass. cit. c. 33. n. 150.

2. Respondeo secundò: ubi cassanda est electio ex defectu electi, citandus necessarius est electus. Pass. num. 152. citans Rodriq. p. 2. q. 52. a. 12. ad 1. Portell. p. 2. cas. 4. n. 3. Peyr. in formul. lit. c. c. 18. n. 7. in fine. Barb. l. 2. voto 35. n. 15. num. 22. Valenzvel conf. 44. n. 6. tom. 1. Salgad. de protect. regia. p. 2. n. 54. Mirand. tom. 2. q. 23. n. 22. cum enir agitur de gravi alicujus praedicio, non potest contra illum non citatum & non auditum proferri aliqua sententia. Pass. cit. n. 152. citans Menoch. conf. 96. n. 15. Valenzvel. conf. 14. 5. Arguimento cap. 1. de caus. poss. ubi ait Papa: nec nos contra inauditam partem aliquid possumus definire. Jam verò agendo de cassatione electi ob ejus defectum; agitur de gravissimo ejus praedicio: siquidem cassatio electionis ob defectum electi non solum privat electum jure, quod aliàs habebat ad praelaturam vi electionis, sed & reddit omnino ineligibilem, non ad eam solum, sed ad quamcumque aliam Ecclesiam, juxta c. super eo. de elect. ut Mirand. loc. cit. q. 22. num. 11. Tamb. de jure Abb. tom. 1. d. 5. q. 21. n. 4. Peyr. in subd. q. 1. c. 31. §. 8. Castell. de elect. c. 14. num. 56. Barbof. loc. cit. & apud Pass. n. 151. adeoque remanet infamia ex hac sua repulsa infamia facti, & inhabilis ad praelaturas, ut Pass. loc. cit. juxta c. testimonium. de testibus. & ibi Gl. v. opinio. & Abb. nu. 13. Est proinde talis cassatio nulla ex defectu citationis ac naturalis defensionis, Pass. loc. cit. citans Vantium de nullitat. ex defect. citation. num. 2. & seq. Burat. decis. 71. juxta l. 1. §. item cum edicto. ff. qua sent. appell. & l. unoquoque. ff. de judic. non obstantibus, quod confirmator procedat extrajudicialiter, seu sine figura judicii; cum licet eo modo procedendo Judex non teneatur servare solennitates juris positivi in citando & audiendo reum, debeat tamen eum citare; quia citatio ista & defensio est juris natura, & à necessariis jure naturae non liberat privilegium procedendi sine strepitu & figura judiciali. Pass. loc. cit. ubi etiam, quod nullitas illa cassationis sit insanabilis & indispensabilis, etiam per supremum principem, pro quo postremo citat Vantium. ubi ante. n. 9. Gregor. decis. 4. 6. n. 2. & c.

3. Unde jam, licet ex hac citatione electi, praesertim ubi is in remotis degit, instructioque contra illum processu contingeret cassationes, & consequenter vacationes praelaturarum diutius differri; non tamen ex hac utilitate non differendi vacationem praelaturae sumitur rationalis causa cassandi electionem ex defectu electi, eo non vocato, aut eo defectu plene non probato; nam praeterquam quod in casu, in quo electio redit ad Electores, facilius saepe est & expeditius probare, quantum sufficit defectum, & dare electo terminum brevem ad se defendendum, quam expectare, ut per tempus à jure statutum iterum electores conveniant ad novum praelatum eligendum, quod non caret periculo gravis damni Ecclesiae viduatae & dissensio-

rum inter Electores, Præter hoc inquam, cum ad eligendum dentur tres menses, ad conferendum sex, hæc mora sex mensium etiam non est excedens, ut intra eam fiat confirmatio; intra sex autem menses, vel etiam unum potest confirmator citato reo, prout iuris est, se informare super defectu illius. Pass. num. 158. Quin & ubi datur opponens & instans contra electum, non potest confirmari electio, nisi instructo processu, & reo vocato & audito, quantumcunque duraturum sit opponentium examen; adeoque ex parte temporis, & ne provisio Ecclesiæ differatur, non potest haberi ratio sufficiens non citandi & non audiendi electum, ut se defendat & purget. Pass. n. 164. Ad hæc, dum ob nimiam distantiam electi non potest intra tam breve spatium perfici hæc informatio, non desunt alia remedia, quibus Ecclesiæ viduitati provideatur, præsertim ubi electi statim, ac electi sunt, incipiunt administrare; ita ferè Pass. cit. n. 158.

4. Limitatur responsio primò, ita ut nunquam ex vitio electi cassanda sit electio, eo non citato, nisi vitium vel defectus electi plenè probatus sit & notorius. Pass. num. 153. quamvis addat, difficile esse, delictum plenè esse probatum, nisi reo citato & audito ac confesso, nihil adduci posse, quod delictum & dolum tollat. Porro electionem cassari non posse ex delicto electi, nisi illo plenè probato, etiamsi procedatur extrajudicialiter (ut docent Castell. de elect. c. 4. n. 30. Lavor. c. 19. n. 121. Portell. p. 2. cas. 4. n. 2. Barbof. cit. voto. 35. n. 15. apud Pass. n. 154. in fine.) ex eo constat, quòd de jure natura sit, ut non imponatur pœna contra aliquem nisi confessum vel convictum, & ad damnandum aliquem non confessum probationes plenæ ac convenientes sint necessariae. Et licet, ubi agitur, non de privatione juris quaesiti, sed quaerendi leviores sufficientes probationes, tamen & illæ debeant esse tales, quæ animum judicantis convincant. Pass. cit. n. 154. Ita tamen, ut si confirmator procedat ad instantiam partis, cujus est probare objecta contra electum, non possit cassare electionem ex vitio electi, nisi illud sit plenè probatum; ubi tamen procedit ex officio confirmator, cum illi non incumbat onus probandi, quæ contra electum audivit, & illi objicit; sed ad electum excludendum sufficiat incertitudo de ejus inhabilitate, satis censetur vitium electi probatum in tali judicio, si electus se non purget, & propriam habilitatem prober; quæ tamen incertitudo non censetur probata & manifesta, nisi electo citato & audito, ipse objecta non diluerit. Pass. n. 155.

5. Limitatur secundò, ut tunc solùm procedat responsio, dum confirmator exprimit electionem cassari ex defectu; non verò, ubi electio dicitur cassari ex causis bene visis confirmatori, licet in rei veritate cassetur ex defectu electi. Pass. n. 156. citans Barbof. l. 1. voto 4. n. 39. siquidem in hoc casu non sequitur electo infamia, nec inhabilitas ad alias prælaturas aut electiones; cum, dum dicitur electio cassari ex causis bene visis confirmatori, non debeat, nec possit præsumi cassata ex defectu electi; quia ut rectè Abb. in c. super eo. de elect. n. ult. in dubio præsumi debet, electionem cassatam fuisse vitio formæ, vel etiam ob aliam causam extrinsecam, puta bonum commune Religionis, & non ex vitio personæ electæ. Pass. n. 156. Quin & ut Bannez 2. 2. q. 67. a. 2. ad 2. quem citat Pass. temerarium foret judicium, quo judicaretur electio cassata ex vitio electi, cum contingat electionem cas-

sari ex pluribus causis. Unde & confirmator usus cautelâ simpliciter, absolurè, & generaliter confirmationem denegat, non expressâ causâ, ob quam denegavit (uti quandoque, ubi non expedit propalare defectum occultum electi, deducendo illum in iudicium & citando, bonum est, electionem cassare, ne promoveatur indignus, & ex altera parte electum non infamare, nec illi aliud præjudicium inferre causâ cassationis occultatâ) ita ut æqualiter præsumi possit, denegatam ob vitium aliquod electionis vel electi, vel ob causam extrinsecam, confirmator electoribus & electo non teneatur causam ullam aut excusationem reddere, redditurus illam Superiori id requirenti. Pass. loc. cit. ex Barbof. loc. cit. n. 13. Verùm

6. Sublimitanda hæc limitatio, ut locum non habeat in electo, qui per electionem aliàs jus acquisivit ad prælaturam & confirmationem. Licet enim ei hac ratione non inferatur præjudicium infamæ & inhabilitatis, fiat tamen ei injustitia, tollendo ab eo jus illud quaesitum ad prælaturam, quod tolli non debet nec potest, nisi aliquid sit, quod eum impediatur, quod impedimentum probari debet, citato electo, ut se defendat. Pass. n. 157.

7. Ad hæc dicta limitatio non videtur subsistere, etiam dum electo per electionem non quaeritur jus; quia adhuc dictâ ratione non satis occurritur præjudicio infamæ & inhabilitatis imminenti electo; nam si contra electum factæ sint oppositiones, non verò contra electionem, si cassetur electio, censetur, & satis apparet, eam cassari ex defectu electi, etiam si hoc non exprimat. Item notorium cassationis vix ita secretò fiet, quin ejus notitia divulgetur vel à confirmatore ipso, vel ejus ministris, si illud tale, quale est per Secretarium aliquem in libro regitretur, cum libri hujusmodi sine publici, & inter plurium manus versentur, indeque partitæ etiam authenticæ soleant extrahi. Item, cum ex una parte confiter, electiones non posse cassari sine rationabili causa, & præsumendum non sit, confirmatorem cassare sine justa causa; ab altera verò parte non sit tam facile, ut electiones cassentur ex sola extrinseca causa, nempe boni communis; insuper etiam sæpissime evidens sit, saltem Electoribus, electionem ex parte formæ esse validam, facile constabit electionem cassatam ex defectu electi.

8. Neque obstat, hujusmodi notitiam non esse juridicam, vel etiam non esse certam, cum adhuc sit non leve præjudicium honoris, etiam quòd probabilis suspicio habeatur de electo rejecto ex proprio defectu, & quòd de hoc crescat fama; dum ad infamiam facti sufficit, quòd ex probabilibus suspitionibus & conjecturis ortum duxerit. Nec etiam obstat, quòd videatur sufficere, quòd tempore cassationis non appareat cassari electionem ex vitio electi, licet id post tempus aliquod manifestetur; quia præterquam quòd facillimum sit, ut fiat hæc manifestatio tempore cassationis, etiam magnum præjudicium est, si fiat post multum tempus; cum enim per posterius factum declaratur, quòd antea factum est, proinde censeri debet, ac si tempore cassationis facta esset hæc manifestatio; ita ferè Pass. n. 159. juncto n. 160. qui etiam num. 161. hinc concludit, quòd modus ille cassandi electiones ex defectu electi eo non citato, etiam si occultetur cassationis causa, speciem boni non habeat, & parum congruat Religiosis, quorum est ab amulationibus & caralibus affectibus abstinere, Christi-

hianæ caritati incumbere, proximorum honori & salutis prospicere, ac ideo bonum sit ingredi regiã viã, & non auditum non damnare; idque eò magis, quòd experientia constet, oppositiones ad vocem ejus, contra quem dirigitur, veritate elucescente, evanescere. Quanquam etiam n. 162. subjungat, posse nihilominus esse talem boni communis necessitatem, ut nec expediat oppositiones examinare, nec electum confirmare, & in hoc casu, si electus non acquirat jus per electionem ad prælaturam, & ex altera parte verè consulatur ejus honori, ut non infametur, nec reddatur inhabilis, posse cassari ejus electionem, eo non vocato.

9. Respondeo tertio: ex causa boni communis, seu bono communi sic exigente, cassari quidem potest electio aliã valida electo minime vocato; tenetur tamen confirmator consulere tunc honori electi. Argumento *c. consideravimus. de elect.* ubi Papa, cassatis binis electionibus, nullum ex electis eligi volens, expressè eorum famam protexit his verbis: *ita quòd utriusque prædictorum fama sua non minus integrè conservetur*: adeoque via tuta & segura est, ut in hoc casu confirmator expressè consulat famæ electi, cum electio cassatur, non ex ipsis defectu. Pass. n. 163. ubi etiam ex Franco in *cap. si condemnationem. de elect. in 6.* quòd, licet Judex regulariter in sententia non teneatur exprimere causam, hanc tamen debeat exprimere, quando sententia potest referri ad plures causas diversos effectus producentes, vel quando potest ex causis ipsis partibus præjudicari. Et quòd si in sententia nulla exprimitur causa, & potest interpretari, quòd sit lata ex pluribus causis, tunc debeat interpretari, quòd sit lata ex causa, quæ minus præjudicat parti.

Quæstio 490. An necessarius assensus aut consilium Capituli, aut alterius, ut Superior confirmet electionem?

1. Respondeo: de jure communi nulla est necessitas adhibendi consensûs, aut consilii Capituli, aut aliorum ad hoc, ut Superior confirmet electionem; cum nullus in SS. canonibus exstet textus, vi cuius confirmator confirmare nequeat sine Capitulo vel consilio hujus vel alterius; exstetque consuetudo tam Episcoporum, quàm Prælatorum Regularium (si loquamur de assensu vel consilio Capituli) in contrarium. Unde per se loquendo Superior non tenetur, nisi sumere informationes, & discutere negotium, absque eo, quòd alterius consensum vel consilium teneatur requirere. Pass. *de elect. c. 33. n. 115.* contra Archid. in *c. fin. de elect.* quem absque eo, quòd quidquam afferat, quo dictum suum probet, secuti sunt Butrio *ibid.* Sylv. *v. confirmatio, num. 5.* & Tabien. *n. 8.* loquentes non de consilio aliquorum, sed de toto Capitulo.

2. Nihilominus testatur Pass. n. 116. in Ordine Prædicatorum teneri Provinciales adhibere consilium Patrum Discretorum in confirmandis Prioribus, ita tamen ut eo consilio non adhibito confirmatio, dum alium defectum non habet, neque sit nulla, neque annullanda, non obstante regulã illã, quòd ubi necessaria est præsentia consilii, seu actus habendus cum consilio, sit nullus, si habeatur sine consilio: utpote quæ patiatur inter alias hanc limitationem, ut Pass. *loc. cit.* ex Abb. in *c. ex parte. de constitut.* & Sylv. *v. consilium, n. 6.* ut non procedat, dum præcessit agendi non impositã necessitate

consilii, & postea iterum ex nova lege præcipitur, ut adhibeatur consilium, eò quòd tunc actus ex vi prioris potestatis valet, nisi lex superveniens irritet actum aliter factum. Sic etiam ait Idem Pass. *num. 145.* Patrum illorum Discretorum vota, sine quibus à Provinciali non fit confirmatio in suo Ordine, non esse decisiva.

Quæstio 491. Vbinam, seu apud quos fieri debeat hoc examen, seu inquisitio de vita & moribus electi?

Respondeo: debere fieri in loco, ubi ille est conversatus, & apud illos, quibus notus est; quia universim inquisitio de fama alicujus debet fieri in loco, ubi diutius morabatur, tradunt Pirh. *ad tit. de elect. n. 320.* Laym. in *c. postquam. de elect. n. 5.* & ibi Gl. *v. conversatus.* & Abb. *num. 6.* juxta quòd expressè statuitur in *eod. cap.* Verùm distinguendus hic processus informativus à processu, in quo examinantur merita electionis & electi, ac dicendum, quòd processus ad informationem facti fieri debeat, ubi sunt, qui de facto informare possunt, sive sit locus, in quo facta electio, sive alius. Processus verò, quo examinantur dein merita electionis & electi, fieri debet in loco, in quo est confirmator. Pass. *de elect. c. 33. n. 82.* contra Donat. *p. 2. rr. 7. q. 5. num. 5.* quatenus is indefinitè pronunciat, processum fabricandum in loco, ubi celebrata electio.

Quæstio 492. An Prælatus examinatus, & dein electus ad aliam Prælaturam, iterum sit examinandus?

Respondeo affirmativè, præcipuè, si eligatur ad majorem dignitatem; quia interim novum impedimentum electus contrahere potuit. Laym. in *cap. postquam. de elect. num. 7.* Pirh. *ad tit. de elect. n. 319.* Argumento *c. scriptum. de elect.* & Gl. *ibi. v. presumpcio.*

Quæstio 493. In specie, quis modus examinandi electum in Episcopum, nempe in Ecclesius, in quibus adhuc relicta est potestas Capitulo eligendi Episcopum?

1. Respondeo: hunc modum præscriptum esse à Gregor. XIV. in Bulla, quæ incipit: *onus Apostolica.* edita anno 1590. 1. Maji. & habetur apud Quarant. in *sum. Bullar. v. electio.* secundum quam ita proceditur in Germania, ut electus viciniore alicui Episcopo examinandum se tradat super certis articulis per testes idoneos & juratos altruendis, obligatis, ut Laym. in *c. postquam. de elect. num. 8.* concientiis eorum, à quibus instructio seu testificatio sumenda, ut ea fideliter & gratis referant. Peractoque hoc examine ejus processus Romam mittitur ad confirmationem electo & ritè examinato impetrandam. Laym. *loc. cit.* Pirh. *ad tit. de elect. num. 319.*

2. Porro puncta seu articuli, super quibus hoc examen instituitur, sunt sequentes, prout referunt iidem Laym. & Pirh. Primus: an electus natus ex legitimo matrimonio à parentibus catholicis? qui articulus desumitur ex *c. cum in cunctis. de elect. & c. 2. §. heretici. de heret. in 6.* Secundus: an 30. annum ætatis compleverit; juxta *tit. c. cum in cunctis* & si postulatus, 27. annum inchoaverit? quòd sufficit juxta *Extravag. unic. de postul. inter communes.*

Ter

Tertius, an saltem sex mensibus in sacro Ordine constitutus fuerit? juxta Tridentin. *sess. 22. c. 2.*
 Quartus, an in Theologia vel jure canonico Doctor vel Licentiatu sit, aut saltem publico alicujus Academiae vel aliorum probatorum vel expertorum testimonio ad alios docendos idoneus judicatus? juxta Trid. *loc. cit.* Quintus, an bona fama & integra vita sit? juxta *c. 2. d. 23. & c. ult. d. 51.* Sextus, an in ecclesiasticis functionibus versatus, prudens, ac rebus gerendis idoneus? ut habetur in *citata Bulla.* De cetero, quae praxis servetur in examine Episcopi non electi à Capitulo, sed promoti à Sede Apostolica, sive libere, sive ad denominationem Regis alicujus, vide apud Barbot. *juris eccles. l. 1. c. 9. n. 10.*

Quaestio 494. An confirmatio ipsa requirat certam formam?

Respondeo: non esse certam formam à jure praescriptam, ideoque per se loquendo, sufficit, quòd confirmator verbo, vel scripto, vel facto suam ostendat voluntatem, approbantem illius electionem; sive hoc faciat per electi installationem aut inthronizationem, vel ejus benedictionem, vel faciendum, ut subditi electo obedientiam praestent, seu recognoscant, Pass. *de elect. c. 33. n. 76.* Tamb. *de jure Abb. d. 6. q. 3. n. 1. & 2.* citans Archid. in *c. ut quis duas. de elect. in 6.* Innoc. in *c. cum Bertold. de re judicat. in gl. mirum videtur.* Donat. *p. 2. tr. 7. q. 4. n. 1.* citans in super Peyr. in *formul. lit. C. c. 18. n. 1.* Samuel. *d. 8. contr. 2. concl. 7.* Lavor. *de elect. tit. 4. c. 25. n. 63.* & c. ac numerans inter facta vim confirmationis habentia, si canonicè electus ad confirmatorem accedat, & ille dicat: *gaudeo de tua electione;* vel eum amplectatur. Quorum ratio est, quòd nihil inter sit, sive verbo, sive facto declaratur voluntas operantis, ubi in super nulla verborum forma aut scriptura requiritur. Pass. Donat. *l. cit.*

2. Et sic in specie confirmationem Abbatisarum non habere certam à jure praescriptam formam, fierique posse oretenus & scripto, modò animus confirmatoris declaratur, tradit Donat. *To. 4. tr. 7. q. 17. num. 6.*

3. Observat autem benè Laym, in *c. cum inter universas. n. 4.* quòd ubi, cum duae agendi facultates tendentes ad eundem finem seu effectum in eadem persona fundatae in diversis potestatibus, simul eodem actu expediri nequeant, non possit electio & confirmatio expediri eodem actu, v.g. dum Canonici cathedrales compromitterent in Metropolitano, qui ex Sedis Apostolicae privilegio habuit potestatem confirmandi suos suffraganeos, hic prius deberet eligere seu nominare Episcopum secundum formam compromissi, & dein confirmare eundem, pro quo citat Gl. & Innoc. in *c. cum inter. v. confirmavit.* Abb. in *c. ne pro defectu. de elect. n. 4.* & se ipsum in *c. causam. de elect. nor. 2.*

4. De cetero aliud est quòd ad fidem faciendam de confirmatione; ad hoc enim opus est literis confirmatoris, ubi electio in praesentia Ecclesiae, cui electus praeficitur, non confirmatur, uti & ad hoc, ut electus confirmatus à Sede Apostolica administraret, necessariae sunt literae Apostolicae. Pass. *n. 77.* juxta dicta supra.

* *

P. Levens. Fov. Benef. Tom. II.

Quaestio 495. An confirmatio habeat se ut sententia diffinitiva, an verò ut interlocutoria?

Respondeo: dum confirmatio fit citatis citandis, & illis venientibus in contradictorio judicio; vel etiam quando fit à confirmatore ex officio quidem inquirente, sed solenniter, censetur habere rationem sententiae diffinitivae; quia datur post processum judicialiter complicatum & solenniter conclusum tanquam finalis resolutio judicii solennis. Dum verò fit à confirmatore procedente ex officio non solenniter & judicialiter, censetur esse sententia interlocutoria; quia innititur informationi non solenni, nec habitae in contradictorio judicio. Pass. *de elect. c. 33. n. 169.* citans Jo. And. in *c. avaritia. de elect. in 6.* Abb. in *c. confirmatus. de appell. n. 14.* Dominic. & Franc. in *c. fin. de elect. in 6.* Rectèque monet Pass. hujus quaestiones resolutionem esse attendendam, non solum, ut sciatur, quandonam à confirmatore sit appellandum, & quam vim habeat haec appellatio; sed etiam, quia dum confirmatio est sententia interlocutoria, Judex, qui illam tulit, possit illam mutare & cassare, & ab ea recedere, & cassare electionem, quam confirmavit, E contra id non potest, ubi confirmatio est sententia diffinitiva, pro quo citat Jo. And. & DD. alios in *c. cum cessante. de appell. Franc. n. 7.* & alios in *c. fin. de elect. in 6.* & Juristas in *l. quod invit. & l. iudex postquam. de re judicat.*

PARAGRAPHVS V.

De Appellatione à confirmatione, ejusque annulatione.

Quaestio 496. An à confirmatione, seu à confirmationis vel cassationis electionis sententia judicialiter data possit dari appellatio judicialis, seu proprie talis, habens utrumque effectum, nempe non tantum de voluntivum, sed & suspensivum?

Respondeo affirmative. Pass. *de elect. c. 34. n. 1.* citans Gl. in *c. fin. de elect. in 6. v. inanes.* Franc. *ibid. n. 7.* Gemin. in *c. avaritia. de elect. in 6. n. 7.* Barbof. *ibid. n. 7.* & c. Licet enim collationes, electiones, institutiones, confirmationes electionum ad beneficia & Praelaturas sint causa extrajudiciales juxta expressum textum *cl. m. dispendiosam. de iudicis:* ubi tamen in provisionibus, collatione, institutione, electione, confirmatione, proceditur ordine juris servato, sunt actus judiciales, habetque decretum confirmationis, institutionis, collationis vim sententiae judicialis diffinitivae, adeoque appellabilis, ac ita ab iis appellari potest appellatione propria. Pass. *loc. cit.* at de institutione expressè Ottoboni *decis. 66. n. 3.* Garc. *p. 9. c. 4. à n. 17.* citatis plurib. *Rotæ decis. & Lancell. p. 2. c. 12. limitat. 40. & 49.* Et de collatione & praesentatione Rota in *Callagur. benef. 28. Maji 1628.* quae est *decis. 114.* apud Scacciam, *de appell. n. 1. 2. 5.*

2. Hinc geita, appellatione hac pendente sunt attentata & nulla, & ante omnia cassanda. Ottoboni *loc. cit.* Pass. *loc. cit. n. 2.* citans in super Lancellor. ubi ante. Franc. in *c. ad audientiam. ult. de appellat. Rotam in Callagur. benef. 24. 26. Januar. & 19. Febr. 1649.* & plures alios. Attentata autem sunt, non quae fiunt post appellationem, sed & quae fiunt tempore assignato ad appellandum, quod est dicendum, intra quod licet gravato appellare.

R 3

3. Atque

3. Atque ita confirmatus pendente appellatione interposita, vel intra tempus, datum ad appellandum, non potest possessionem Prælaruræ aut beneficii accipere, & si illam accipiat, est attentata. Pass. cit. n. 2. citans Garc. ubi ante (ubi is de appellatione, ab institutione) Lancell. ubi ante, limitat. 149. per tot. Franc. in c. avaritia. de elect. in 6. n. 5. Unde, ut refert Pass. loc. cit. ex Ottoboni ubi ante. n. 11. & ex Ejusdem decis. 85. n. 2. & decis. 209. n. 7. consuevit Rota possessionem hujusmodi tanquam vitiosam & attentatam tollere & sequistrare; ne attentans commodo vitiosæ possessionis fruatur.

4. Porro quando procedat confirmator judicialiter, dictum est §. preced. Quibus adde, procedere illum tunc quodque judicialiter, quando nullo comparante agit ex officio solenniter; agere autem illum solenniter non solum, quando procedit instante procuratore fiscali, & per assignationem auditorii & stratorum, examinando testes cum juramento, & servato exquisito juris ordine: sed etiam, quando procedit juxta formam c. fin. de elect. in 6. citando & proponendo edicta, & expectando terminum statutum, etiam si nullo contradicente comparante; vel nullam aliam informationem sumat, vel summarie & extrajudicialiter id faciat; eod quod tunc non confirmet, nisi ex vi citationis solennis & judicialis. Pass. loc. cit. n. 3. citans Abb. in c. novit. de off. vicar. n. 5. Franc. in c. fin. de elect. in 6. n. 9.

Quæstio 497. An detur quoque, & liceat appellatio à decreto confirmationis aut cassationis extrajudiciali, seu ubi confirmator processit nullo modo judicialiter, sed solum summarie sine strepitu & figura judicij se informavit, & ex tali informatione confirmavit, vel cassavit electionem?

Respondeo primò, non esse tunc locum appellationi judiciali (quæ sola proprie appellatio est, ut Abb. in c. bona. de appellat. n. 7. & ibi Decius n. 17. & 20. Tholosan. de appellat. l. 1. c. 11. n. 3. apud Pass. n. 4.) quippe quæ est provocatio à sententia Judicis procedentis servato juris ordine, seu judicialiter. Pass. loc. cit. n. 4.

Respondeo secundò: est tamen locus appellationi extrajudiciali (quæ ut Abb. & Decius ubi ante. Scaccia de appellat. q. 2. n. 33. apud Pass. cit. n. 4. non est appellatio proprie talis, sed provocatio solum à gravamine ad Superiorem) Pass. n. 5. citans C. dilectus. de elect. & ibi Abb. n. 5. Innoc. n. 5. & c. concertationi. de appell. in 6. & alios textus. Neque gesta post & contra appellationem talem extrajudicialem legitime intra decendum interpositam ita sunt valida, quin justificata appellatione sint revocanda. Quod ipsum si negent, asserendo, ab actibus extrajudicialibus non dari appellationem suspensivam, Gonz. gl. 9. in annot. n. 26. Mareschot. var. l. 2. c. 64. à n. 20. Salgad. de protect. reg. p. 2. c. 23. n. 1. & 187. apud Pass. loc. cit. n. 6. vel etiam, quod hæc appellatio non causet attentatam, falsum eos asserere, ait Pass. & sentire contra communem, pro qua citat Lancell. de attent. p. 2. c. 12. limit. 3. n. 10. Marant. p. 3. parisi 6. n. 390. Put. decis. 313. n. 2. l. 3. Abb. in c. bona. de appell. Archid. & Gemin. in c. concertationi. & Franc. ibid. n. 6. & plures Rota decis. eod quod ad nihil valeret appellatio devolutiva, si interim, neglecta appellatione, liceret appellato contra appellationem gravare appellentem valide & secure; quodque appellationem hanc va-

lere in materia appellationis, constet ex c. cum inter canonicos. de elect.

2. Neque opponi potest primò, quod in casu, quando confirmatio vel infirmitas actionis committitur conscientie vel prudentie confirmatoris, pro ut ei secundum Deum videbitur expedire, denegerur appellatio, ut Menoch. de arb. l. 1. q. 70. n. 7. Tiraq. de retract. lign. §. 4. n. 11. Salgad. Boer. & alij apud Pass. n. 8. Nam præterquam id non teneat in rebus magni præjudicii, quale quid est confirmatio indigni, & rejectio electi digni, etiam regularis, ut Pass. n. 8. id solum verum est, ubi non intra ullum debitum Justitiæ, sed sumus in materia inerte liberalitatis ac gratiæ. v. g. in materia dispensationis, ut Felin. in c. super his. de accusat. n. 11. Sanch. de matrim. l. 3. d. 10. n. 23. Bossius de matrimo. Tom. 1. c. 1. n. 116. Gurr. Filiuc. Pontius & c. apud Pass. n. 9. iis consentientem, non tamen tener, ubi sumus in materia, qua debetur, sive in qua violanda est aliqua Justitia, qualis est materia confirmationis & cassationis. Paris. cit. n. 9. citans Abb. in c. pastorali. de appellatione. n. 13. Gemin. in c. 2. n. 10. de jurament. calum. in 6. Felin. in c. significasti. de homicid. n. 4. Sanch. ubi ante. num. 21. Barbof. de potest. Ep. alleg. 32. n. 52. & c. quatenus hi docent, quod in hoc casu, etiam si judicium sit commissum conscientie judicantis, ab ejus resolutione & decreto dari possit appellatio extrajudicialis quoad effectum devolutivum. Quod autem dicitur appellationem illam non valere ad effectum suspensivum, id ita limitandum ait Pass. ut non solum non sit verum, ubi Judex ad quem inhibuit, ne Judex à quo procedat in causâ; sed etiam, ut id ita intelligendum non sit, quod gesta contra appellationem, etiam justificata appellatione valeant. Proinde, ubi constitit de gravamine, Superior electionem malè confirmatam tenebitur cassare, vel malè cassatam confirmare, & noviter contra appellationem electum & confirmatum tanquam attentatum revocare. Pass. cit. n. 9. & n. 15. ubi, quod licet appellatio hæc sit extrajudicialis, non sit tamen merè devolutiva, sed simul suspensiva, ita ut, si contra appellationem quid fiat, illud tanquam attentatum, saltem justificata appellatione, debeat cassari & revocari, pro quo citat Franc. in c. 1. de appell. n. 4. Scacciam de appell. q. 2. n. 36.

3. Neque secundò dici potest, quod à decreto lato ex Judicis arbitrio non detur appellatio, quemadmodum in arbitrariis locum non esse appellationi, tenent Bartol. in l. 1. ff. de legat. n. 18. Cravet. conf. 78. n. 8. Menoch. de Arb. l. 1. q. 70. n. 7. (qui tamen, ut Pass. n. 11. distinguit, nempe ut in hoc casu locus sit appellationi, si Judex sit ordinarius, habens ordinariam facultatem ad arbitrandum, sicut, si delegatus ad causam particularem, eod quod Superior electus videatur ejus industriam & prudentiam, & judicasse, quod salva Justitiæ & æquitate judicabit) Farinac. in pr. crimin. p. 1. q. 17. n. 27. & c. apud Pass. n. 10. Nam, ut ait Idem, regula certa est, quod in commissis arbitrio Judicis, si partem lædit vel gravat, possit appellari; cum arbitrium judicandi non importet libertatem absolutam, sed arbitrium & judicium boni viri, quod regulandum est juxta leges. Hinc confirmator habens arbitrium confirmandi vel cassandi, non potest contra leges illegitimam electionem confirmare, vel legitimam cassare, quod faciendo, quia lædit, potest ab eo appellari; pro quo citat Gl. in c. Romana. §. si obijciatur. v. minus legitima. de accusat. in 6. Felin.

Felin. inc. super his. de accusat. n. 7. Gemin. in c. 2. de jurament. Calum. in 6. n. 10. Franc. Rebuff. &c. Ad idemque, idem esse, ubi iudicium commissum discretioni iudicis, ut si ladat, appellari possit, ut Felin. ubi ante. Gemin. in c. ut commissum. §. 1. n. 2. de heretic. in 6.

4. Limitationis tamen & distinctionis alicujus loco id addit Pass. n. 12. nempe, si sermo sit de iudice ordinario, qualis est confirmator, cui ex ordinaria potestate convenit de electionibus iudicare, cum habens arbitrium iudicandi ita teneatur secundum leges iudicare, ut rigorem legis possit ex aequitate temperare; adeoque in ejus decreto considerari possit, vel quod est iustitia, vel quod est aequitas. Proinde si recedat à iustitia, contra leges iudicando, indubitatò liceat ab ejus decreto appellare. v. g. si confirmet electionem illegitimam, illiteratam, non habentis requisitam ætatem &c. vel casset electionem digni prætextu defectus. Et sic non tam in causa arbitraria, quàm necessaria appellabitur; cum iudex teneatur iudicare juxta leges. Si verò iudex seu confirmator ladat, recedendo solum ab eo, quod est aequitas, & in quo confirmatio est commissæ ejus arbitrio, Passerinus ait, se considerare, quòd in hoc casu nulla partium possit ladi iniuste; cum, quod solius est aequitas, non sit iustitia, & respectu eorum, quæ sunt solius aequitatis, iudex non necessatur ad alterutram partem, sed sit liber, & consequenter tunc non esse locum appellationi ab ejus decreto. Posse, nihilominus & in his casibus, in quibus non licet contra iudicem arbitrium appellare, haberi recursum ad Superiorem, seu reclamationem aut supplicationem, tradit Pass. num. 15. ex Farinac. ubi ante. & Boërio decis. 284. & remittit ad Marant. in specul. p. 6. §. 6. quandoque. n. 11.

5. Illud quoque notandum, quod habet Pass. n. 16. quòd si Episcopus, etiam in arbitrariis teneatur reddere rationem Sedi apostolicæ, ut probat ex quodam Brevi Urbano. locum etiam in iisdem habere possit appellatio, per quam iudex arbitrarius compellatur Superiorem reddere causam, ut appareat, an ex rationabili arbitrio iudicaverit, & sic Superiorem non latere causam, quæ movit iudicem inferiorem ad sic iudicandum. Quibus non obstat, quòd in Trid. sess. 21. c. 2. ponatur in arbitrio Episcopi, assumere ordinandos ad titulum patrimonii, à quo ejus arbitrio non liceat appellare. Nam carens beneficio ecclesiastico, non habet jus ut ordinetur, sed in libertate Episcopi sit assumere, quos spectatà necessitate & utilitate Ecclesiæ iudicaverit assumendos; ubi autem non est jus habendi, nec datur actio, nec datur appellatio, si non obtinetur, quod est in libertate alterius dare vel negare.

Questio 498. An excipi possit contra electionem confirmatam?

1. Respondeo: nullum contra eam excipere posse, nisi qui fuit impeditus ante confirmationem aut cassationem excipere. Pass. de elect. c. 34. n. 17. & c. 32. q. 3. In quo casu exceptiones exponendæ confirmatori, cujus est de illis iudicare, & quòd, si nihil novi contineant, quod non fuerit antea consideratum, excipientes audiri non debent. Pass. cit. n. 17.

2. Porò exceptio contra electionem valde distinguitur ab appellatione à confirmatore; cum ap-

pellatio supponat sententiam confirmatoris, & ab ea provocet. Pass. n. 17. juncto n. 18.

Questio 499. In genere, quinam possint appellare à confirmatore?

1. Respondeo: in genere, non nisi ille, qui per confirmationem vel cassationem electionis fuit iniuste gravatus, qualis est omnis ille, qui iuste petit confirmationem vel cassationem, & iniuste non obtinuit. Pass. cit. c. 34. n. 18. Unde patet, quòd quicumque, etiam si nec elector nec electus sit, qui potest petere confirmationem, vel se ei opponere, si petat vel opponat, potest appellare à decreto confirmationis, si iniuste per hoc gravetur; habentes enim jus ad petendam confirmationem, habent eo ipso jus, ut ea sine causa non negetur, & patiuntur à confirmatore injuriam, si iis neget confirmationem sine causa. Idem est de habente jus opponendi electioni, & petendi ejus cassationem. Qualis habens jus pro suo interesse petendi confirmationem, vel se ei opponendi est quisvis de Ecclesia, populo, vel conventu, cui electus præesse debet, ut Paris. cit. n. 21. & c. 32. de elect. q. 2. ac ideo à decreto confirmationis vel cassationis appellare potest, si per illud gravatur juxta communem regulam: qui potest agere in iudicio, & agit, si à iudice gravatur, potest appellare. Pass. cit. n. 21. ubi etiam ex Innoc. in c. super his. de accusat. n. 7. quòd contra electum confirmatum quilibet habens interesse, etiam laicus, possit excipere, si electus habet curam animarum, & debet illi præesse. Verum qualiter hoc ipsum limitandum, intelliges ex responsione ad quæst. seq.

2. Nihilominus etiam qui non petit confirmationem aut cassationem (et si alius, qui nec reus, nec actor est, sive qui nõ est pars in iudicio, utpote quod ex reo, actore & iudice integratur, à iudice gravari nequeat, ut Pass. num. 19. ex D. Thom. 2. 2. q. 67. a. 3. potest appellare in duplici casu: nempe primò, si iudex citandum non citavit, & contra non citatum protulit sententiam; potest enim tunc gravatus contra eam sententiam procedere; vel coram eodem confirmatore, vel ejus Superiore, dicendo de nullitate, vel appellando à tali sententia tanquam nullà & iniustà. Secundò, si in contumaciam damnatus in eo gravatus fuit, quòd iudex iudicando secundum allegata & probata excessit, gravando contumacem, plusquam merita processus exigent. Pass. cit. c. 34. n. 20. & 21.

Questio 300. Vtrum Electores appellare possint à cassatione electionis, dum conceditur eis nova electio?

Respondeo affirmative; eò quòd cum habeant jus petendi & agendi pro confirmatione electionis à se habitæ (ut satis constat ex c. cupientes. de elect. in 6. ubi præcipitur, ut Electores mittant proprios procuratores, qui habeant mandatam non solum ad informandum, sed & ad petendam confirmationem electi, & si hi non mittantur, Electores jure prosequendi causam confirmationis priventur; adeoque Papa supponit hoc jus illorum) & hinc si eam confirmari petant, ac graventur per decretum cassationis illius electionis, et si eis concedatur alia seu nova, possunt appellare. Pass. n. 22. dicens, sententiam oppositam esse improbabilem & oppositam SS. canonibus. Sed neque verum est,

est, Electores per solam electionem non confirmatam ita plenè functos officio suo, quin hoc ipsum officium necesse habeat perfici, non solum per petitionem & prosecutionem confirmationis, sed ipsa confirmatione. Unde jus habent petendi confirmationem propriam electionis, eamque prosequendi ac defendendi coram confirmatore. Pass. *cit. c. 34. n. 23.* citans Innoc. in *c. dilectus. de prob. n. 3. & 4.* Abb. in *c. dudum. de elect. n. 4.* Bald. in *c. postquam. de elect. n. 6.* Castell. de *elect. c. 5. n. 63.*

Questio 301. An, & qualiter quilibet Electorum, vel etiam aliorum de collegio, conventu, communitate, appellare possit à confirmatione vel cassatione electionis?

Respondeo: distinguendum hic esse interesse communitatis, & interesse cuilibet proprium. Ac primò quidem, ubi interesse est commune, quilibet de communitate (nisi fortè à tota communitate mandatum procurare haberet) non potest in iudicio agere & petere, alijs seu maiore parte eorum iuste nolentibus petere; cum in iis, quæ ad communitatem spectant, standum sit majoris partis determinationi, dum illa non iniuste quid decernit. Pass. *cit. c. 34. n. 25. & c. cupientes.* ubi constituitur, ut Electores per procuratores suos ex iisdem Electoribus acceptos negotium electionis prosequantur: nequaquam tamen datur singulis de capitulo facultas agendi nomine proprio pro confirmatione electi; quia jus, quod habent Electores ad prosequendam confirmationem, non est proprium singulorum; sed est collegii. Pass. *cit. n. 25.*

2. Sed &, si facta est iniustitia communitati, si hac est talis, quam major pars potest iuste condonare, & condonet, non remanet huic vel illi, vel minori parti jus prosequendi injuriam. Et quia in cassatione electionis digni iniusta offensa non est facta populo, utpote qui non habet jus magis, ut illi præsit hic dignus, quam alius dignus. Nec etiam facta est injuria alicui particulari Electori, cum jus prosequendi electionem non competat ei ex jure proprio, sed quia elector est, & ex jure collegii. Injuria quoque quam collegium recipit ex iniusta illa cassatione, est talis, quæ, si electio iterum redit ad collegium, potest iuste remitti: hinc si electio cassatur, & collegium Electorum pro maiore parte injuriam remittat, non est, unde vel populus, vel conventus, vel hic aut ille particularis, etiã Elector, appellare possit; quia non remanet iniuste gravatus. Pass. *cit. n. 25.* Secundò, ubi quis ex confirmatione vel ejus cassatione habet interesse proprium, seu obvenit alicui propria aliqua utilitas vel damnum, videndum est, an habeat jus ad illam utilitatem, & num damnum sit iniustum. Nam si utilitas etiam de cetero maxima, quæ potest ex confirmatione provenire, huic vel illi particulari Electori, vel personæ de conventu, v. g. quod electus seu confirmandus sit ejus consanguineus, non est debita, non potest quis pro illa utilitate, utpote non debita, agere in iudicio, adeoque si cassetur electio, non potest appellare; quia nulla ei facta injuria. Pass. *loc. cit.* Quod si verò alicui particulari, non tantum Electori, sed etiam cuilibet de populo iniustum imminet damnum (uti id facile contingere potest, v. g. si princeps iuste timeat damnum ab electo, & quod hostibus manifestabit & proderet secreta regni & principem) ratione cujus uti porit excipere contra electionem, sic eum posse à data confirmatione appellare, tradit *cit. n. 25.*, Pass.

Questio 302. Vtrum Electores valide appellare possint à cassatione electionis legitima, ubi electus non habet jus ad confirmationem?

Respondeo primò: ubi electus legitime ex delicto non habet jus ad confirmationem, v. g. ubi electus de ceterò dignus in pœnam superventis post electionem negligentia aut alterius defectus alicujus privatus est jure per electionem quæsito ad confirmationem, non possunt valide appellare à cassatione electionis; quia jam electus ab iis, non est confirmabilis, sed indignus confirmatione; adeoque frustra & iniuste Electores tentant & prosequuntur confirmationem illius. Pass. *cit. c. 34. n. 26.* Idemque est, si electus electioni non consenserit, vel ei renunciavit, nolens esse Prælati; dum enim is cogi nequit ad instantiam Electorum, ut electioni consentiat, ubi consentire renuit, nec ejus electio ex iustitia confirmari debet; nec Electores iudicè instare ut confirmetur. Pass. *ibid.*

2. Respondeo secundò: si verò electus ex lege vel statuto aliquo non habet jus ad confirmationem (intellige, quia jus nullum acquisivit per legitimam etiam electionem) ita tamen, ut possit ac debeat confirmari, si sit dignus, Electores possunt validè ac iuste appellare à cassatione electionis, utpote à jure habentes jus petendi electi confirmationem, & defendendi factam à se electionem. Pass. *cit. n. 26.* siquidem electio est Electorum veluti partus, committiturque Ecclesie Electoribus electionem, confidens eorum prudentia ac zelo: unde eorum est honor vel vituperium, si bene vel male eligant, adeoque non solum ex lege positiva, sed & ex naturali habent jus petendi confirmationem electi, & defendendi electionem per ipsos celebratam, in quantum quisque propria defendere potest, & perfectionem operi suo debitam iuste prætere. Pass. *n. 27.* dicens, quod Electores ex jure sibi proprio, & à jure electi distincto petere possunt confirmationem, & eam contra impugnantes defendere per viam appellationis, supponere communissimè DD. & probari per præxim Ecclesie, & sacrarum Congregationum Romæ admittentium, & judicantium istiusmodi appellationes. Unde etiam ab Electoribus, ubi timent cassandam celebratam à se electionem, pro cautela ad hoc, ut si contingat eam cassari, non possit fieri nova provisio eis inauditis, literis petitionis confirmationis inferendam hanc protestationem & appellationem: quam confirmationem sperant à Benignitate N. obtinere: quòd si secus fiat, protestantur velle audiri, & ex nunc appellare ad Sedem Apostolicam: tradit Pass. *loc. cit. ex Peyr. in formular. lit. C. c. 18. n. ult.*

Questio 303. An ergo Electores agere possint in iudicio appellationis pro confirmatione electionis cassatæ, electo secum non agente?

Respondeo primò: ubi agitur de electione cassata expressè ob defectum formæ, sufficit electum aliàs non habentem jus ad confirmationem habere se negativè, hoc est, ut non petat, nec rejiciat, quòd Electores agant pro ejus confirmatione; eò quòd tunc electus in ea causa non habet interesse, & soli Electores appellantes sunt actores. Pass. *n. 28.*

2. Respondeo secundò: si agatur de electione cassata ex defectu electi, non possunt procedere Ele-

ctores,

tores, secum non agente electo, utpote de cuius maximo præjudicio agitur; vel saltem eo non citato comparente per se, vel suum procuratorem. Contingere enim posset, ut dum causa non est expressa, electus ad declinandam majorem confusio- nem mallet causam in iudicio appellationis non expediri, quam electionem sui confirmari. Pass. cit. num. 28.

Questio 304. An, ubi electus non habet jus ad petendam confirmationem ex speciali quodam statuto, nec tamen etiam confirmatione privandus possit appellare à cassatione electionis, dum ea cassatur ex defectu electi?

1. **R**espondeo: id eum posse, si injuste cassetur Rex ejus defectu; quia ut dictum supra, cassatione electionis ob defectum electi is manet infamis infamia facti, & ineligibilis, adeoque si injuste ex tali causa cassetur, injustè læditur. Pass. num. 29. Unde secus dicendum, seu non posse talem non habentem jus ad petendam confirmationem, appellare, ubi defectus, ob quem cassatur electio, talis non est, ut infamet, aut notabiliter noceat, v. g. quia præsumitur electus ille ad tempus infirmus. Pass. num. 30.

2. De cetero dici non potest, in hoc casu remanentis ex cassatione infamiae & ineligibilitatis, talem non posse appellare à cassatione electionis, seu à negata confirmatione, utpote ad quam non habet jus; sed à causa cassationis, quam solam examinare pertinebit ad Judicem ad quem, cassatione manente validà; nam licet in rigore & directè non habeat jus talis electus, ut confirmetur; quia tamen electio digni ex lege est confirmanda, & solum ex causa rationabili cassari potest, ideo ex consequente Judex ad quem, invento tali electo digno, ut confirmetur, tenetur ejus electionem confirmare, si non ex jure electi, saltem ex jure Ecclesiae, volentis electionem non nisi ex rationabili causa cassari. Et hinc pendente tali appellatione, non potest validè alia electio celebrari, cum electus non tantum habeat jus, ut non infametur; sed etiam, ut ex causa injusta infamante confirmatio sibi non negetur. Pass. n. 29. Ad hæc, ut Idem, locum non habet hæc objectio, ubi cum electo simul appellant eligentes, habentes jus ad confirmationem electi.

Questio 305. An, ubi confirmator in decreto cassationis nullam assignat causam cassationis electionis, vel assignat in confuso per clausulam: ex causis nobis bene visis; electus, qui non habet aliud jus ad confirmationem, possit appellare à tali decreto?

Respond. affirmativè Pass. cit. n. 34. n. 32. ubi ait: non obstante, quòd Barbofa teneat, electum talem in hoc casu debere credere, cassationem factam ob bonum commune, & non ob defectum sui. Et quòd Bannez dicat, in hoc casu temerarium esse, judicare, quòd cassatio facta ob defectum electi; dicendum tamen, non posse electo negari in hoc casu appellationem, nisi constet de opposito, nempe cassationem factam non ob defectum electi. Rationem etiam dat, quòd si ex hoc non liceret appellare, quia in sententia non exprimitur causa, & ideo sententia non gravet, vix unquam liceat appellare, cum necesse non sit; Judicem exprimere causam in sententia, ut Abb. in cap. examinata, de Judic. n. 8. & in cap. sicut nobis, de re

judicat. n. 11. & sic foret in potestate Judicum impedire justam appellationem, non exprimendo in sententia causam, Quin &, ut Pass. n. 33. licet, dum confirmator simpliciter cassat electionem, præsumendum sit, eam non cassari vitio personæ; nihilominus relinquitur locus aliquis præsumptioni contrariæ, maxime ex eo, quòd constet, electionem legitimè celebratam rarius cassari purè ob bonum commune; & sic frequenter talis cassatio conjuncta sit cum morali certitudine de defectu electi, & ita conjuncta cum ejus infamia. Quin & quòd vel ex hoc ipso, quòd non constet, electionem non fuisse cassatam ob defectum electi, electus interim, ejusque honor & fama sit cogitantium & loquentium arbitrio subiecta & exposita; adeoque cum electus, etsi ad confirmationem jus non habeat, habeat tamen jus, ut ex cassatione electionis ejus fama non vacillet, adeoque habeat jus, ut appellando se suumque honorem & famam tueatur.

Questio 306. An, & quo jure electio facta pendente appellatione, etiam extrajudiciali, interposita à cassatione prioris electionis sit attentata, & an, si confirmetur hæc secunda electio, tam ea, quam confirmatio ejus, saltem justificata appellatione, sit cassanda: uti & quævis alia provisio, pendente appellatione facta?

1. **R**espondeo ad primum affirmativè. Pass. cit. c. 34. n. 42. citans Abb. in cap. cum nobis, de elect. n. 17. & 8. Barbof. l. 2. voto 35. Castell. de elect. c. 4. n. 59. & c. 14. n. 42. Portell. p. 2. cas. 4. v. ad secundum. Peyr. in formul. lit. C. c. 18. n. 18. Donat. p. 2. ir. 7. q. 14. n. 3. & plurimos alios, secundum quod in specie de electione ad cathedrales & regulares Ecclesias statuitur in c. si postquam, de elect. in 6. & jam prius decretum fuerat in cap. consideravimus, de elect. de appellatione interposita apud Papam.

2. Respondeo ad secundum: cassanda non tantum jure positivo, sed & ex lege naturæ; quòd enim per citatas similisve decretales, quòd ad hoc præsens punctum sic disponitur, non esse merè statutum juris positivi, sed esse quoque legem naturalem, tradit Pass. cit. n. 42. eò quòd ex vi legis Justitiæ non potest appellatus ad Superiorem contra vim appellationis, & in gravamen se defendentis per imploratam Superioris auctoritatem agere validè, firmiter & indissolubiler, quin Superior, justificata appellatione non possit sic gesta revocare prout Justitia postulaverit, & ad bonum commune expedire visum fuerit. Unde quòd statuitur in cit. c. consideravimus. & c. si postquam, secundum substantiam extendit ad omnem electionem factam post appellationem, quia non est purè statutum legis positivæ, sed & præceptum naturale; non obstante, quòd Rota decisi. 44. de appell. in novis. senserit, c. si postquam. non loqui de inferioribus Ecclesiis. Nam quidquid sit de hoc, in quantum dicta decretalis est lex positiva, eadem, in quantum secundum substantiam est lex naturalis, omnes electiones comprehendit. Pass. n. 43. Neque obstante, quòd non sit de lege naturæ, electum ex electione acquirere jus ad confirmationem: nam sufficit, quòd ex lege positiva acquirat hoc jus, & eo sic acquisito, subintrat lex illa naturæ ad defendendum illud. Pass. ibid. Quin &, ut Idem addit, lex naturæ absolute vult, ut gesta lite pendente in præjudicium

ejus,

ejus, qui auctoritatem publicam Superioris implo-
ravit contra gravantem, sint ex se per Superiorem
dissolubilia.

3. Advertit tamen Idem Pass. n. 44. quòd licet
lex naturæ, vi cuius illa gesta seu innovata, post-
quam oppressus confugit ad Justitiam publicam,
sunt attentata veluti naturalia, præcipiat eorundem
suspensionem & revocationem; hæc tamen
lex naturæ, etiam in hoc à lege positiva determina-
tionem sumat. Unde alio modo & alio privilegio
revocanda sunt, quæ gesta seu innovata fuerant
post appellationem judicialem, seu postquam Ju-
dex superior acceptato recurſu citavit partem, &
inhibuit quicquam innovari; hæc enim gaudent
privilegio attentatorum, quod non competit iis,
qui solum extrajudicialiter appellarunt, vel qui nõ
appellarunt in tempore, vel quibus non competit
appellatio, sed recurſus seu querela: vel iis, qui
extra casum appellationis judicialis aut inhibitionem
Superioris innovata sunt. Quamvis in his om-
nibus substantia sit eadem, nempe, ut quæ post
recurſum lædenti notificatum, vel intra tempus da-
tum ad appellandum contra recurrentem in præ-
judicium recurſus gesta seu innovata sunt, iustifi-
cato recurſu, & constituto de gravamine & injusti-
tia, revocanda sint, vel per viam attentatorum, aut
appellationis aut querelæ; siquidem oppressus re-
levari debet à primo gravamine, propter quod con-
fugit ad Justitiam publicam, à quo plenè non rele-
varetur, si nova gravamina ex mala fide subsecuta
in vim prioris gravaminis, & ad illud sequentia
non tollerentur. Hinc, quia primum illud gravam-
en injustum ex lege naturæ plenè reparandum
est, & plenè reparari nequit, nisi revocatis iis, quæ
in vim illius contra appellantem gesta, eorum revo-
catio ex lege naturæ est facienda, saltem quando et-
iam solum extrajudicialiter, legitimè tamen est ap-
pellatum; quin &, ut dictum, quando oppressus
confugit ad Superiorem per supplicationem aut
querelam. Ita ferè Pass. cit. n. 44.

*Quæstio 307. Quam vim habeat lex posi-
tiva, statutum vel privilegium circa appel-
lationem prohibendam & impediendam?*

1. R **E**sponder ad hanc quæstionem genericè Pass.
cit. c. 34. à n. 45. per plura notabilia obser-
vatu dignissima, & facile applicanda præſenti ma-
teriæ de appellatione à confirmatione & cassatione
electionis. Primò, appellationem propriè sum-
ptam esse inventum legis positivæ (de quo multa
præmiserat à num. 35. distinguendo inter appella-
tionem naturalem & civilem, quæ vide) utpote cu-
jus formalitas est à lege positiva, ut Abb. in rubric.
de appell. Et ideo posse à Principe seu lege positi-
va tolli, ut Abb. loc. cit. Covar. pract. qq. c. 23. n. 6.
Sanch. l. 3. cons. unic. dub. 10. Scaccia de appell. q. 16.
limit. 1. n. 21. juxta cap. 1. de rescript. cap. super quæstio-
nem. de off. deleg. c. pastoralis, de appell. l. 1. §. interdum.
ff. à quibus appell. licet. quos AA. & textus citat
Pass. num. 46.

2. Secundò: prohibitionem appellationis, ubi-
cunque contineatur, esse odiosam & strictè inter-
pretandam. Abb. in c. pastoralis. n. 6. juxta cap. 1.
& 2. de filiis presbyt. ac digniorem, quæ strictius in-
telligatur, prohibitionem perpetuè per legem aut
privilegium inductam, quam factam in rescriptis
per clausulam: *appellatione remotà*, etsi illa indu-
cta per privilegium vel legem sit fortior & effica-

rior ad effectum causandum; quia perpetuè ligat.
Pass. n. 47. juncto num. 52. & ubi etiam hujus ma-
joris dignitatis ad restringendum rationem reddit.

3. Tertio: prohibitionem appellationis non
impedire, quòd minus dici possit contra sententiam
de nullitate, Scaccia de appell. c. 19. remed. 1. & seq.
neque quòd minus recurri possit ad alia juris reme-
dia, ut sunt supplicatio, restitutio in integrum, que-
rela. Pass. n. 48. remittens ad Marant. in specul. p. 6.
§. & quandoque. n. 11.

4. Quarto: prohibitionem appellationis, ut-
pote odiosam & strictè intelligendam, excludere
solum appellationem propriè dictam, seu judicia-
lem, non extrajudicialem, utpote quæ non est prop-
riè appellatio, sed actus defensionis extrajudicia-
lis. Pass. n. 49. citans Abb. ubi ante, Scaccia de appell.
q. 16. limit. 1. n. 22. & 23. Rebuff. de appell. in pres. n. 83.
tom. 3. & c. eadem solum repetit Pass. n. 59. & 61.

5. Quintò: per clausulam: *appellatione remotà*
non prohiberi solum appellationem frivolum, ut
quidam volunt apud Barboſ. claus. 9. num. 15. &
Scacciam q. 16. limit. 1. n. 93. cum frivola appel-
lationes jure communi sint rejiciendæ, adeoque
dicta clausula in rescripto posita esset superflua &
odiosa. Pass. n. 50. juxta cit. cap. pastoralis. Quan-
quam Pass. n. 53. ex communi DD. citato in spe-
cie Barboſ. in cap. pastoralis. n. 2. id limitet; ita ut
quandoque dicta clausula: *appellatione remotà*: non
est apposita præviâ cognitione, intelligi debeat de
appellatione frivola; eò quòd, ubi hæc clausula
apponitur non præviâ cognitione, ea sit odibilior,
& magis strictè interpretanda.

6. Sexto: per prohibitionem appellationis vi
dictæ clausulæ non prohiberi illam, quæ expressè
indulgetur in jure; illas autem appellationes in-
dulgeri à lege, quæ expressè à lege sunt approba-
tæ, quarum exemplar est in cap. significavit. & cap.
Rodolphus. de rescript. Pass. n. 51.

7. Septimò: per clausulam: *remotà appellatione*;
quando simpliciter profertur, solum prohiberi ap-
pellationem judicialem à sententia diffinitiva; non
verò ab interlocutoriâ. Pass. n. 60. citans Felin. in
c. causam. n. 27. de rescript. Tusch. lit. A. concl. 400.
n. 17. Barboſ. claus. 9. num. 16. Scacciam de appell.
q. 16. limit. 1. n. 82. Idemque dicendum dicens,
ubi lex vel statutum appellationem prohibet; pro
quo citat Gemin. in c. ut inquisitioni, de hæretic. in 6.

8. Octavò: per dictam clausulam: *remotà ap-
pellatione*; non tolli appellationem, etiam judicia-
lem, quando Judex dolo malo vel latâ culpâ sen-
tentiavit: vel quando injustitia sententia est no-
toria. Pass. n. 60. citans Lancell. p. 2. c. 12. limit. 8.
n. 24. Tusch. ubi ante. concl. 40. Barboſ. clausul. 9.
n. 21. & 22. Item non tolli appellationem, ubi gra-
vatus in continente offert probationem paratam
ad justificandam appellationem. Pass. ibid. citans
Barb. ubi ante. n. 23.

9. Nonò: ubi prohibetur in rescripto appella-
tio, non prohiberi eam simpliciter, seu quòd ad
utrumque effectum, sed solum quòd ad effectum sus-
pensionis. Et hinc gravatum à Judice procedente
judicialiter, servato bene ordine juris posse qui-
dem appellare, sed non suspendi per hoc jurisdic-
tionem Judicis à quo. Pass. n. 54. ex Abb. in c. pa-
storalis. & consequenter ubi Judex à quo procedit
appellatione remotà, gesta contra dictam appella-
tionem non revocari ut attentata, uti ea revocan-
tur, ut attentata, ubi procedit absolute, appella-
tionem non remotà. Quod ipsum tamen limitat n. 58.
ubi:

ubi : quod nulli sint casus, in quibus gesta post huiusmodi appellationem tantum devolutivam sint revocanda ut attentata : nempe primò, ubi fuerint attentata, postquam superior, admittens appellationem, inhibuit, ne procederetur ulterius in causa, ut Lancell. *de appell. c. 12. limit. 8. n. 11. Scaccia. de appell. q. 16. limit. 1. n. 105.* Secundò : dum esset appellatum ex causa expressa in iure ; quia in eo casu appellatio non est prohibita vi clausulæ : *appellatione remotâ*, ut Lancell. *loc. cit. n. 16. Scacc. loc. cit.* Tertio, si Iudex à quo detulit appellationi, ut habetur *c. de appellationibus. de appell. in 6.* plures casus videat apud Lancell. *loc. cit.*

10. Decimo : quod licet in *c. pastoralis*. expressè sermo sit de prohibitione appellationis facta in rescripto per clausulam *appellatione remotâ*, eandem nihilominus esse rationem de prohibitione facta in statuto, vel emanata ex privilegio. Pass. n. 55. citans Abb. in *c. pastoralis. n. 12.* hanc addens rationem ; quod pontificum intentio sit, ut Iustitia suam consequatur effectum ; quod verò alicui personæ concedit, ut ab ea non detur appellatio, id faciat ex præsumptione, quam habet de virtute illius personæ, quod non sit aliter processura, quam iura disponunt ; quæ si tamen procederet aliter, quam deberet, non sit ratio, cur gravatus non possit appellare, & cur Superior non debeat gravamen tollere.

11. Undecimò : in casu, quo causa est remissa Iudicis conscientiæ, adeoque prohibita est appellatio judicialis & suspensiva, factaque appellatione (quod fieri potest, nihilominus appellatione devolutivâ, vi cuius tenetur Iudex revocare gravamen, propter quod est appellatum, revocandum esse per viam querelæ ; gravamen verò illatum per gesta contra appellationem revocandum per viam appellationis, ex mente Abbatis *loc. cit. n. 15.* refert Pass. n. 56. Ipse verò aliter sentit, nimirum quod ex quo causa est appellabilis appellatione devolutivâ, licet simpliciter non suspendatur iurisdicctio Iudicis à quo, suspendatur tamen secundum quid, seu melius loquendo debiretur & infirmitur, ut contra appellationem in præiudicium appellantis nõ possit agere omnino validè & firmiter, & quin iustificatâ appellatione gesta contra eam non sint revocanda, & appellans consecutus sit plenam Suspensionem à superiore

Questio 308. An Regularibus liceat appellare à confirmatione vel cassatione electionis ?

1. Respondeo : regularibus de iure communi non est interdicta hæc appellatio. Pass. *cit. c. 34. n. 62.* & licet regulares *c. ad nostram. & c. reprehensibilis. de appell.* prohibentur appellare à correctione ; nomine tamen correctionis non venit confirmatio aut cassatio electionis. Pass. *ibid.* Sed & privilegia communiter concessa regularibus, in quibus prohibetur appellatio, intelligenda esse juxta juris communis dispositionem, ait *ibid.* Pass. citatis pro hoc Nav. *conf. 3. de regular. n. 51. Rodriq. Tom. 1. q. 29. a. 2. Suaz. Tom. 4. de religion. tr. 8. l. 2. c. 11. Sayr. clar. reg. l. 2. c. 17. n. 38. & c.* Addit tamen rectè Idem Pass. n. 63, unum quemque regularem debere in hoc diligenter examinare leges sui ordinis, & specialia privilegia, quibus ejus religio, etiam per communicationem, finitur, & quatenus per dictas leges & privilegia prohibeatur appellatio à confirmatione aut cassatione electionis, debere ab ea appellatione abstinere. Ad hæc huiusmo-

di appellationem parum religiosis convenire, & non levem esse præsumptionem ambitionis, quod appeller religiosus, ut invitis Superioribus obtineat prælaturam, quam boni ac perfecti religiosi, etiè oblatam, reculant.

Questio 309. An ab electione possit appellari immediate ad Prælaturam mediatam, præterito Superiore immediato, ad quem alias spectat confirmatio & cassatio electionis ; ita ut is eam confirmare vel cassare tunc nequeat ?

1. Respondeo primò : appellare immediatè ad Papam non solum licitum est, sed etiam talis appellatio, etsi extrajudicialis, suspendit ac devolvit, ita ut si inferior electionem confirmet vel casset, attentet, & actum irritum faciat. Pass. *cit. c. 34. n. 64.* juxta quod statuitur in *c. si postquam. de elect. in 6.* Porro hæc decretalis non habet locum, nisi tantum in electionibus, quæ sunt ad Ecclesias regulares vel Cathedralis, & in appellationibus, quæ desuper sunt ad Sedem Apostolicam ; non verò in appellationibus, quæ fiunt ad Iudices Papæ inferiores. Pass. n. 66. cum Gl. in *cit. c. si postquam. v. ad Sedem Apost. & Franc. ibid. n. 2. Gemin. n. 5.* Quin & locum non habet hæc decretalis, si appelleretur ad Legatum de laterè ; quia in ea decretali exprimitur sola appellatio ad Sedem Apostolicam, Pass. n. 67. cum gl. & Gemin. *ll. cit.* Habet tamen locum in omni appellatione, quæ fit ad Sedem Apostolicam in causa dictæ electionis etiam extrajudiciali & interlocutoriâ ante sententiam diffinitivam, cum loquatur indistinctè, & appellatio ab electione sit extrajudicialis, ut habetur *c. concertationi. de appell. Pass. n. 68.* citans Gemin. in *c. si postquam. n. 3. Franc. n. 2.* Similiter locum habet non solum in electione, sed in omni provisione, quin & in postulatione (intellige saltem ad Ecclesias regulares ; quia cum postulatio ad Ecclesias Cathedralis semper fiat ad Papam, non habet in ea locum appellatio) Pass. n. 71. juxta S. *fin. cit. c. si postquam.* Qui tamen addit id fallere in electione Abbatissarum in duobus illis casibus contentis in *c. indemnitate. de elect. in 6.*

2. Requiritur autem & sufficit, quod fiat huiusmodi appellatio ex causa probabili, licet in re falsâ ; etsi enim id non procedat universaliter de iure communi, ne detur facilis via ad protrahendas confirmationes ; & licet in aliis casibus prius constare debeat de veritate causæ appellationis, antequam revocentur attentata post appellationem ante sententiam ; in hoc tamen casu appellatio hæc interposita ex probabili tantum causa devolvit, & reddit iudicium attentatum, Pass. n. 65. juncto n. 66. cum Gl. *loc. cit. v. probabili.* Quamvis, ubi causâ hæc probetur falsâ, appellans sit puniendus. Pass. *cit. n. 65.* juxta *c. calumniam. de partis.* Requiritur etiam ad hoc, ut hæc appellatio devolvat, ut sit interposita ab eo, qui habet interesse in electione. Item ab eo, qui possit sua voluntate illud interesse in iudicium deducere. Pass. n. 69. Item requiritur, ut appellatio sit insinuata parti & Iudici à quo. Pass. *ibid.* juxta *c. si duobus. de appell.* citans Gemin. Franc. Jo. And. Item requiritur secundum Jo. And. ut in appellatione, in qua opponuntur crimina vel defectus contra electionem vel electum, debeat servari forma *c. ut circa. de elect. in 6.* & aliter non valeat nec devolvat cognitionem causæ ad Papam. Verum hujus contrarium apud Pass. n. 69. re-

nerit

nent Lap. Abb. Gemin. eò quòd in *cit. cap. ut cir. ca.* non annulleretur appellatio interposita ex rationabili causa, non servatà formatà. *cit. cap. sed tantum*, quòd appellans non sit audiendus super non expressis in libello appellationis, nisi in casibus ibi expressis, etsi non juraverit, prout ibi, cum quo flet, quòd appellatio teneat, & devolvat negotium ad Papam, Tametsi autem renunciari possit appellationi de consensu partium, juxta *c. quamvis. de elect. in 6.* non tamen invito appellato, ut Gl. in *cit. cap. v. partibus.* nisi res adhuc sit integra; ut Franc. in *cit. c. quamvis. n. 8.* vel ubi, re non integrà, appellans velit satisfacere parti de suo interesse, ut Gl. *ubi ante.* postquam tamen hæc appellatio est præsentata Papæ, ne quidem de consensu partis potest ei renunciari. Pass. *loc. cit. juxta cit. c. quamvis.* Sed & ubi (subintellige, re adhuc integrà) renunciatum esset huic ad Sedem Apostolicam appellationi, inferiorem Judicem non statim posse assumere causam, sed debere prius diligenter inquirere, an in renunciatione intercesserit pravitas, v. g. simonia, violentia, metus (quà pravitate interveniente, si partes renuncient appellationi ab electione interposita ad Papam, non potest Judex cognoscere in causà, sed attentat) etsi talem pravitatem repererit, debere eum præfigere partibus terminum competentem, in quo cum omnibus actis & munimentis suis Apostolico aspectui se sistant. Quòd si verò prætermisà hac inquisitione procedat ad confirmationem vel cassationem electionis, non solum confirmationem, cassationem, omnèsque processus ab eo factos esse irritos; sed etiam confirmatorem confirmantem vel consecrantem Episcopum per annum suspensum esse ipso jure, juxta *c. provida. de elect. in 6.* (in quo *cap. uti & in cit. c. quamvis.* cum sermo sit expressè de electione ad Episcopatum & dignitates majores, non comprehenduntur quòd ad hanc pœnam sic confirmantes electiones ad Ecclesias regulares, juxta Franc. in *cit. c. provida. n. 2.*) à confirmatione Episcoporum, tradit Pass. *n. 72.*

3. Resp. secundò: ubi sermo est de Superioribus Papæ inferioribus, appellatio debet fieri gradatim, & non potest fieri, omisso medio, immediatè ad mediatum. Pass. *cit. c. 34. n. 73.* citans *c. dilecti. il 3. de elect.* Marant. in *specul. p. 6. §. & quandoque. n. 368.* Scacc. de *appell. q. 7. n. 93. & c.*

4. Limitandum tamen hoc ipsum primò, ut non solum possit præteriri Judex medius, dum is est impeditus, v. g. excommunicatus; vel si is neget Justitiam; vel sit pars, contra quam litigatur; sed etiam absolutè de jure canonico, parte non obstante, valet appellatio, præterito Judice medio. Pass. *num. 74.* citans Abb. in *cit. c. dilecti. n. 7.* Barbof. *ibid. n. 4.* Scacc. *loc. cit. n. 18. 20. & 105.* Tusch. *lit. A. concl. 352. & c.*

5. Limitandum secundò quòd ad Religiosos, apud quos cum medii Superiores sint longè magis ex voto obedientiæ subordinati primariis Superioribus, quàm alii Judices ecclesiastici, facilius admittitur appellatio, præterito Superiore medio. Et non solum parte non opponente valet appellatio talis; v. g. ab electione Prioris interposita apud Generalem præterito Provinciali; verùm etiam, parte opponente, potest Generalis, videns rationabiliter esse præteritum Provinciale, ad se avocare causam, & inhibere Provinciali, ne se ingrat in cognitione electionis illius, cui inhibitioni

deferre teneretur Provincialis. Pass. *l. cit. n. 75.* ubi plura, qualiter hæc locum habeant in suo Ordine.

Questio 510. An Religioso appellante à cassatione electionis suæ, monasterium vel Ordo teneatur ad expensas factas aut faciendas in prosecutionem appellationis, in ordine ad consequendam Prælaturam?

1. Respondeo primò negativè, ubi electus fuit ad Prælaturam extra monasterium vel Ordinem; quia tunc non agitur causa ad favorem monasterii vel Ordinis. Pass. *cit. c. 34. n. 76.* citans Abb. in *cap. ex parte. de accusat. n. 9.* Anchar. *ibid. n. 7.* Anan. *num. 7.* Archid. in *c. pastoris. 2. q. 7.* & *ibid.* Bellamer. & c. Limitandum hoc ipsum, & dicendum contrarium, ubi Religiosus electus ad Prælaturam extra Ordinem agit pro sui electione de mandato Superioris, & ex obedientia; quia tunc agit causam non propriam, sed de communem.

2. Resp. secundò: electus ad Prælaturam sui monasterii vel Ordinis agens ad suæ electionis confirmationem, debet accipere expensas à monasterio vel Ordine; quia in hoc eorum causam agit, cum interfit monasterii vel Religionis, electum Prælaturam confirmari. Pass. *loc. cit. n. 77.* citans Felin. in *c. ex parte. n. 4.* Sanch. in *Decalog. c. 12. n. 26.*

3. Limitandum hoc ipsum putant Peyr. de *Prælatur. q. 3. c. 1. §. 4. num. 124.* Donat. *p. 2. tr. 7. q. 15.* apud Pass. *n. 78.* ita, ut non teneatur ad expensas monasterium vel Ordo, dum eorum Religiosus ambitiosè procuravit se eligi ad Prælaturam, ad quam non erat eligibilis; eò quòd Conventus non teneatur fovere ambitionem illius, & interest monasterii, non habere Prælaturam ambitiosum, quique se opponunt, ducantur zelo bono, ne quis malo modo eligatur. Verùm non placet Passerino hæc limitatio; eò quòd non fit de facili electus habendus pro ambitioso, cessetque post electionem ambitionis prætextus, cum habeat tunc jus ex electione ad confirmationem; tum etiam, quia si major pars eligentium illum perseverat in electione & petitione illius, agit negotium Conventus, dum petitur ejus confirmatio. Ac denique, si electus alius sit dignus & prudens, parum interfit monasterii, quòd ambitiosè intravit, Proinde ipse Passerinus aliter limitat responsum. *n. 79.* nempe ut tunc in hoc casu non debeantur expensæ, ubi Conventus non consentit ex parte sua huic prosecutioni, sed contentus est Superioris determinatione, qualiscunque ea fuerit; eò quòd majore parte Conventus non adhaerente huic prosecutioni, seu non appellante contra cassationem electionis, & non agente contra opposentes se electioni, non agatur causa Conventus, neque electus agit nomine Conventus. Idque etiam, ubi electus aliunde non habet, unde solvat expensas; & si visicerit, sive succumbat. Quin & si electus non est verè habilis ad Prælaturam, aut verè est culpatus, adeoque non ducat eum confirmari, licet à majore parte ex passione aliqua fuerit electus, male facere Conventum prosequendo causam talis electionis, & multò minus tunc teneri ad expensas, electo eam prosequente, tradit *cit. n. 79.* Pass.

4. Sublimitar tamen hæc ipsa Pass. *ibid.* ita, ut si legitime electus esset verè innocens, & calumniam pateretur, & alià viâ non posset honorem suum tueri, teneatur monasterium ad expensas, quas electus

lectus innocens pro famæ suæ defensione necessariò faceret; cùm Conventus teneatur providere subito de necessariis.

5. Respondeo tertio: in religione, in qua electio non licet appellare à cassatione electionis suæ, Conventus nihil debet illi causam electionis suæ prosequenti, Pass. loc. cit. n. 8. nisi, ut addit, illum suum procuratorem constituat; quod ipsum tamen ait, tanquam parum conforme legibus prohibentibus talem electum ab appellatione, eum non debere admittere.

Questio 511. An confirmatione existente nullâ seu annullatâ, perimatur quoque electio, seu ea reddatur quoque nulla?

Respondeo negativè, quemadmodum cassatâ institutione non annullatur presentatio, potestque presentatus jus suum prosequi, ut Rota decis. 648. p. 4. recent. ita annullatâ confirmatione minimè perempta aut cassata censetur electio. Lott. l. 2. q. 18. à n. 23. Pass. de elect. c. 33. n. 168. Pirh. ad rit. de elect. n. 328. Laym. ad cap. si confirmationem. in 6. juxta expressum illius cap. textum, ubi Papa ita rescribit: si accidat confirmationem electionis cassari, seu cassam & irritam declarari, sive propter debitam juris solennitatem in confirmatione omissam (ut si confirmatio fiat electionis, à qua appellatum non observatis iis, quæ præscribuntur in cap. quamvis, & cap. provida. de elect. in 6. vel confirmatio facta omissâ formâ traditâ in cap. fin. de elect. in 6. Pirh. loc. cit.) vel ob causam eam, quia is, qui confirmavit, non habuit potestatem confirmandi (nempe quia vel non erat Judex competens, vel quia legitimè ab eo ap-

pellatum; vel quia erat publicè excommunicatus vel quia Papa ante confirmationem reservaverat sibi Prælaturam, ad quam electus: vel ob aliam similem causam, ideoque ipso jure non valuit confirmatio. Pirh. loc. cit. cum Gl. in cit. c. si confirmatio. n. v. potestatem.) non idcirco etiam præcedens electio, si aliàs sit legitimè celebrata, infirmari debet, vel pro irrita haberi. &c. Ratio est, quia utile per inutile non vitiatur, reg. juris 37. in 6. dum unum ab altero separari potest, uti potest electio separari à confirmatione, cùm sint actus diversi, qui non fiunt eodem contextu & tempore; nec electio quodam sul valorem, tanquam quid prius, dependet, à confirmatione tanquam posteriore; proinde destructo hoc consequente seu accessorio, non corrumpit etiam fundamentum, licet corrumpente illo fundamento, corrumpat accessorium, quale fundamentum necessariò suppositum ad confirmationem est electio canonicè facta & valida. Laym. Pirh. Pass. loc. cit. Quod si igitur electione legitimè factâ, subsequens illius confirmatio irritetur, alia confirmatio ejusdem electionis coram debito seu competente Judice peti debet. Secus, si non tantum confirmatio, sed & electio sit cassata. Pirh. loc. cit. cum Gl. in cit. cap. si confirmat. Porro, quòd in dicto cap. statutum est de confirmatione electionis, habere quoque locum in aliis confirmationibus (puta sententiæ, ut eà cassatâ ob defectum in ea commissum, acta tamen firma permaneant. Item de confirmatione privilegii, statuti, contractus) cùm eadem in omnibus sit ratio, tradit Pirh. loc. cit.

citans Franc. & Jo. And.

* *



SECTIO TERTIA.

DE PROVISIONE BENEFICIORVM PER LIBERAM COLLATIONEM.

CAPUT PRIMUM.

De primario Collatore, scilicet Papa.

PARAGRAPHVS I.
De potestate Papæ in collatione beneficiorum tam absoluta, quàm respectiva ad alios Collatores.

Questio 512. Quanta & qualis sit potestas Papæ in beneficiis?



Respondeo: Papæ à Christo concessum esse in beneficiis jus plenum, seu summum, absolutamque potestatem & plenariam dispositionem. Castrop. tr. 13. de benef. d. 2. p. 14. n. 2. Laym. in c. quæ ad

Ecclesiarum. de constit. Lott. l. 2. q. 22. n. 9. dicens,

P. Leuren, Fori Benef. Tom. II.

Catholicorum neminè id negare, juxta c. 2. de preb. Ita ut non solum dicatur beneficiorum administrator absolutus, ut cum D. Th. 2. 2. q. 100. a. 1. ad 7. tam Theologi omnes quàm Canonistæ, Lott. l. 2. nu. 10. & l. 1. q. 4. n. 57. sed etiam Dominus, Lott. cit. q. 22. n. 11. citans Menoch. cons. 192. n. 7. Burfat. cons. 126. n. 11. Surdum cons. 25. n. 20. in tantum, ut, ubi constat de ejus voluntate, frustra quaratur de potestate, stante ei in his pro ratione voluntate. Lott. loc. cit. n. 13. ex Ferret. cons. 65. n. 5. & Gl. in c. si gratiose. de rescrip. in 6. Quemadmodum enim, quamdiu beneficium persistit in suo esse, negari non potest Papæ absoluta ejus administratio, ita nec absolutum dominium respectu ipsius formæ seu tituli beneficalis (secus est de ipsâ materiâ seu substantiâ beneficalis, quæ consistit in eo, quòd ob laborem & ministerium spirituale præbeatur stipendium & alimentum, quod juris est divini, & quod Papa impedire nequit, juxta dicta ad initium 1. part. de quo vide Lott. l. 1. q. 4. num. 53. & seq.)

S

qui